TRACTATUS

DE DEO UNO

LUDOVICI DE SAN, S. J.

IN COLLEGIO MAXIMO LOVANIENSI S. J. THEOLOGIAE PROFESSORIS

ACADEMIAE ROMANAE S. THOMAE AQ. SOCII

TRACTATUS

DE DEO UNO

TOMUS POSTERIOR

PRAETER PARTEM ULTIMAM IPSIUS TRACTATUS

CONTINENS DISQUISITIONEM

DE MENTE SANCTI THOMAE

CIRCA

ORDINEM INTER PRAESCIENTIAM MERITORUM

ET PRAEDESTINATIONEM AD GLORIAM

ALMA COLLEGE
231.1
LIBRARY
Sa53
Alma, California

LOVANII

EXCUDEBAT CAROLUS PEETERS, EDITOR

20, VIA DICTA DE NAMUR, 20

PARISIIS

VICTOR LECOFFRE

90, VIA DICTA BONAPARTE

NEO-EBORACI

BENZIGER FRATRES

36-38, VIA BARCLAY

1897

43681

PARS IV.

De supernaturali Dei providentia.

—

CAPUT I.

De divisione voluntatis divinae in voluntatem antecedentem et voluntatem consequentem.

Divisiones generalissimae voluntatis divinae.

1. Licet voluntas Dei in se sit unus, simplex ac purus actus volendi, habet tamen ordinem ad multa ac diversa objecta; vel etiam, propter multimodas mutationes quas res successive subeunt, diversimode respicit unam eamdemque rem : ex utroque porro hoc capite suppeditatur intellectui creato fundamentum multiplicem in Deo voluntatem distinguendi. Prima itaque eaque generalissima est divisio voluntatis divinae in *voluntatem primariam*, quae est de bono quod propter se amatur et propter quod cetera omnia amantur : et haec, uti manifestum est, est voluntas *qua Deus vult atque amat seipsum*, — et *voluntatem secundariam*, quae est de bonis non propter se sed propter aliud amatis : et haec est *voluntas qua Deus vult alia a se*, quae scilicet ipse non vult nisi in quantum sunt media ad bonum quod est ipse, non quidem acquirendum vel conservandum, sed ad extra communicandum. Quia autem seipsum Deus vult necessario, alia vero a se vult libere, hinc secunda eademque et ipsa generalissima divisio voluntatis divinae est in *voluntatem necessariam* et *voluntatem liberam*. De qua divisione patet ejus membra respective converti cum membris divisionis praecedentis.

Divisiones voluntatis Dei liberae.

2. Porro duae hae divisiones generalissimae, tamquam aliunde notae, hic praesupponuntur. Ceterae vero, quarum

est maximus usus in quaestionibus de voluntate Dei salvifica et de praedestinatione ac reprobatione, hic ex instituto tradendae veniunt. Circa quas illud inprimis satagendum est ut ratio unamquamque earum declarandi ex doctrina veterum Patrum ac Doctorum Ecclesiae accipiatur. Convenit autem inter omnes eas vel unice vel saltem maxime attendi secundum quod sunt subdivisiones quaedam voluntatis Dei secundariae ac liberae.

1. In voluntatem antecedentem et voluntatem consequentem;

3. Prima igitur divisio voluntatis divinae ad praesentem tractationem pertinens, est in voluntatem Dei antecedentem et voluntatem Dei consequentem. *Voluntas Dei antecedens* sive *prima*, est ea qua Deus antecedenter ad absolutam praevisionem boni vel mali usus liberi arbitrii creati aliquid vult vel decernit facere circa res. *Voluntas Dei consequens* sive *secunda*, est ea qua Deus consequenter ad absolutam praevisionem boni vel mali usus liberi arbitrii aliquid vult vel decernit facere circa res.

Voluntas Dei antecedens est vel *absoluta* vel *conditionata*, secundum quod id quod per eam Deus vult atque decernit, vel vult atque decernit absolute, vel vult atque decernit dependenter a conditione liberae cooperationis voluntatis creatae. Ex quo intelligitur voluntatem Dei antecedentem absolutam semper esse *efficacem*, voluntatem vero Dei antecedentem conditionatam propter defectum cooperationis voluntatis creatae posse reddi *inefficacem*. — De voluntate vero Dei consequente, si haec *simpliciter* sit consequens, manifestum est eam semper esse absolutam atque efficacem.

Ex praedictis sufficienter patet tum ratio secundae divisionis voluntatis divinae in voluntatem absolutam et voluntatem conditionatam, tum ratio tertiae divisionis ejusdem in voluntatem efficacem et voluntatem inefficacem.

2. In voluntatem beneplaciti et voluntatem signi.

4. Restat quarta ejus divisio valde analoga in voluntatem beneplaciti et voluntatem signi. *Voluntas beneplaciti* est omnis vera ac proprie dicta voluntas Deo interior. *Voluntas* vero *signi* non est voluntas proprie dicta, sed est aliquid exterius a Deo procedens, quod quia in nobis solet esse signum voluntatis, idcirco etiam Deus ratione talis sui effectus metaphorice dicitur velle aliquid. Eadem plane ratione qua Deus, quando punit, dicitur irasci, non quia vere ac proprie irascitur, sed quia apud nos punitio est

signum irae, et sic metaphorice. Illud tamen interest quod, ut advertit s. Thomas in I^{a}, q. 19, a. 11, ira nunquam proprie de Deo dicitur, eo quod in formali suo conceptu passionem includit; voluntas vero vere ac proprie praedicatur de Deo. Ideoque, uti docet idem s. Doctor ibid, a. 12, ad 2^{um}, nihil obstat quominus ratione signi alicujus exterioris Deus metaphorice significetur velle id ipsum quod vult voluntate interiore ac proprie dicta. Porro signa quae in sensu praedicto pronuntur circa voluntatem divinam sunt haec quinque: *praeceptum*, *prohibitio*, *consilium*, *permissio*, *operatio*.

Ex definitionibus voluntatis beneplaciti ac voluntatis signi, quae modo praestitutae sunt, patet divisionem voluntatis divinae in duplicem hanc voluntatem esse eamdem cum divisione voluntatis divinae in voluntatem proprie dictam et voluntatem metaphoricam.

Primus modus declarandi indolem voluntatis Dei antecedentis.

5. Illud hic in disceptationem adducitur, quaenam sit ratio secundum quam vere et cum fundamento in re instituatur divisio voluntatis divinae in antecedentem et consequentem, quae est prima ex divisionibus supra adductis. Omissis interim Calvinianis, qui hanc divisionem universim explodunt, inter theologos catholicos, qui eam unanimiter recipiunt, tres obtinent modi diversi eam declarandi. — Primus est modus asserentium hanc esse divisionem voluntatis divinae analogice sumptae pro voluntate tam signi quam beneplaciti. Ita videntur sentire Durandus (in Sent. I, dist. 47, q. 1, n. 5), Bonaventura (ibid., a. 1, q. 1), Hervaeus (ibid. dist. 46, q. 2) et Gabriel (ibid. q. 1). Juxta hos scilicet auctores omnis voluntas Dei antecedens est voluntas signi; sola vero voluntas Dei consequens est voluntas beneplaciti. Quod explicant, dicentes voluntatem Dei antecedentem, secundum quod haec revera est in Deo, terminari solummodo ad media per se sufficientia sive ad bene operandum sive ad obtinendam salutem. Quia tamen in his mediis (puta in praeceptis divinis, in auxiliis gratiae et in aliis ejusmodi) continentur causaliter sive bona opera sive salus aeterna, propterea, *ratione horum mediorum tamquam signorum*, aiunt Deum metaphorice dici velle antecedente voluntate bona opera ab omnibus hominibus patrari atque omnes homines salutem consequi, licet proprie loquendo neutrum istorum velit. Unde ratio dividendi voluntatem divinam in antece-

dentem et consequentem inde repetunt quod voluntas Dei quae dictur antecedens, secundum quod revera est in Deo, est de objecto antecedente objectum voluntatis consequentis, dum contra, voluntas Dei quae dicitur consequens, est de objecto consequente objectum voluntatis antecedentis. Nam voluntas Dei antecedens, secundum quod haec revera in Deo est, est secundum ipsos de mediis salutis, quae *antecedunt* opera bona vel mala et aeternam salutem vel reprobationem; dum contra, voluntas Dei consequens est secundum ipsos de operibus vel bonis faciendis vel malis permittendis et de aeterna salute vel reprobatione, *quae consequuntur* media salutis.

Rationes horum auctorum ad sic decernendum sunt — tum *a*) quod repugnet aliquam voluntatem Dei proprie dictam non esse efficacem circa objectum in quod proprie tendit; — tum, *b*) et in idem ferme recidit, quod modus volendi sub conditione, qui potius est velleitas quaedam quam vera voluntas, sit modus volendi imperfectus, quem repugnet ponere in Deo; — tum *c*) quod voluntas conditionata salutis sit voluntas quae versatur circa hominem consideratum in praecisione ab actionibus quibus salutem consequetur vel salute excidet, voluntas autem divina non valeat ferri in sua objecta secundum considerationem quamdam abstractam, sed in ea tendat simpliciter et secundum omnia adjuncta eorum particularia; — tum demum *d*) quod si Deus antecedenter et secundum quid vellet omnium hominum salutem, ipse non posset velle simpliciter quorumdam hominum reprobationem, nisi cum reluctantia quadam et displicentia. Sicuti mercator, quia secundum quid et antecedenter vellet merces suas servare, nonnisi cum displicentia quadam, ingruente tempestate, eas projicit in mare, ne submersione navis pereat.

Ad pleniorem hujus sententiae intelligentiam illud adhuc notandum est, auctores eam defendentes, licet negent Deum *proprie ac formaliter* velle omnes homines bene operari ac salvari, nihilominus tamen affirmare horum utrumque Deum antecedente sua voluntate velle tum virtualiter tum etiam eminenter. Nempe *a*) *virtualiter* aiunt haec Deum velle, quatenus vult omnibus praestare media sufficientia quibus valeant bene operari ac se salvare. Itidem *b*) *eminenter* aiunt haec

Deum velle, quatenus ejus voluntas praestandi media sufficientia proficiscitur *ex fonte infinitae bonitatis*, ratione cujus, *nisi* obstaret abusus dictorum mediorum ab eo praevisus, ipse *vellet* omnes homines bene operari ac salvari. Ex quibus patet nihil habere commune hanc quorumdam doctorum catholicorum sententiam cum damnata distinctione Calvinianorum inter voluntatem Dei *revelatam* atque voluntatem Dei *arcanam*, de qua postea.

Secundus modus eamdem declarandi.

6. Secundus modus declarandi divisionem voluntatis divinae in antecedentem et consequentem ponit duo, scilicet *a*) hanc esse divisionem voluntatis divinae non analogice sed proprie acceptae, et *b*) *terminum comparationis* respectu cujus propria atque interior Dei voluntas dicitur esse antecedens vel consequens, nullo pacto esse praevisum bonum vel malum usum liberi arbitrii, sed hunc terminum compationis esse unice *pulchritudinem ordinis* sive, accuratius loquendo, exigentias ex bono ordinis universalis emergentes. Ita Didacus Alvarez (De auxiliis div. grat., disp. 34) et post eum Neothomistae plerique omnes. Et quidem propter hoc ipsum quod hi auctores a termino prae quo voluntas Dei dicitur antecedens vel consequens, excludunt praevisum usum liberi arbitrii creati, manifestum est eos, dum talem terminum unice constituunt in exigentiis emergentibus ex bono ordinis universalis, non intendere loqui de eo quod exigit bonum ordinis universalis consequenter ad praevisum bonum vel malum usum liberi arbitrii, sed de eo quod bonum illud ordinis universalis exigit antecedenter ad praevisum eumdem bonum vel malum usum liberi arbitrii. Quamobrem voluntatem Dei antecedentem definiunt iidem auctores esse eam qua voluntas Dei versatur circa homines consideratos secundum se et absolute, h. e. (quae est explicatio horum verborum ab ipsis addita) sine iis circumstantiis quae eis, prouti sunt partes quaedam totius ordinis, *ex parte Dei* adjunguntur. Aiuntque tali sua voluntate antecedente Deum velle omnes homines bene operari et salvari. Quae sane voluntas Dei antecedens sic explicata est simplex affectus complacentiae, omnino sterilis et otiosus, quandoquidem Deus, utpote ordinator infinite perfectus, nihil operatur circa res nisi secundum quod id cernit congruere bono perfectissimo ordinis a se principaliter intento. Voluntatem vero Dei conse-

quentem definiunt iidem auctores esse eam quae respicit homines secundum omnia particularia quae eis, prouti sunt partes totius ordinis, *ex parte Dei* adjunguntur. Aiuntque Deum hac sua voluntate consequente non velle omnes homines usque ad finem bene operari et salvari, sed solummodo electos. Cur vero, stante tali modo declarationis, prima Dei voluntas dicatur antecedens, et secunda consequens, rationem iidem auctores inde assignant quod consideratio rei secundum se antecedit considerationem rei prout, ceu pars totius ordinis, habet tales vel tales circumstantias sibi adjunctas. — Arguunt porro pro hac sua sententia hunc in modum : Unumquodque, secundum quod est bonum, sic est appetibile et volitum a Deo; sed bonum particulare, h. e. aeterna salus eorum qui non sunt electi, si hi considerentur prouti sunt partes quaedam totius ordinis, non est bonum sed induit rationem mali, quia privat majore bono a Deo principaliter intento, quod est bonum totius ordinis ; ergo hoc modo aeterna salus reproborum non est appetibile et volitum a Deo. Minorem hujusce rationis generalis probant triplici ratione particulari ; scilicet — tum *a*) ex eo quod pulchritudo ordinis universi exigat omnes gradus rerum impleri, quodque idcirco necesse sit ut alii inter homines summum, alii infimum locum teneant, h. e. ut alii eorum sint electi, alii vero sint reprobi, — tum *b*) ex eo quod ad finem ordinis universi, qui est manifestatio perfectionum divinarum, non minus requiratur manifestatio justitiae divinae, quam manifestatio misericordiae divinae, — tum demum *c*) ex eo quod duorum quae ad invicem sunt contraria, unum magis enitescat ex ejus oppositione ad alterum. Unde concludunt ad majorem splendorem misericordiae divinae circa electos pertinere ut non omnes homines sint electi, sed ut multi atque adeo plerique eorum sint reprobi. His addunt *d*) auctoritates sancti Augustini ac sancti Thomae. Atque ex Augustino quidem, praeter alia multa ejus testimonia, adducunt haec ejus verba quae habet in l. IV contra Julianum, c. 8 : « Multi salvi non fiunt, non quia ipsi nolint, sed quod Deus non vult, quod absque ulla controversia manifestatur in parvulis. » De sancto vero Thoma contendunt eum ex professo tradere hanc sententiam in I^a, q. 19, a. 6, ubi ait : « Ad cujus [divisionis] intellectum considerandum

est quod unumquodque, secundum quod bonum est, sic est volitum a Deo. Aliquid autem potest esse in prima [h. e. antecedente] sui consideratione, secundum quod absolute consideratur, bonum vel malum, quod tamen, prout cum aliquo adjuncto consideratur, quae est consequens consideratio ejus, e contrario se habet. »

Tertius modus eamdem declarandi.

7. Tertius tandem atque ultimus modus praedictam divisionem declarandi est auctorum Societatis ac ceterorum Molinianorum, qui scilicet — *a*) contra assertores primae sententiae defendunt hanc esse divisionem voluntatis divinae non analogice, sed proprie acceptae, et — *b*) contra assertores secundae sententiae defendunt terminum comparationis respectu cujus voluntas Dei dicitur antecedens vel consequens, esse absolutam praevisionem boni vel mali usus mediorum salutis.

Propositio.

Divisio voluntatis divinae in antecedentem et consequentem est divisio voluntatis divinae proprie acceptae: terminus vero respectu cujus in hac divisione voluntas Dei dicitur antecedens vel consequens, est absoluta praevisio boni vel mali usus mediorum salutis.

8. In probatione huiusce propositionis perbreves erimus, ne quaestionem de voluntate Dei salvifica posthac tractandam hic ferme totam praeoccupemus.

Probatio patristica.

Probatur igitur utraque propositionis pars I° *ex auctoritate Patrum*. Docent videlicet Patres 1° voluntatem Dei antecedentem esse *veram ac proprie dictam voluntatem*, non vero voluntatem metaphoricam sive meri signi. Sic *a*) juxta Chrysostomum (in Epist. ad Ephesios, hom. 1, n. 2) voluntas antecedens et prima(τὸ θέλημα προηγούμενον καὶ πρῶτον), qua Deus vult salutem omnium hominum, est voluntas beneplaciti (εὐδοκία); immo, ipso auctore, ubique apud sanctum Paulum εὐδοκία significat voluntatem antecedentem. Magisque adhuc suam mentem declarans Chrysostomus ait voluntatem hanc Dei antecedentem esse *vehementem voluntatem nostrae salutis* (τὸ σφοδρὸν θέλημα), esse *voluntatem cum desiderio nostrae salutis* (τὸ μετ' ἐπιθυμίας θέλημα). Similia tradit *b*) Damascenus (De fide orthodoxa, l. II, c. 29). « Prima, inquit, Dei voluntas, qua omnes homines vult salvari, *antecedens*

dicitur et *beneplacitum*. » Chrysostomo pro more suo concinit etiam *c*) Theophylactus, qui in Epist. ad Ephes. I, 6 : « *Beneplacitum*, inquit, est voluntas Dei antecedens. Exempli gratia, prima voluntas Dei est ne quis pereat. » 2° Unanimi ferme ore docent Patres terminum respectu cujus voluntas Dei dicitur antecedens vel consequens, unice esse praevisionem boni vel mali usus mediorum salutis. Sic *a*) juxta Chrysostomum in Epist. ad Ephesios, hom. 1, n. 2, « duplex est causa nostrae salutis, *charitas* scilicet *Dei*, qua voluntate prima vult omnes homines salvari, et *nostra virtus*. » Cujus rationem adducit, quod, « nisi secunda haec causa requireretur, *oporteret omnes homines salvari*. » Pergit deinde sic habitum utriusque voluntatis definire : « Voluntas prima est ne pereant qui peccarunt; voluntas secunda est ut *qui facti sunt mali pereant*. Non enim eos castigat necessitas, sed voluntas. » Quocirca alio in loco (in Epist. ad Hebr. hom. 18, n. 1) docet Chrysostomus « *primam* illam voluntatem qua Deus vult omnes homines salvari, esse simpliciter *voluntatem Dei*, quia causa sic volendi unice suppeditatur ex bonitate divina; at vero secundam illam voluntatem, qua Deus non vult omnes homines salvari, non esse quadantenus *voluntatem Dei*, quia scilicet causa sic volendi non suppeditatur ex Deo, sed *unice ex malitia hominis*. » Tandem tantum abest ut juxta Chrysostomum voluntas Dei per comparationem ad pulchritudinem ordinis dicatur antecedens vel consequens, ut contra, in expositione in Ps 110, n. 2, doceat « *propter antecedentem Dei voluntatem* totum ordinem rerum a Deo conditum esse. » Juxta Chrysostomum igitur ordo rerum, in quantum procedit a Deo, totus quantus directus est ad hoc ut omnes homines salventur.— Eadem doctrina, scholasticis quadantenus formulis adstricta, perspicue traditur *b*) à Damasceno, cujus haec sunt verba in l. II, de fide orth., c. 29 : « Hoc itidem nosse oportet, Deum primo et antecedenter velle omnes salvos fieri regnique sui compotes fieri. Non enim nos ut puniret, condidit; sed, quia bonus est, ut bonitatis suae participes essemus. *Peccantes* autem puniri vult, *quia justus est*. Igitur prima illa voluntas antecedens dicitur et beneplaciti, *cujus ipse Deus causa est*; secunda autem consequens et permissio, *cujus nos sumus causa*. » — His

gemina sunt quae idem Damascenus scribit in Dialogo contra Manich., n. 79, ubi, ad illustrandam propriam rationem voluntatis Dei antecedentis et consequentis, adducit comparationem judicis humani, qui antecedenter vult omnes cives vivere, et solummodo consequenter ad facinus admissum, vult facinorosum occidi. « Sed ne nostrae quidem poenae, inquit, Deum habent auctorem. Neque enim ut improbus poenas luat, auctor est judex, etiamsi ipse volens sententiam ferat; verum is, qui facinus admisit, poenam sibi accersivit; justitiae autem, quae bona res est, causa est judex. Quantumvis enim volens judicet, *non tamen antecedente voluntate, sed consequente id facit.* Itaque voluntas antecedens de eo est, *quod quis a seipso vult;* consequens vero de eo *quod nonnisi ratione eorum quae evenerunt, vult.* Antecedenter enim Deus *ex seipso* vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire. *Nobis autem peccantibus,* utilitatis nostrae gratia vult nos castigari. Siquidem antecedens Dei voluntas bonitatis ipsius est, consequens vero justitiae. » — Eadem perhibent *c*) Theophylactus (in Epist. ad Ephes. I, 6), Oeconomius (in Epist. ad Hebr. X, 7) aliique Patres graeci in capitulo sequente addu cendi.— Ex Latinis sufficiat adduxisse s. Bernardum, qui in serm. 5 de Nativ. Domini : « Verum id quidem, inquit, cujus vult miseretur et quem vult indurat; *sed quod miseretur, proprium illi est.* Ex se enim sumit materiam et quoddam veluti seminarium miserendi. Nam quod judicat et condemnat, *nos eum quodammodo cogimus*, ut longe aliter de corde ejus miseratio quam animadversio procedere videatur. Ipsum audi dicentem : Numquid voluntatis meae est mors impii, dicit Dominus, et non magis ut convertatur et vivat? Recte igitur non pater judiciorum vel ultionum dicitur, sed pater misericordiarum, non modo quod pater videtur misereri potius quam indignari, sed eo magis quod miserendi causam et originem *sumit ex proprio*, judicandi vel ulciscendi *magis ex nostro.* »

9. Probatur II[c] ex sancto Thoma, qui propositionem nostram, quantum attinet ad primam ejus partem, sic perspicue perhibet, in qq. dispp. de Verit., q. 23, a. 3, in corp. : « Uterque istorum modorum loquendi [proprii scilicet et metaphorici] concurrit in voluntate divina. Invenitur enim

Probatio ducta ex auctoritate divi Thomae.

in Deo proprie ratio voluntatis, ut supra art. 1 dictum est, et sic voluntas de Deo proprie dicitur; et *haec est voluntas beneplaciti, quae per antecedentem et consequentem distinguitur*, ut dictum est art. praec. » Controvertitur hic quidem quidnam s. Thomas significare voluerit per *adjuncta illa*, respectu quorum asserit p. I, q. 19, a. 6, ad 1^m^, voluntatem Dei distingui in antecedentem et consequentem. At vero ex mente ipsius talia adjuncta non esse exigentias emergentes ex pulchritudine ordinis sed opera hominum bona vel mala, et sic etiam secundam nostrae propositionis partem ejus auctoritate fulciri, patet tripliciter. *Primo*, ex eo quod ubicumque s. Thomas aggreditur explicare partitionem divinae voluntatis in antecedentem et consequentem, affirmat intellectum hujus divisionis esse accipiendum ex Damasceno. Sic, in qq. dispp. de Verit., q. 23, a. 2, in corp. : « Respondeo dicendum, inquit, quod voluntas divina per antecedentem et consequentem convenienter distinguitur. *Cujus distinctionis intellectus ex verbis Damasceni est assumendus*, qui hanc distinctionem introduxit : dicit enim in lib. III (De fid. Orth., c. 39, non procul a fine), quod voluntas antecedens est acceptio Dei *ex ipso existens*, sed voluntas consequens est concessio *ex nostra causa.* » Similiter in I^a^ p., q. 19, a. 6, ad 1^m^, cujus loci sensus hic controvertitur : « Secundum Damascenum, inquit, [dictum Pauli 1 Tim. II] intelligitur de voluntate antecedente, non de voluntate consequente. Quae quidem distinctio non accipitur ex parte ipsius voluntatis divinae, in qua nihil est prius vel posterius, sed ex parte volitorum. *Ad cujus intellectum considerandum est*, etc. » Idem repetit sanctus Doctor in Sent. I, dist. 46, q. 1, a. 1, cujus loci verba mox adducemus. Porro quaenam juxta Damascenum sint *adjuncta* illa respectu quorum voluntas Dei dicatur antecedens vel consequens, ex verbis ejus supra allatis est perspicuum. — De mente sancti Thomae patet *secundo* ex eo quod in loco illo controverso I^a^ p., q. 19, a. 6, ad 1^m^, declaraturus distinctionem voluntatis divinae in antecedentem et consequentem, ipse haud secus atque Damascenus utitur comparatione judicis humani. « Sicut hominem vivere, inquit, est bonum, et hominem occidi est malum, secundum absolutam considerationem ; sed, *si addatur circa aliquem hominem quod sit homicida vel vivens in*

periculum multitudinis, sic bonum est eum occidi, et malum est eum vivere. Unde potest dici quod justus judex vult antecedenter omnem hominem vivere, sed consequenter vult *homicidam suspendi*. *Similiter Deus* antecedenter vult omnem hominem salvari, sed consequenter vult quosdam damnari secundum exigentiam suae justitiae. » Jamvero, ut ipse s. Thomas hic aperte perhibet, non consequenter *ad circumstantias* quae alicui homini adjunguntur prout est *pars reipublicae*, sed consequenter ad *male facta* alicujus hominis vult justus judex humanus talem hominem suspendi. — Tandem *tertio*, intentum patet ex eo quod s. Thomas diserte et propriis verbis tradit nostram sententiam in Sent. I, dist. 46, q. 1, a. 1 : « Respondeo dicendum secundum Damascenum, inquit, quod voluntas est duplex, scilicet antecedens et consequens, et hoc contingit non ex aliqua diversitate voluntatis divinae, sed propter diversas conditiones ipsius voliti. » Audi jam ex sancto Thoma quae sint istae diversae conditiones : « Potest enim (sic continenter pergit) in unoquoque homine considerari *a*) natura ejus et *b*) aliae circumstantiae ipsius, *ut quod est volens et praeparans se ad salutem suam, vel etiam repugnans et contrarie agens*. Si ergo in homine tantum natura ipsius consideretur, sic aequaliter bonum est omnem hominem salvari, quia omnes conveniunt in natura humana. Et quum omne bonum sit volitum a Deo, hoc etiam Deus vult ; et hoc vocatur voluntas antecedens, qua omnes homines salvos fieri vult secundum Damascenum. *Et hujus voluntatis effectus est ipse ordo naturae in finem salutis et* [*media*] *promoventia in finem omnibus communiter proposita, tam naturalia quam gratuita*, sicut potentiae naturales et praecepta legis et hujusmodi *Consideratis autem omnibus circumstantiis personae*, sic non invenitur de omnibus bonum esse quod salventur : *bonum est enim eum qui se praeparat et consentit, salvari per largitatem gratiae divinae, nolentem vero et resistentem non est bonum salvari, quia injustum est*. Et quia hoc modo se habet aliquid ad hoc quod sit volitum a Deo, sicut se habet ad hoc quod sit bonum : ideo istum hominem sub istis conditionibus consideratum non vult Deus salvari, sed tantum istum qui est volens et consentiens, ET HOC DICITUR VOLUNTAS CONSEQUENS, EO QUOD PRAESUPPONIT PRAESCIENTIAM OPERUM, non tamquam causam voluntatis, sed *tamquam rationem voliti*, ut supra

dictum est. » — Eadem est doctrina tradita a s. Doctore in qq. dispp. de Verit., q. 23, a. 2.

Solutio rationum principio factarum pro sententiis nostrae adversantibus.

10. Restat ut solvantur rationes quae supra factae sunt pro duabus sententiis thesi nostrae adversantibus

Quod attinet ad rationes factas pro prima sententia, *respondetur ad* 1^am^, repugnare quidem voluntatem, qua Deus aliquid simpliciter et absolute vult, non esse efficacem, quia hoc argueret defectum potentiae in Deo ; non tamen repugnare voluntatem, qua solummodo *sub conditione* Deus aliquid vult, non esse efficacem. Unde illud ad Rom. IX, 19 : « Voluntati ejus quis resistet, » et illud Pr. CXXXIV, 6 : « Omnia quaecumque voluit, Dominus fecit in coelo, in terra, in mari et in omnibus abyssis » (Cf. Ps. CXIII, 3 et Is. XLVI, 10), dicta sunt de voluntate consequente vel antecedente absoluta, praeter quam, ut patet ex aliis Scripturae locis, est etiam in Deo voluntas antecedens conditionata.

Respondetur ad 2^am^, repugnare quidem in Deo talem modum volendi sub conditione, in quo conditio se teneat *ex parte ipsius voluntatis*, ita ut dependenter a quadam conditione ipse *actus entitativus volendi* adsit vel non adsit in Deo ; non vero repugnare in Deo modum volendi sub conditione, quando conditio se unice tenet ex parte objecti voliti.

Respondetur ad 3^am^, quando voluntas Dei dicitur antecedens vel consequens, hoc, ut notat s. Thomas in I^a^, q. 19, a. 6, ad 1^um^, non esse accipiendum ex parte voluntatis divinae, in qua nihil est prius vel posterius, sed ex parte objecti voliti, quod diversis temporibus diversimode se habet. Unde ex hoc quod Deus antecedente sua voluntate vult Judam salvari, non est consequens ejus voluntatem ferri in objectum modo abstracto ; fertur enim in objectum secundum omnes circumstantias particulares quae pro tempore impaenitentiam ejus finalem antecedente Judae revera insunt.

Respondetur ad 4^am^, tunc solummodo contingere ut non sine displicentia quadam aliquis consequente voluntate velit oppositum illius quod vult voluntate antecedente, quando id quod antecedenter vult, est aliquid pertinens ad bonum ejus perfectum, vel est medium necessarium ad tale bonum. Unde hoc non habet locum in Deo, uti patet — tum *a*) ex eo quod salus hominis quam Deus vult voluntate antecedente, neque est aliquid pertinens ad bonum Dei perfectum, neque

etiam est medium ullo pacto conferens ad hujus boni acquisitionem vel conservationem — tum *b*) ex eo quod, licet salus hominis inserviat gloriae Dei procurandae, ipsa tamen non est medium necessarium ad talem finem, quandoquidem hunc finem Deus procurare potest tum per manifestationem suae bonitatis tum etiam per manifestationem suae justitiae. Et quidem hic posterior modus procurandi ejus gloriam est aeque aptus atque prior, dummodo non proveniat ex ipso quod hunc alium modum potius quam priorem adhibeat.

Quod vero attinet ad rationes quae adductae sunt pro secunda sententia, eae plene solvi non poterunt, nisi post tractatas quaestiones de praedestinatione ac reprobatione. Pertinent enim ad explicandum modum quo fit praedestinatio ac reprobatio, uti patet ex s. Thoma in I^{a}, q. 23, a. 5 ad 3^{um}, ex quo loco perperam intellecto eas mutuatus est Alvarez. — Interim breviter hic dicitur methodum demonstrationis ab adversariis adhibitam esse praeposteram. Non enim ex modo quo fit praedestinatio vel reprobatio, explicanda est distinctio inter voluntatem Dei antecedentem et voluntatem Dei consequentem, sed potius ex differenti ratione voluntatis Dei antecedentis et voluntatis Dei consequentis explicandus est modus praedestinationis ac reprobationis. Quam viam tenuit s. Thomas, qui praedictam divisionem voluntatis divinae prius declaraverat in I^{a}, q. 19, a. 6, quam de praedestinatione institueret agere in eadem parte, qq. 23 et 24.

Ceterum, quidquid sit de processu adversariorum, *respondetur ad* 1^{am} *eorum rationem, sic distinguendo* principium ex qua procedit : Pertinet ad pulchritudinem ordinis ut impleantur omnes ii gradus qui sunt diversi gradus ac diversi modi mediorum salutis sufficientium ; unde, si qua istorum mediorum propter malitiam hominum praevisa sint fore inefficacia, pertinet ad sapientiam Dei, ut, ratione habita boni totius ordinis, ipse relate ad hanc mediorum inefficaciam se habeat permissive, *conc.* Pertinet ad pulchritudinem ordinis ut omnes ii gradus rerum impleantur qui sunt diversi status electorum ac reproborum, *Neg.* Porro, secundum sensum traditum in primo distinctionis membro adducitur praedictum principium a s. Thoma loco superius citato, uti patet ex contextu.

Respondetur ad 2^{am}, justitiam retributivam Dei non

minus elucescere in retribuendo praemia pro bene factis quam in retribuendo poenas pro male factis; unde propter manifestationem justitiae divinae non est necesse vel magis conveniens ut non omnes sint electi sed quidam sint reprobi. Sed hoc est solummodo necesse vel conveniens *consequenter* ad praevisionem status finalis impaenitentiae quorumdam.

Respondetur ad 3^sm^, *sic distinguendo* ; Bonum comparationis est majus bonum quam bonum salutis omnium, cujus privationem supponit, ac proinde bonum illud comparationis est aliquid pertinens ad majorem manifestationem bonitatis divinae, *Neg*. Bonum comparationis est unum ex bonis propter quae, non obstantibus peccatis, salvatur perfecta manifestatio bonitatis divinae, ac proinde haec est una ex causis propter quas Deus potest permittere peccata, *Conc*. Atque haec sane responsio est juxta mentem s. Thomae qui in Sent. I^a^, dist. 46 q. 1, a. 3, ad 6^um^, de hoc bono comparationis sic decernit : « Ad sextum dicendum, quod *de omnibus malis* [etiam culpae] universaliter verum est, *quod, si non permitterentur esse*, universum imperfectius esset, quia non essent illae naturae [inter quas est maxime natura rationalis, quae est *liberi arbitrii*] ex quarum conditione est ut *deficere possint;* quibus subtractis, universum imperfectius esset, non impletis omnibus gradibus bonitatis. Sed aliqua mala [physica scilicet] sunt, quae si non essent, universum esset imperfectius, illa scilicet ad quae consequitur major perfectio quam illud quod privatur, sicut est corruptio elementorum ad quam sequitur mixtio, quandoquidem formae mixtorum nobiliores sunt formis elementorum. *Quaedam vero mala sunt, quae si non essent, universum perfectius esset*, illa scilicet quibus majores perfectiones privantur in aliquo quam in alio acquiruntur, *sicut praecipue est in malis culpae*, quae ab uno privant gratiam et gloriam et alteri conferunt bonum comparationis vel aliquam rationem perfectionis, qua etiam non habita, posset perfectio ultima haberi, sicut sine patientiae actu in persecutionibus illatis potest aliquis ad vitam aeternam pervenire. Unde, si nullus homo peccasset, *universum genus humanum melius foret*, quia, etiamsi directe salus unius occasionetur ex culpa alterius, tamen sine ulla culpa salutem consequi posset. »

CAPUT II.

—

De voluntate Dei salvifica.

11. *Voluntatem Dei salvificam* hic vocamus *voluntatem Dei antecedentem conditionatam, cujus objectum sit salus aeterna.* Supponimus autem agi de tali Dei voluntate antecedente salutis — quae 1° sit *interior, proprie dicta* ac *beneplaciti*, non vero exterior, metaphorica et signi; — quae 2°, licet conditionata, sit tamen *seria* ac *sincera*, h. e. quae non sit simplex affectus complacentiae circa salutem hominis considerati absolute, sive abstracte a conditionibus ordinis sub quibus realiter existit, sed quae *per modum solliciti desiderii* feratur in salutem hominis, prout hic est aliquid realiter existens sub concretis conditionibus praesentis ordinis; — quae 3°, quod ex secundo est consequens, non sit omnino sterilis, sed quae eo sensu sit *operosa atque adeo efficax*, quod Deus, tali voluntate impulsus, praestet homini media non solum absolute sed etiam relative sufficientia ad salutem, ita ut solummodo propter culpam hominis nolentis talibus mediis uti, contingat hanc seriam Dei voluntatem reddi inefficacem quoad proprium suum objectum; — quae tandem 4° sit *consequens ad praevisionem lapsus totius generis humani in Adamo per peccatum originale,* quaeque proinde eo solummodo sensu dicatur *antecedens* quod antecedit praevisum usum vel abusum mediorum salutis hominibus in hoc statu naturae lapsae et reparatae praestitorum. — Unde, ut ex hac quarta conditione deducitur, agitur hic de voluntate Dei antecedente, cujus *a*) fons atque ratio ex parte Dei sit *gratuita ejus misericordia*, et non tantummodo gratuita ejus bonitas, sicuti ante lapsum; et cujus *b*) primarius effectus relate ad homines sit redemptio Christi pro eorum salute oblata.

Notio voluntatis Dei salvificae.

12. Sub omnibus ac singulis modo recensitis conditionibus quaeritur hic de voluntate Dei salvifica, utrum *amplitudine sua objectiva sit simpliciter universalis.* Sive explicatius,

Status controversiae.

quaeritur hic utrum etiam consequenter ad praevisum lapsum totius generis humani in Adamo, Deus voluntate antecedente, conditionata quidem sed vera, sincera atque operosa, velit omnes homines, nemine excepto, salvos fieri. Quae quaestio, uti manifestum est, conserta est cum hac altera quaestione, utrum scilicet misericors propositum Dei redimendi et salvandi genus humanum in Christo et per Christum, quae est causa princeps hujusce ordinis reparati, antecedenter et conditionate se extendat ad omnes homines; et per consequens, utrum pretium sanguinis ac mortis Christi, quae est causa meritoria hujus reparati ordinis, a Christo Deo Patri sit oblatum pro omnibus hominibus.

Sententiae haereticorum.

13. Ad utramque quaestionem negative respondent omnes ii haeretici qui nullam in Deo admittunt voluntatem salutis, nisi circa solos electos. Huc pertinent 1° Praedestinatiani, quorum principale dogma hoc erat, Deum antecedente voluntate alios praedestinasse ad vitam, alios ad mortem. Exorta est haec haeresis versus initium seculi V[i] ex Augustini libris male intellectis, uti perhibent Prosper in Chronico et Sigebertus Gemblacensis in Chronico, ad annum 415. Damnata est in Concilio Arelatensi, cujus auctoritate Lucidus presbyter, qui ea irretitus erat, eam ejurare coactus est. Instaurata est seculo IX a Goteschalco, monacho Orbacensis monasterii, qui, ut commemorat Lugdunensis Ecclesia in libro de Tribus epistolis, inter alia docuit, « Deum non velle omnes homines salvos fieri, sed eos tantum qui salvantur : Christum non venisse ut omnes salvos faceret, nec passum esse pro omnibus, sed solum pro iis qui passionis ejus salvantur mysterio. » Porro haec atque alia dogmata Goteschalci damnata sunt *a*) anno 848 in Concilio Moguntiacensi, cui praefuit Rabanus Maurus; *b*) anno 849, quatuor editis capitulis, in Concilio Cariacensi, cui praefuit Hincmarus, Rhemensis archiepiscopus, ad quem Goteschalcus remissus fuerat; *c*) anno 855 in Concilio Valentino quatuordecim episcoporum, quod tamen maxime celebratum est contra errores Joannis Scoti Erigenae.

Ad eamdem haereticorum classem referendi sunt 2° *Calviniani*, qui vestigiis Praedestinatianorum insistentes, etiam ipsi nullam admittunt in Deo voluntatem salutis, nisi circa solos electos. Docuit scilicet et Calvinus (Instit. l. III,

cc. 21 et 22) Deum citra ullam praevisionem operum sive meritoriorum sive demeritoriorum, *antecedente atque absoluta voluntate* quosdam ex hominibus, misericordiam suam manifestandi causa, praedestinasse ad salutem aeternam, ceteros vero homines, justitiam suam manifestandi gratia, praedestinasse ad exitium aeternum atque ad hujus causas, quae sunt peccata. Quia vero, sibi non constans, modo asseruit hoc antecedens atque absolutum Dei decretum praevisione peccati originalis fuisse prius, modo vero illud eadem praevisione fuisse posterius, Calviniani, quod attinet ad hanc suae haereseos partem, bipartito secti sunt in *supralapsarios* atque *infra-lapsarios*. Atque horum quidem posteriorum sententiam synodus Dordracena, ex Calvinianis omnium regionum collecta, suis decretis confirmavit.

Quo autem qualitercumque concilient hanc suam sententiam cum iis Scripturae testimoniis quibus asseri videtur universalitas voluntatis salvificae Dei et redemptionis Christi, duplicem distinctionem Calviniani adhibent. Prima est inter *voluntatem Dei arcanam*, quam aiunt esse voluntatem Dei interiorem, qua solummodo velit salutem electorum; et *voluntatem Dei revelatam*, quam aiunt Deo solummodo signotenus competere, quatenus videlicet manifestationibus sive praecipientibus aut prohibentibus, sive promittentibus aut minitantibus, Deus exterius significet se velle salutem omnium, tametsi eam revera non velit. Secunda eorum distinctio pertinet ad redemptionem Christi, quam, quantum est *ex valore ejus intrinseco*, dicunt esse universalem, quantum vero est *ex intentione Patris mandantis et Christi offerentis*, dicunt non esse universalem, sed particularem, pro solis electis. Hinc Beza in thesibus theologicis : « Fatemur, inquit, tanti esse hanc oblationem, ut potuerit pro infinitis mundis satisfacere, nedum pro singulis hominibus unius, si Deus eorum omnium voluisset misereri et pro omnibus Filium misisset. Attamen sive *consilium Dei*, sive *passionis effectum*, sive utrumque spectaveris, pro impiis *nullo modo* est mortuus. » Eodem modo Calvinistae Batavi in specimine Amstelodamensi : « Quamvis, inquiunt, passio Christi *in seipsa* sufficiens fuerit redimendis omnibus hominibus, non est tamen ipse, *secundum consilium, mandatum et commissionem sui Patris*, mortuus pro omnibus hominibus. »

Denique 3° huc accensendi sunt *Jansenistae*, qui eatenus agnoscunt in Deo voluntatem salvificam esse universalem, quatenus haec Dei voluntas antecedit praevisionem peccati originalis; verum consequenter ad talem praevisionem, aiunt antecedentem Dei voluntatem salvandi homines pertinere ad solos electos. Ex quo patet nihil plane discrepare hanc eorum sententiam a sententia infra-lapsariorum, quae post synodum Dordracenam inter Calvinianos communis evasit. Unde, haud secus atque Calviniani, dicunt passionem Christi esse quidem in se et entitative universalem, quia infiniti est pretii, non tamen eam esse oblatam pro omnibus hominibus (Cf. Cornelii Jansenii *Augustinus seu doctrina s. Augustini*, De gratia Christi, L. III, c.20). Circa hanc haeresin Jansenianorum videsis propositiones 1am et 5am ex damnatis Jansenii, 4am ex damnatis ab Alexandro VIII decreto 24 aug. 1690, 12am, 13am, 30am, 31am, 32am et 33am ex damnatis Quesnellii in Bulla « Unigenitus, » ac tandem 18am, 19am, 20am, 21am et 22am ex damnatis synodi Pistoriensis a Pio VI constitutione « Auctorem fidei. »

Sententia orthodoxa.

14. Doctrina contra praedictas haereses asserens *a*) Deum voluntate antecedente, interiore, seria atque operosa, velle salutem non solum electorum sed etiam *aliorum quorumdam*, est *de fide*, sub hac tamen limitatione, quod in ejus enuntiatione intendatur praescindi a quaestione utrum haec Dei voluntas salvifica sit in Deo voluntas formalis, an vero virtualis atque eminens dumtaxat. Patet id ex secunda parte censurae inustae huic propositioni, quae est ultima ex quinque damnatis Jansenii : « Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse. » Censura ejus est : « Declarata et damnata uti falsa, temeraria, scandalosa, et intellecta eo sensu ut Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus sit, impia, blasphema, contumeliosa, divinae bonitati derogans et *haeretica*. » Sub eadem limitatione *b*) doctrina asserens voluntatem Dei salvificam ulterius protendi, saltem ad omnes fideles, est *fidei proxima*. Immo non immerito contenditur eam esse simpliciter de fide propter haec verba symboli Nicaeni : « Qui *propter nos homines et propter nostram salutem* descendit de caelis. » Tandem, semper sub limitatione praemissa, *c*) doctrina asserens voluntatem Dei salvificam se

extendere ad omnes omnino homines, saltem adultos, *certa est*, neque sine temeritate negari potest. Patet id tum ex 1ª parte censurae 5ᵗᵉ propositionis Jansenii, tum ex eo quod hoc in Scriptura est satis aperte expressum et communi traditione Patrum receptum, tum denique ex damnatione hujus propositionis, quae est 4ª ex proscriptis ab Alexandro VIII anno 1690 : « Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus et solis fidelibus. » Tandem *d*) jam supponendo voluntatem Dei antecedentem salvificam accipi prout non solum est virtualiter et eminenter, sed etiam formaliter in Deo, tres ac singulae assertiones hactenus positae sunt similiter *certae*. Ratio ita statuendi petitur ex modo loquendi Scripturae ac Patrum, quo aperte significatur voluntatem Dei salvificam, quoad totam suam amplitudinem, esse in Deo voluntatem formalem, et non virtualem vel eminentem dumtaxat.

Propositio.

Deus voluntate antecedente, conditionata quidem, sed vera, seria atque operosa, vult salutem omnium hominum, saltem adultorum.

15. Probatur I° *ex Scriptura*, atque inprimis ex 1 Tim. II, 1-6, qui est *locus princeps* in hac controversia respiciendus. « Obsecro igitur, inquit Apostolus eo loci, primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate. Hoc enim bonum est et acceptum coram Deo Salvatore nostro Deo, *qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire*. Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus : qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. » Duo circa haec Pauli verba spectanda sunt, scilicet 1° quaenam sit amplitudo voluntatis illius qua v. 4 Paulus asserit Deum velle omnes homines salvos fieri, et 2° quaenam sit hujusce voluntatis interna indoles. — Quod attinet ad primum, a Paulo verbis citatis doceri voluntatem Dei salvificam esse simpliciter universalem, h. e. eam ad singulos atque omnes homines, nemine excepto, extendi ; Probatio scripturistica.

patet 1° *ex verbis antecedentibus*. Propositio enim principalis, quam initio capitis enuntiat Paulus, haec est : « *Pro omnibus hominibus orandum est.* » Quia vero praeter rationes communes orandi pro omnibus, sunt erantque praesertim tempore Pauli rationes quaedam speciales, eaedemque maximi momenti, orandi pro principibus ac magistratibus, idcirco subjicit Paulus aliam propositionem particularem sub prioris universalitate jam contentam, qua scilicet praecipit orare « *pro regibus atque iis qui in potestate sunt constituti.* » Probatque illico hanc propositionem incidentem, hanc ejus subdens rationem : « *ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate.* » Deinde verbis sequentibus jam satagit probare propositionem principalem universalem quam initio enuntiaverat. Nam *a*) hoc incisum : « *Hoc enim bonum est*, » etc., non referri solummodo ad ultimum incisum proxime praecedens, sed ad universalem propositionem prius enuntiatam, colligitur ex consequentia sermonis Pauli ; ratio enim illius quod affirmat in illo inciso, continetur hisce verbis mox sequentibus : « *qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire.* » Quae ratio, uti manifestum est, maxime respicit infideles, ideoque impossibile est dicere sensum v. 3ⁱ hunc esse : Hoc quod est Christianos ducere vitam tranquillam et quietam in omni pietate ac castitate, est bonum atque acceptum coram Salvatore nostro Deo. Neque dici potest, quod opinatus est Grotius, et in idem plane recidit cum interpretatione modo exclusa, incisum causale versiculi 3ⁱ referri solummodo ad praepositionem incidentem particularem quae proxime praecesserat, ita ut sensus sit : Hoc quod est orare pro regibus, etc., est bonum, etc. Talem quippe interpretationem excludunt *a*) non solum vis rationis quam hic affert Paulus, quae omnino generalis est, sed etiam *b*) *forma grammatica verborum praecedentium*. Una scilicet eademque propositione complexa edixerat Paulus orandum esse tum generatim pro omnibus, tum speciatim pro regibus ; ideoque probatio quam subjungit versiculo 3° respicit integrum complexum hujus unius propositionis. Hinc talis efflorescit syllogismus : Omnes ii homines quos in versiculo 4° Deus dicitur velle salvare, sunt iidem omnes homines pro quibus in versiculo 1° Paulus postulat preces fidelium. Atqui hi sunt simpliciter

atque universaliter omnes omnino homines, nemine excepto. Ergo etiam omnes illi homines quos Deus vult salvare, sunt simpliciter atque universaliter omnes homines, nemine excepto. — Verum, dato etiam ex antecedentibus non satis efficaciter adstrui voluntatem salvificam de qua Paulus in versiculo 4°, esse simpliciter universalem ; nihilominus id-ipsum manifestissime arguitur 2° *ex consequentibus*. Duplici scilicet ratione ibi jam confirmat Paulus id quod versiculo 4° asseruerat, nempe *Deum velle omnes homines salvos fieri*. Prima ejus ratio inde petitur quod *unus* (h. e. communis omnium) *est Deus*. (Cf. Rom. III, 29). Unde sic : Deus, juxta Paulum, vult salvari omnes eos homines quorum ipse est Deus sive creator. Atqui Deus simpliciter et universaliter est Deus sive creator omnium omnino hominum. Ergo Deus simpliciter atque universaliter vult salvari omnes homines. Secunda ratio Pauli inde petitur quod *unus est mediator Dei et hominum homo Christus Jesus*. Circa quam rationem nota mediatorem inter duos esse eum qui cum ambobus conjungitur sive communione naturae sive communione voluntatis. Est autem manifestum ex verbis Pauli Christum ab eo vocari mediatorem, secundum quod ipse existens in natura divina in se assumpsit naturam humanam. « Unus mediator, ait, *homo* Christus Jesus. » Unde sic : Deus, juxta Paulum, idcirco vult omnes homines salvos fieri, quia ejus Verbum humanam naturam in se assumpsit. Atqui haec ratio ex aequo pertinet ad omnes omnino homines, nemine excepto. Ergo Deus, juxta Paulum, vult salvos fieri omnes omnino homines, nemine excepto. Et revera, quod asseritur in minore hujus syllogismi, mediationem scilicet Christi pertinere ex aequo ad omnes homines, id ipse Paulus aperte declarat — tum dicendo Christum *a*) esse *unum*, h. e. communem omnium mediatorem, et *b*) ipsum esse mediatorem Dei et *hominum* — tum explicatissime addendo *c*) eum dedisse redemptionem semetipsum *pro omnibus* absolute atque infinite.

Porro hanc universalem Dei voluntatem salvificam esse etiam operosam, quod est alterum eorum quae circa verba Pauli spectanda esse praemisimus, accipitur ex eo quod, auctore Paulo, Deus vi hujusce suae voluntatis — tum *a*) vult omnigenas preces fundi pro omnibus hominibus (v. 1)

— tum, quod maximum est, *b*) Filium suum misit redemptorem pro omnibus (v. 6).

Ad testimonium princeps hactenus declaratum accedunt 1° *Tres alii loci Scripturae, eidem paralleli*. Primus accipitur ex 2 Petri, III, 9. « Non tardat Dominus, inquit ibi apostolus Petrus, promissionem suam, sicut quidam existimant [h. e. sicut aiebant pseudoprophetae, de quibus ibidem vv. 3 et sqq.], sed patienter agit propter vos, *nolens aliquem perire, sed omnes ad paenitentiam converti*. » Hoc loco affirmari voluntatem Dei salvificam amplitudine sua objectiva protendi ad omnes omnino homines, patet dupliciter. Primo ex eo quod hujus propositionis utique particularis : « Deus patienter vos, *fideles*, exspectat ad paenitentiam, » ratio redditur ex hac universali sequente : « nolens aliquem perire, sed omnes ad paenitentiam converti, » quodque per consequens hujus propositionis universalitas absolute et sine ulla restrictione accipienda est, quia alioquin probatio fieret ejusdem per idem. Idem patet secundo ex eo quod in inciso modo citato, vi particulae adversativae *sed*, opponitur *omnes* ad *aliquem*, propositio universalis affirmans ad propositionem particularem negantem : inde videlicet rursum efficitur ut quod ibi edicitur, *Deum velle omnes converti*, universalissime ac sine ulla exceptione accipiendum sit. Agitur porro in textu illo Petrino de voluntate Dei salvifica quae sit actuosa, quandoquidem haec Dei voluntas adducitur tamquam causa patientiae ac longanimitatis qua Deus fideles peccantes ad paenitentiam exspectat — Secundus locus exstat apud Ezechiel. XVIII, 23, et sic habet : « Numquid voluntatis meae est mors impii, dicit Dominus, et non ut convertatur a viis suis et vivat? » Sensus hujus loci non patitur restringi ad solos impios Israelitas — tum *a*) propter vim verborum, quae universaliter efferuntur — tum *b*) quia ex generali sua voluntate conversionis Deus confirmat se velle recipere ad paenitentiam impios Israelitas. — Tertius locus, qui et ipse legitur apud Ezechielem XXXIII, 11, est persimilis praecedenti, nisi quod in eo Deus facit apostrophen ad *peccatores desperatos* atque adeo jurejurando confirmat se nolle mortem peccatoris, sed ut vivat. Sic porro habet : « Vivo ego, dicit Dominus Deus, *nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur impius a via sua et vivat*. Con-

vertimini a viis vestris pessimis, et quare moriemini, domus Israel? » Porro in utroque testimonio Ezechielis voluntatem Dei ut omnes convertantur *ad vitam*, exhiberi ut actuosam, manifestatur ex eo quod inde Deus inducitur ad hasce vehementissimas cohortationes : « Projicite a vobis praevaricationes vestras, » « revertimini et vivite, » « quare moriemini » (XVIII, 31, 32), « convertimini a vestris viis pessimis » (XXXIII, 11). Quae utique Dei cohortationes supponunt peccatoribus adesse auxilia sufficientia ad se convertendum, secus essent ineptae et ludicrae.

Accedunt 2° alii loci, in quibus Scriptura attestatur redemptionem *ex intentione Dei mittentis Filium* esse universaliter factam pro omnibus omnino hominibus. Huc apprime pertinent haec verba Christi apud Jo. III, 16-19 : « Sic Deus dilexit *mundum* [h. e. universitatem hominum], ut Filium suum unigenitum daret [en voluntatem Dei antecedentem universalem et operosam] : ut omnis qui credit in eum [en conditionem a qua pendet effectus hujus voluntatis], non pereat, sed habeat vitam aeternam. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus [universitas hominum] per ipsum. » Esse autem voluntatem Dei antecedentem ibi expressam vere universalem, manifestissimum fit ex v. 19, ubi declaratur ratio voluntatis Dei consequentis. « Hoc est autem judicium [voluntas Dei consequens puniens], quia lux venit in mundum [quia Verbum ad omnes omnino homines missum est redemptor], et dilexerunt homines magis tenebras [peccata] quam lucem [quam Verbum redimens a servitute peccati et praestans aditum ad vitam] : erant enim eorum mala opera. » Ubi edicitur propterea homines impios damnatum iri, quia beneficio redemptionis omnibus universaliter oblato uti renuerunt. Eamdem Dei antecedentem intentionem redimendi per Christum omnes homines inculcat Apostolus hisce verbis 2 Cor. V, 19 : « Quoniam quidem Deus erat in Christo, *mundum reconcilians sibi*, non reputans illis delicta ipsorum. »

Accedunt demum 3° alii loci, in quibus Scriptura attestatur pretium redemptionis *ex intentione Dei filii sanguinem suum fundentis ac morientis* oblatum esse pro omnibus hominibus. En locos praecipuos. 1 Joan., II, 2 : « Ipse est propitiatio pro peccatis nostris [*fidelium*], non pro nostris

autem tantum, *sed etiam pro totius mundi.* » Ibi evidenter vi oppositionis omnis omnino exceptio excluditur ab universalitate redemptionis. 1 Tim. IV, 10 : « In hoc enim laboramus et maledicimur, quia speramus in Deum vivum, *qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium.* » Rom. V, 15 : « Sed non sicut delictum, ita et donum. Si enim unius delicto multi [οἱ πολλοί, qui sunt πάντες ἄνθρωποι v. 12ᵇ et v. 18ᵃ] mortui sunt ; multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit (εἰς τοὺς πολλοὺς ἐπερίσσευσεν). » Abundavit scilicet in eosdem illos τοὺς πολλούς qui sunt οἱ πολλοί protaseos ; ut fit manifestum tam ex identitate verborum quam ex antithesi. Hinc saepissime in Scripturis, v. g. Jo. IV, 42, dicitur Christus *Salvator mundi* ; hinc 1 Tim. I, 15, infinite pronuntiatur de omnibus peccatoribus : « Fidelis sermo, et omni acceptione dignus, quod Jesus Christus venit in hunc mundum *peccatores salvos facere*, quorum unus ego sum. » Hinc ipse Christus apud Matth. XI, 28 : « Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis [sunt autem hi omnes omnino peccatores et infideles], *et ego reficiam vos.* » Quae sane et invitatio Christi frustranea esset et promissio reficiendi fallax, nisi Christus, *quantum in se est*, vellet omnibus hominibus pretium mortis et sanguinis sui applicari. Unde Luc. XVI, 15, jubentur Apostoli praedicare evangelium salutis *omni creaturae*.

Probatio patristica.

16. Probatur II° *ex traditione Patrum*, qui commentantes in textum Apostoli 1 Tim. II, atque in alios locos Scripturae huic textui parallelos consensu moraliter saltem unanimi nostrae interpretationi suffragantur. Perhibent scilicet voluntatem Dei salvificam, de qua in locis citatis Scripturae est sermo, esse voluntatem quam *a*) ex insita bonitate, ex seipso, sponteque sua concipiat Deus, quaeque *b*) universaliter ad omnes omnino homines extendatur ; quae insuper *c*) sit *actuosa* ita ut, quantum pertinet ad partes Dei, quantum est in Deo, omnes homines oporteret salvari ; unde *d*) concludunt Patres non aliunde contingere hanc voluntatem Dei quoad reprobos reddi inefficacem, nisi quia horum voluntas non sequitur voluntatem Dei, quia homines, quos Deus sua voluntate non cogit, nolunt salvari, quia vocati accedere nolunt, quia fraudant seipsos generali et omnibus proposito beneficio. — Sic inprimis Chrysostomus, in Ep. 1 ad Tim. II,

hom. VII, rationem reddens versiculi illius 4[1] : Hoc enim bonum et acceptum est in conspectu Dei salvatoris nostri, « Hoc, inquit, quid est? *Precari pro omnibus : hoc acceptum est Deo,* hoc ille vult : nam vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire. Imitare Deum. Si vult omnes homines salvos fieri, jure pro omnibus orandum est : si vult ille omnes salvos fieri, tu etiam velis : si vis autem, precare ; nam volentium est precari... *Dixit se Filium misisse mediatorem*, ut commonstraret se omnes velle salvos fieri... Unus enim, dixit, Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, testimonium temporibus suis. Numquid etiam, dic mihi, pro gentilibus ? Etiam... Quomodo igitur, inquies, non crediderunt? *Quia noluerunt : suas ille tamen partes implevit :* id passio testificatur, inquit. » Similiter hom. 44, de longitudine praemiorum : « Paulus ait, inquit : Qui vult omnes homines salvos fieri. Cur igitur non omnes salvi fiunt, si vult omnes salvos esse? *Quoniam non omnium voluntas illius voluntatem sequitur;* porro ipse neminem cogit. » Rursum hom. 33 in haec Christi verba dicta filiis Zebedaei apud Matth. XX, 23 : Non est meum dare vobis regnum,etc. : « Hoc manifestans, inquit, non suum esse tantummodo dare, sed et certantium esse capere. *Nam si istud ex se uno penderet, omnes utique salvi essent homines et ad agnitionem veritatis venirent.* » Cf. in Ep. ad Ephes. hom. I, n. 2, cujus loci sensus praecipuos capitulo praecedente adduximus. Chrysostomo de more consentiunt Oecumenius et Theophylactus. Damasceni vero explicationem textus Paulini ex L. II de fide orthodoxa, c.29, similiter capite praecedente jam adduximus. Sed et ceteri Patres Graeci uno ore eamdem interpretationem tradunt, ut videre est v.g. apud Justinum,lib. de Resurr. (ap.Damasc. in eclog., lit. A), Clementem Alexandr., in fine Protreptici et in initio L.VII Stromaton, Methodium, L. de Resurrect.(ap. Oecumenium, in cap. IX Ep. ad Rom.), Basilium,hom. in Ps.XXIX. Omittimus hic nominare Origenem, cujus auctoritas in re praesenti suspecta videri posset.

Ex Latinis qui Augustino superiores vel compares extiterunt, sufficiat adduxisse Paulinum, s. Ambrosium et s. Hieronymum. Ac *a*) Paulinus quidem, Nolanus episcopus, in ep.

24 ad Severum : «Christus, inquit, omnibus dicit : Venite ad me, onerati et laborantes, et invenietis requiem animabus vestris. Omnem enim, *quantum in ipso est*, hominem salvum fieri vult, qui fecit omnes.» — *b*) Ambrosius vero in lib. II de Abele et Caino, c. 3 : «Omnibus, inquit, Christus opem sanitatis detulit, ut quicumque perierit, mortis suae causas sibi adscribat, *qui curari noluit, quum remedium haberet quo posset evadere;* Christi autem manifesta in omnes praedicetur misericordia, eo quod ii qui pereunt, sua pereunt negligentia, qui autem salvantur, *secundum Christi sententiam liberentur, qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire.*» Itidem in enarrat. in Ps. LXXII, in haec verba: Quam bonus Israel Deus rectis corde! «Non ergo omnibus, inquit, bonus est Deus? *Ille quidem omnibus bonus est, quia salvator est omnium, maxime fidelium.* Et ideo venit Dominus Jesus, ut salvum faceret quod perierat. Venit enim ut peccatum mundi tolleret, vulnera nostra curaret. Sed quia non omnes medicinam expetunt, sed plerique refugiunt, ne medicamentis compungatur vis ulceris : ideo volentes curat, non adstringit invitos.» — *c*) Hieronymus tandem in Ep. ad Eph., c. I : «Vult, inquit, Deus ea quaecumque sunt plena rationis atque consilii. Vult salvari omnes et in agnitionem veritatis venire. *Sed quia nullus absque propria voluntate salvatur* (liberi enim arbitrii sumus), vult nos bonum velle, ut, *quum voluerimus, velit in nobis et ipse suum implere consilium.* — De s. Augustino ejusque discipulis mox speciatim dicetur.

Probatio ducta ex decretis conciliorum.

17. Patrum traditioni consonant decreta Conciliorum, tum particularium celebratorum in causis Lucidi ac Goteschalci, tum universalis Tridentini. — 1) In epistola quam de Concilii Arelatensis auctoritate (a. 475) Faustus, Regiensis episcopus, scripsit ad Lucidum presbyterum, sexta propositio, quae Lucido sub anathemate ejuranda indicitur, haec est : «Anathema illi qui dixerit quod Christus non pro omnibus mortuus est, nec omnes homines salvos esse velit.» — 2) Concilii Carisiaci, praeside Hincmaro Rhemensi contra Goteschalcum celebrati, est capitulum III : «Deus omnipotens omnes homines sine exceptione vult salvos fieri, licet non omnes salventur : quod autem quidam salvantur, salvantis est donum; quod autem quidam pereunt, pereuntium est meritum.» Caput vero IV ejusdem Concilii est : «Christus

Jesus, Dominus noster, sicut nullus homo est, fuit et erit, cujus natura in illo assumpta non fuerit, ita nullus est, fuit vel erit, pro quo passus non fuerit, licet non omnes passionis ejus mysterio redimantur. »

Nec auctoritati praedicti Concilii obstat *a*) quod contra capitula in eo sancita illico insurrexit Ecclesia Lugdunensis — tum in Concilio Lugdunensi, ubi, praeside s. Remigio, archiepiscopo Lugdunensi, expresse definitum est « Christum pro impiis ac reprobis passum non esse, sed solum pro electis » — tum in duobus libris quos scripsit s. Remigius, unum quidem « de tenenda veritate Scripturae, » alterum vero « de tribus epistolis. » Nec magis obstat *b*) quod haec confirmans Synodus Valentina trium provinciarum Lugdunensis, Viennensis atque Arelatensis, canone suo quarto damnavit Capitula Carisiaca « propter inutilitatem vel etiam noxietatem et errorem contrarium veritati? » ibidemque sancivit « Christum non esse mortuum pro illis impiis qui a mundi exordio usque ad passionem Domini in sua impietate mortui sunt, sed solummodo pro iis de quibus ipse Dominus dicit : Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam. » Nec denique obstat *c*) quod haec decreta Synodi Valentinae quadriennio post confirmata fuerunt in aliis duobus conciliis, Lingonensi et Tullensi I. Haec, inquam, auctoritati concilii Carisiaci non obstant : nam in concilio Tullensi II quatuordecim provinciarum, quod in exitu totius hujus causae, praesente Hincmaro, celebratum est, licet rursum confirmati sint canones Valentini, erasa est tamen censura capitulorum Carisiacorum et sic implicite agnitum est dissensionem inter Hincmarum et Ecclesiam Lugdunensem non fuisse de re, sed de verbis. Videlicet quod de antecedente Dei voluntate edixerat Concilium Carisiacum, Patres Concilii Valentini ac subsequentium Conciliorum intellexerunt de voluntate Dei consequente, ut satis patet ex verbis Concilii Valentini, quae supra citata sunt. — 3) Concilium Tridentinum, sess. VI, postquam in fine capitis II citavit verba ep. 1 Joa. II, 2 : Ipse est propitiatio, etc., sic pergit capite III : « Verum, etsi *ille pro omnibus mortuus est*, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt. » — His adde propositiones damnatas supra adductas.

CAPUT III.

De extensione voluntatis Dei salvificae ad parvulos sine baptismo decedentes.

Difficultas quae contra universalitatem voluntatis salvificae movetur ex sorte parvulorum absque baptismo decedentium.

18. Contra sententiam asserentem voluntatem Dei salvificam antecedentem sese universaliter extendere ad omnes homines sine ulla exceptione, duae moventur difficultates graviores, quarum una petitur ex sorte parvulorum absque baptismo decedentium, altera vero ex auctoritate Augustini ac Patrum latinorum qui Augustinum subsecuti sunt. De posteriore hac difficultate dicetur capite sequenti. Nunc de difficultate priore. Ea est hujusmodi : De parvulis qui absque baptismate moriuntur, impossibile est contendere Deum habere voluntatem antecedentem, conditionatam quidem sed seriam, eos salvandi. In tantum enim *a*) haec voluntas est *seria*, in quantum est praestitiva mediorum vere, h. e. proxime et complete sufficientium ad salutem. Sed talia media, quae in casu parvulorum reducuntur *ad expeditam facultatem eis administrandi baptismum*, Deus non praestat praedictis parvulis. Nam quod plurimi ipsorum non recipiant baptismum, hujus causa non solum non sunt ipsi parvuli, sed neque sunt ipsorum parentes vel alii homines, sed unica hujus causa est Deus, qui parvulos adhuc in utero matris gestatos vel vixdum in lucem editos ex hac vita eripit, priusquam data sit potestas eis administrandi baptismum. Unde *b*) deficit in casu dictorum parvulorum *conditio* e qua suspendi dicitur voluntas Dei antecedens, et per consequens deficit in eo casu *terminus comparationis* per respectum ad quem possibile est esse in Deo voluntatem antecedentem differentem a voluntate consequente. Talis enim *conditio* et talis *terminus comparationis*, uti antea ostensum est, est *bonus vel malus usus mediorum salutis a Deo praestitorum*. Horum porro neutrum ponitur in casu eorum parvulorum quibus impossibile est administrari baptismum. Non est ergo in Deo voluntas antecedens salvandi hujusmodi parvulos.

19. In hujus difficultatis solutione duo distinguere oportet. Quorum primum pertinet *ad quaestionem facti* : utrum videlicet testimonium Paulinum 1 Tim. II, 4, et alia testimonia, quae capite superiore ex Scriptura adducta sunt, intelligenda sint non solum de voluntate salvandi omnes adultos, sed etiam de voluntate salvandi omnes omnino parvulos. Alterum vero duorum hic distincte tractandorum pertinet *ad quaestionem de modo* : quomodo videlicet, si forte probatum fuerit voluntatem Dei salvificam, qualis in Scriptura asseritur, se extendere ad omnes omnino parvulos, possibile sit conciliare hanc doctrinam Scripturae cum experientia quae manifeste videtur ostendere contrarium.

Distinctio inter quaestionem de sensu testimonii Paulini et quaestionem de modo conciliandi hoc testimonium cum factis experientia compertis.

20. Quod igitur attinet ad primum duorum praedictorum, sententia est Vasquezii (in I^{am} p., disp. 96, c. 3, n. 10), testimonium Paulinum intelligendum esse de solis adultis, quia, quod spectat ad parvulos sine baptismo decedentes, Deus consequenter ad peccatum originale non habeat voluntatem antecedentem eos salvandi. Quod probare nititur Vasquez ex ipso textu Paulino, ubi sub eadem universalitate objectiva asseritur Deus duo velle, scilicet *a*) salutem et *b*) conditionem necessariam ad salutem, quae est *agnitio veritatis*. Quum igitur, inquit, hoc posterius nequeat intelligi nisi de adultis, quippe qui soli sint capaces illius conditionis, quae est agnitio veritatis, etiam prius illud, nempe hoc quod est Deum velle salutem omnium hominum, de solis adultis intelligendum est. Unde concludit illos *omnes*, quos juxta Paulum Deus vult salvare, non esse nisi omnes adultos.

Sententia negans voluntatem Dei salvificam se extendere ad parvulos sine baptismo decedentes.

Refellitur tamen haec sententia tum *a*) ex eo quod repugnat contextui versiculi 4^{i} cum antecedentibus et consequentibus; tum ulterius *b*) ex eo quod nihil prohibet quominus una eademque propositione complexa Apostolus duo complexus sit : voluntatem scilicet salutis pertinentem ad omnes homines simpliciter, et voluntatem *agnitionis veritatis* restrictam ad omnes adultos, qui soli hujus conditionis sunt capaces. — Nec obstat quod unum idemque est nomen ad quod referuntur haec duo : *salvos fieri* et *venire ad agnitionem veritatis*. Potest enim in una eademque propositione unum idemque nomen, secundum diversam suam capicitatem suscipiendi diversa praedicata, accipi nunc sensu universali, nunc sensu restricto. Quo modo v. g. in praecepto Christi apud

Ejus improbatio.

Matth. XVIII, 69: «Docete omnes gentes, baptizantes eos,» et apud Marc. XVI, 16 : « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit,» licet, spectata forma grammaticali enuntiationis, iidem sint qui jubeantur ex parte quidem Apostolorum doceri et baptizari, ex parte vero ipsorummet credere et suscipere baptismum; attamen solum praeceptum baptismi pertinet ibi simpliciter ad omnes, praeceptum vero docendi ex parte Apostolorum et praeceptum credendi ex parte infidelium restringitur ibi ad adultos. Omisso tamen hoc explicationis modo veluti parum probabili, verius et efficacius refellitur Vasquez *c*) ex eo quod in textu Apostoli, sicuti *aeterna salus*, ita etiam *agnitio veritatis*, prouti haec est objectum voluntatis antecedentis, pertinet simpliciter ad omnes omnino homines, diversimode tamen, quia sensu proprio pertinet ad adultos, sensu vero accommodato ad ceteros. Vult scilicet Deus adultos venire ad agnitionem actualem veritatis per actualem fidem, parvulos vero vult venire ad agnitionem *quasi habitualem* veritatis per susceptum habitum fidei in baptismo. Quo modo etiam in testimoniis proxime adductis ex Matthaeo et Marco explicanda sunt praeceptum docendi ex parte Apostolorum et praeceptum credendi ex parte infidelium, quatenus haec se extendunt ad omnes baptizari jussos.

Sententia asserens conditionem qua conditionatur voluntas salvifica, esse quoad aliquot parvulos eventus ordinis naturalis.

21. Quod jam attinet ad alteram quaestionem hic solvendam, scilicet ad *quaestionem de modo*, sunt de hoc variae theologorum hypotheses plus minusve probabiles. — *Prima* est sententia asserentium *conditionem* qua, quantum attinet ad parvulos, conditionatur voluntas Dei salvifica antecedens, esse eventus duplicis ordinis, ordinis scilicet causarum naturalium et ordinis causarum liberarum. Putant scilicet auctores hujus sententiae ex solo facto libertatis aliorum hominum (quod scilicet hi negligunt gratiam baptismatis vel applicare parvulo vel impetrare pro parvulo) non sufficienter explicari cur quidam parvuli sine baptismo decedant; ideoque quoad aliquos parvulos dicunt conditionem dependenter a qua Deus vult ipsorum salutem, esse unice *applicabilitatem baptismi*, *quantum haec adest per eventus ordinis physici*. Juxta eos igitur voluntas Dei antecedens relate ad parvulos esset hujusmodi : Volo omnes parvulos salvos fieri, ideoque volo eos omnes baptizari, si quoad ali-

quos parvulos non intervenerit impedimentum ex parte causarum liberarum, et si quoad alios parvulos non intervenerit impedimentum ex parte causarum naturalium. Atque huc trahunt verba Augustini in Op. imperf. contra Jul., c. VI, n. 12 (cf. de Grat. et lib. arb., n. 44), quae tamen revera huic sententiae non favent : « Videmus aliquando bene meritis fidelibus non concedi filios suos ut sint in regno Dei cum parentibus suis, sed non regeneratos parvulos exire de hac vita, dum nonnunquam, et ipsis suis parentibus ardenter desiderantibus et ministris sacramentorum alacriter festinantibus, ab omnipotentissimo et misericordissimo Deo non differtur paululum mors eorum, ut Christianorum nati exeant hinc renati. »

Ejus improbatio.

Improbatur autem haec sententia quoad posteriorem ejus partem ex eo quod ille qui vult aliquid *sub conditione quam ipse solus potest ponere et quam non vult ponere*, non vult illud serio, h. e. prosecutive, sed solummodo affectu simplicis complacentiae. Et ratio sic dicendi patet, quia voluntas seria est solummodo illa, vi cujus, quantum est ex parte volentis, ponuntur onnes conditiones, si minus necessitantes, saltem sufficientes ad obtinendam rem volitam. — Nec juvat dicere *a*) Deum consequenter ad praevisionem peccati originalis propter justissimas causas voluisse solummodo restitutionem ordinis primaevi supernaturalis, non vero restitutionem ordinis primaevi praeternaturalis. Quantum porro est per media salutis ordinis supernaturalis, eum aeque consuluisse parvulis sine baptismo decedentibus atque ceteris, quia haec media sunt universaliter instituta pro omnibus. Non juvat sic dicere, inquam ; quia sic revera ponitur Deum relate ad dictos parvulos non voluisse praebere media vere, h. e. complete suffcientia : non enim media ordinis supernaturalis sunt proxime sufficientia sine possibilitate ea applicandi per media ordinis naturalis. Dicere autem *propter justissimas causas* Deum noluisse restituere ordinem praeternaturalem, et nihilominus supponere absque hujus ordinis restitutione esse antecedenter impossibile omnes parvulos ad baptismum venire, hoc est simpliciter dicere Deum propter justissimas causas non habere voluntatem antecedentem de salute parvulorum.— Unde *b*) non juvat etiam dicere Deum se habere mere *permissive* relate ad impedimenta

suscipiendi baptismum provenientia ex ordine causarum naturalium; quia ad id quod *necessario* sequitur ex operatione agentis, agens non se habet permissive, sed ipse illud *indirecte causat*.

Sententia asserens conditionem qua conditionatur voluntas Dei salvandi parvulos, esse diligentiam aut bona opera parentum curatorumve.

22. Secunda est sententia asserens conditionem qua relate ad parvulos sine baptismo decedentes conditionatur Dei voluntas salvifica antecedens, esse liberas actiones parentum vel etiam eorum ad quos pertinet loco parentum gerere curam infantium. Juxta auctores igitur sic sentientes unice propterea contingit quosdam infantes sine baptismo decedere, quia parentes curatoresve aut noluerunt aut certe neglexerunt infantulos, priusquam decederent, lavacro regenerationis abluendos tradere, quum id possent; aut, si hujus expeditam facultatem non habuerunt, quia ipsi gratiam baptismatis infantulis impetrare omiserunt. Defenditur autem haec sententia tum aliis rationibus quae mox afferentur pro sententia sequente, tum auctoritate auctoris librorum de Vocatione omnium gentium, qui eam sic exponit L. II, c. 23 : « Quum quaerimus quomodo omnes homines salvos fieri velit, qui non omnibus illud tempus impertit in quo per voluntariam fidem percipiendae gratiae sint capaces, non irreligiose arbitror credi neque inconvenienter intelligi quod isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiae partem quae semper universis est impensa nationibus, qua utique si bene eorum uterentur parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur. Omnia namque exordia parvulorum totaque illa principia necdum rationalis infantiae sub arbitrio jacent voluntatis alienae, nec ullo modo eis nisi per alios consuli potest, ideoque consequens est illos ad eorum pertinere consortium quorum vel recto vel pravo aguntur affectu. Sicut enim ex aliena confessione credunt, ita ex aliena infidelitate aut *dissimulatione* non credunt; et quum ipsi nec praesentis vitae desiderium habuerunt nec futurae, quam ipsorum [i. e. parentum] factum est nasci, tam ipsorum efficitur non renasci. »

Ejus improbatio.

De hac sententia dicendum est eam, licet accedat ad veritatem, non tamen hanc assequi, quia nimis restringit conditionem a qua ait dependere salutem parvulorum, dicendo hanc esse unice diligentiam precesve parentum atque curatorum. Nam, uti in testimonio pro prima sententia adducto

dicentem audiebamus Augustinum, saepissime contingit, non obstantibus sollicitudine atque instantissimis precibus parentum, infantulum mori ante susceptum baptismum.

Sententia asserens conditionem qua conditionatur voluntas Dei salvandi parvulos, esse bona opera aliorum hominum.

23. Tertia denique est sententia asserens conditionem a qua pendet salus parvulorum sine baptismo morientium, non solum esse diligentiam atque orationes immediatorum parentum, sed etiam orationes sanctamque vitam ascendentium, tum, si hoc non sufficit, etiam aliorum hominum, maxime fidelium. Potestque magis determinate explicari haec sententia dicendo Deum modo nobis occulto alligasse salutem hujus v. g. determinati infantuli orationibus sanctisque operibus aliquorum determinatorum hominum, maxime ex numero ascendentium vel fidelium, eodemque modo eum egisse circa unumquemque aliorum parvulorum de quibus hic agitur.

Multiplex ejus probatio.

Sic porro explicata haec sententia non solum defenditur auctoritate auctoris superius citati librorum de Vocatione omnium gentium, sed insuper *a*) eo quod talis voluntas conditionata de salute parvulorum *proportionatur conditioni parvulorum*, qui, quum nihil adhuc possint per arbitrium proprium, non incongrue putantur pendere in negotio suae salutis ab arbitrio aliorum hominum ; tum *b*) *analogia ordinis naturalis et manifestae experientiae*, quae ostendit non solum quoad vitam corporalem, sed etiam quoad multa attinentia ad salutem, infantulos totos quantos pendere ab arbitrio alieno; tum *c*) *analogia fidei*, quae docet sic primitus a Deo actum esse cum toto genere humano necdum nato, quaeque insuper in Symbolo docet esse *communionem sanctorum;* quia, ut inculcat Paulus (Rom. XII, 4-5, 1 Cor. X, 17, XII, 12-14, XV, 16-27, Eph. IV, 4, V, 30, Coloss. III, 15), « unum corpus ex omnibus coalescit » oportetque « ut pro invicem membra sint sollicita ; » tum denique *d*) ipsis verbis testimonii Paulini 1 Tim, II, unde probatur voluntas Dei salvifica universalis. Manifestum est enim ex verbis Pauli orationes fidelium ingredi conditionem illam a qua pendet effectus voluntatis Dei salvificae. Quo etiam pertinent verba haec Jac. V, 16 : « Orate pro invicem, *ut salvemini;* multum enim valet oratio justi assidua. »

Nec obstat quod, stante praesenti ordine causarum naturalium, necesse est multos infantulos absque baptismate mori, non obstantibus orationibus quorumcumque hominum

qnae pro eis fiant. Dupliciter enim ad hoc responderi potest. *Primo*, negando id quod supponit tale argumentum, Deum scilicet independenter a praevisione orationum quae futurae erant, praesentem ordinem causarum naturalium induxisse. Talem nempe Deus elegit ordinem causarum naturalium per cujus naturales eventus infantuli circa quos conditio orationis implenda praevidebatur, pervenirent ad baptismum, alii vero non pervenirent. *Secundo* ad objectionem factam responderi potest dicendo Deum miraculose impedire effectum causarum naturalium quoad eos infantulos de quibus praevidit conditionem orationis adimpletum iri. Quemadmodum in casu haud dispari infidelis adulti qui ex parte suae liberae voluntatis nullum obicem posuit, docet s. Thomas, Deum, si opus sit, missurum esse angelum quo infidelis ille ad fidem et salutem pervenire possit.

CAPUT IV.

De sententia s. Augustini circa voluntatem Dei salvificam.

—

24. Concedunt omnes, tam Janseniani quam Catholici, ab Augustino nondum episcopo traditam esse verborum Pauli 1 Tim. II, 4, explicationem simpliciter universalem. Verum quaestio est utrum Augustinus jam episcopus in ea sententia permanserit, praesertim ab initis controversiis cum Pelagianis ac Semipelagianis. Negat hoc Jansenius L. III de Gratia Christi, c. 20, ubi ait sententiam quam aliquando tenuit s. Augustinus de voluntate Dei salvifica universali, pertinere ad errorem Semipelagianorum, quo s. Augustinus L. de Praed. sanct., c. 3, n. 7, fatetur se ante episcopatum suum irretitum fuisse. Ratio ejus praecipua est, quod s. Augustinus post episcopatum jam susceptum constanter exposuit testimonium s. Pauli de voluntate Dei coarctata ad solos electos. Revera tres ejusmodi expositiones testimonii Paulini traditae sunt ab Augustino episcopo. *Prima* expositio est per *distributionem aequivalenter negativam*, hoc modo : Deus vult omnes homines salvos fieri, h. e. nemo salvatur, nisi Deo volente; sive aliter : quotquot salvantur, Deo volente salvantur. Quo modo dicitur de magistro qui unicus est in aliqua civitate : Iste magister docet omnes pueros civitatis, non quod revera omnes omnino pueros doceat, sed quia nemo docetur nisi ab ipso. Ita s. Augustinus in Enchirid., c. 103; contra Jul. L. IV, c. 8, n. 42; in ep. ad Vital. 217, c. 6, n. 19; L de Praed. sanct., c. 8, n. 14. — *Secunda* expositio est per *distributionem accommodam*, ita ut quod docet Apostolus : Deus vult omnes homines salvos fieri, intelligendum sit non de *singulis generum* sed de *generibus singulorum*. Ita docet Augustinus in Enchirid, c. 103, nn. 27 et seq., et L. de Corr. et gratia, c. 14, n. 44. — *Tertia* expositio est *causalis*, hoc modo : Deus vult omnes homines salvos fieri, h. e. Deus facit nos

Tres expositiones particulares testimonii Paulini ab Augustino jam facto episcopo traditae.

velle omnes homines salvos fieri. Ita Augustinus de Civ. Dei, L. XXII, c. 3, et de Corr. et gratia, c. 15, n. 47.

Propositio.

S. Augustinus jam episcopus, atque adeo post jam inchoatam contentionem cum Pelagianis, perspicue docuit pristinam suam sententiam de seria Dei voluntate salvifica extensa ad omnes omnino homines; in tribus vero particularibus expositionibus textus Paulini, quas postea superaddidit, ea inseruit vel praesupposuit quae hanc voluntatem Dei salvificam universalem non obscure innuunt. Hae proinde posteriores expositiones respectu primae non sunt ex ejus mente accipiendae *exclusive*, neque etiam *disjunctive*, sed *conjunctive* sive *cumulative*.

Probatio ostendens Augustinum etiam post susceptum episcopatum docuisse voluntatem Dei salvificam extendi ad omnes omnino homines.

25. PROBATUR PRIMA PARS duobus praesertim testimoniis ex operibus s. Augustini jam facti episcopi depromptis. Quorum prius exstat in L. de Catechizandis rudibus, c. 26, n. 52. Scriptus est hic liber ab Augustino a. 400, quinquennio ferme ab episcopali ordinatione suscepta. Porro eo tempore s. Augustinus jam dudum exuerat errorem qui postea dictus est Semipelagianorum, uti patet ex eo quod, ut ipse tradit L. de Praed. sanct., c. 4, n. 8, hunc ipse errorem in L. I ad Simplicianum jam refutaverat. « Invenissent, inquit ibi, istam quaestionem [de initio fidei et de commendanda gratia divina] *secundum veritatem divinarum Scripturarum solutam* in primo libro duorum quos ad beatae memoriae Simplicianum scripsi. » Scripti sunt autem duo libri ad Simplicianum a. 397, *tribus ferme annis* ante opus de Catechizandis rudibus.

His praemissis circa firmitatem testimonii quod ex hoc ultimo opere accipitur, illud jam citandum est. Est autem tale : « Vere, frater, illa magna et vera beatitudo est, quae in futuro seculo sanctis promittitur. Omnia vero visibilia transeunt, et omnis hujus seculi pompa et deliciae et curiositas interibunt et secum in interitum trahunt amatores suos : a quo interitu, h. e. poenis sempiternis, *Deus misericors volens homines liberare, si sibi ipsi non sint inimici et non resistant misericordiae creatoris sui, misit Unigenitum Filium suum.* » En voluntatem generalem conditionatam perspicue traditam ab Augustino, uti patet tripliciter, scilicet

a) ex eo quod docet objectum hujusce voluntatis esse indefinite homines interitui aeterno obnoxios, qui proculdubio sunt omnes omnino posteri Adae; *b*) ex eo quod docet hanc voluntatem esse *conditionatam*, dum voluntas salvifica restricta ad solos electos non posset esse nisi absoluta ; ac denique *c*) ex eo quod docet hanc voluntatem conditionari hac conditione : si homines ipsi sibi non sint inimici, si misericordiae sui creatoris non resistant, sive aliis verbis : *si homines velint*. Hanc porro conditionem in opere Retractationum, quod scripsit in fine suae vitae, docet esse positam in potestate omnium omnino hominum. Retractans enim ibi L. I, c. 10, n. 2, id quod dixerat L. I de Gen. cont. Manich., c. 3 : « Se ad ejus praecepta convertunt, quod *omnes* homines possunt, *si velint* ; » sic hunc locum explicat : « Non existiment novi haeretici Pelagiani secundum eos esse dictum ; *verum est enim omnino omnes homines hoc posse, si velint ;* sed praeparatur voluntas a Domino. »

26. *Secundum testimonium*, illudque praecipuum, accipitur ex L. de Spir. et litt., c. 33, nn. 57-60. Scripsit hoc opus Augustinus episcopus a. 412, quo haeresis Pelagiana non solum jam in publicum vulgata erat, sed eodem hoc anno, accusante Paulino, jam proscripta fuerat in persona Coelestii a concilio Carthaginensi. Immo et ipse Augustinus contra hanc haeresin jam antea scripserat eodem hoc anno 412 tres libros de Peccatorum meritis et remissione. Adde illud ipsum opus de Spiritu et littera de quo modo agimus, contra Pelagianos esse scriptum : de eo enim testatur Augustinus in Retract., L. II, c. 37, se in eo acriter disputasse contra inimicos gratiae divinae qua impius justificatur. Porro in testimonio plane irrepudiabili quod ex eo opere jam adducendum est, quinque veluti partes distinguere oportet.

In prima parte, n. 57, Augustinus proponit discutiendam hanc quaestionem : Utrum initium fidei sit donum Dei, an vero ipsum sit ex solis viribus liberi arbitrii naturalis. Ex utrovis porro modo solvendi quaestionem ostendit s. Doctor oriri difficultatem. Nam, uti ibi argumentatur, si dicatur bonam voluntatem credendi esse ex nudo libero arbitrio naturali, falsificatur dictum Apostoli 1 Cor. IV : Quid habes quod non accepisti? Si vero dicatur ipsam adeo bonam voluntatem amplectendi fidem esse donum Dei, videntur infideles,

se posse juste excusare, dicentes idcirco se non credidisse, quia Deus ipsis bonam voluntatem credendi non dedit. Et sic videtur etiam falsificari aliud dictum Apostoli testantis 1 Tim. II, Deum velle omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire. En ipsa verba Augustini : « Sed consequens est paululum quaerere utrum voluntas illa qua credimus, etiam ipsa Dei donum sit, an ex illo naturaliter insito libero adhibeatur arbitrio. Si enim dixerimus eam non esse donum Dei, metuendum est ne... (contra Apostolum 1 Cor. IV) respondere possimus : Ecce habemus voluntatem credendi, quam non accepimus... Si autem dixerimus etiam ejusmodi voluntatem non esse nisi donum Dei, rursus metuendum est ne infideles atque impii non immerito se veluti juste excusare videantur, ideo non credidisse, quod dare illis Deus istam noluit voluntatem. Nam illud quod dictum est : Deus est enim qui operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate, *jam gratiae est quam fides impetrat*, ut possint esse hominis opera bona, quae operatur fides per dilectionem quae diffunditur in corde per Spiritum Sanctum qui datus est nobis. Si credimus, ut impetremus hanc gratiam, et utique *voluntate* credimus, *de hac quaeritur unde sit nobis*. Si natura, quare non omnibus...? Si dono Dei, etiam hoc quare non omnibus, *quum omnes homines velit salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire ?* »

In secunda parte, n. 58, quaestionem praedictis verbis a se propositam jam solvere instituit Augustinus. Est porro ejus solutio ejusmodi : Ex una parte bona voluntas credendi est donum Dei, quia non est ex nudo libero arbitrio, sed ex libero arbitrio adjuto per gratiam; ex alia tamen parte infideles sunt inexcusabiles, quando non credunt, quia Deus ex seria voluntate salutis omnium, gratiam sufficientem ad credendum omnibus praestat, talem tamen quae possit reddi inefficax propter dissensum liberi arbitrii, quod gratia Dei non adimit. En ejus verba : « Prius igitur illud dicamus et videamus utrum huic satisfaciat quaestioni, quod liberum arbitrium naturaliter attributum a Creatore animae rationali illa media vis est quae vel intendi ad fidem vel inclinari ad infidelitatem potest, et ideo nec istam voluntatem qua credit Deo, dici potest homo habere quam non acceperit, quandoquidem, *vocante Deo surgit de libero arbitrio*, quod natura-

liter, quum crearetur, accepit. *Vult autem Deus omnes homines salvos fieri et in agnitionem veritatis venire, non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo bene vel male utentes justissime judicentur.* Quod quum fit, infideles quidem *contra voluntatem Dei faciunt*, quum ejus Evangelio non credunt... experturi in suppliciis potestatem ejus cujus in donis misericordiam contempserunt. Ita voluntas Dei semper invicta est; vinceretur autem, si non inveniret quod de contemptoribus faceret aut ullo modo possent evadere quod de talibus ille constituit. Qui enim dicit, verbi gratia : Volo ut hi omnes servi mei operentur in vinea et post laborem requiescentes epulentur, ita ut quisquis eorum hoc noluerit, in pistrino semper molat; videtur quidem quicumque contempserit, contra voluntatem domini sui facere; sed tunc eam vincet, si et pistrinum contemnens effugerit : quod nullo modo fieri potest sub Dei potestate. Unde scriptum est : Semel locutus est Deus, h. e. incommutabiliter : quamquam et de unico Verbo possit intelligi. Deinde subjungens quid incommutabiliter sit locutus : Duo haec, inquit, audivi, quoniam potestas Dei est, et tibi, Domine, misericordia, quia tu reddes unicuique secundum opera sua (Ps. LXI. 12, 13). Ille igitur reus erit ad damnationem sub potestate ejus, qui contempserit ad credendum misericordiam ejus. Quisquis autem crediderit eique se a peccatis omnibus absolvendum et ab omnibus vitiis sanandum et calore ac lumine ejus accendendum illuminandumque commiserit, habebit ex ejus gratia opera bona, ex quibus etiam secundum corpus a mortis corruptione redimatur, coronetur bonisque satietur non temporalibus sed aeternis, supra quam petimus et intelligimus. » En habes hic perspicuis verbis assertam explanatamque ab Augustino voluntatem antecedentem salutis sese extendentem ad omnes ac singulos adultos tam infideles quam fideles. Nam nulla exceptione posse coarctari ex mente s. Augustini hanc Dei voluntatem, patet 1° ex difficultate quam in quaestione proponenda moverat, quae ex aequo procedebat de omnibus ac singulis infidelibus. Patet idem 2° ex ipsis verbis solutionis. Nam Deus juxta Augustinum vult salvos fieri omnes homines *bene vel male utentes libero arbitrio*, qui certe sunt omnes ac singuli adulti; itidem infideles, juxta ipsum, non credendo, agunt *contra voluntatem Dei* eos salvandi ; denique id-

circo iidem in suppliciis justissime excruciabuntur, quia *dona Dei* eos *misericorditer* salvare volentis contempserunt. — Patet idem 3° ex exemplo quo voluntatem Dei salvificam illustrat Augustinus. *Omnes enim servi Dei*, quibus ex praecepto Dei operandum est in vinea hujus mundi, sunt utique omnes ac singuli homines adulti. — Patet denique idem 4° ex ratione omnino generali ac pertinente ad omnes adultos, qua solutionem a se datam Augustinus probat. Est quippe ratio quam affert talis : Ii infideles justam excusationem obtendere non poterunt quibus Deus reddet secundum opera ipsorum, h. e. (sic declarante hunc textum quoad perituros Augustino) qui damnabuntur quia dona Dei eos misericorditer salvare volentis contempserint. Atqui juxta Scripturam Deus unicuique reddet secundum opera sua. Ergo nullus infidelis justam excusationem obtendere poterit.

In tertia parte, n. 59, id quod jam in fine numeri 58 agere inceperat, Augustinus prosequitur. Solutionem videlicet ibi a se traditam copiose probat ex Scripturis, adductis iis omnibus Scripturae textibus quibus in omni deinceps disputatione contra Pelagianos praecipue uti est solitus. Concluditque hanc suam argumentationem hisce verbis quae maxime attendenda sunt ad diluendas objectiones Jansenii mox afferendas : « Ita nec arbitrium liberum tollimus, et benedicit anima nostra Dominum, non obliviscens omnes retributiones ejus : nec ignorans Dei justitiam, suam vult constituere, sed credit in eum qui justificat impium, et vivit ex fide, donec ad speciem perducatur, fide scilicet quae per dilectionem operatur. *Quae dilectio diffunditur in cordibus nostris, nec per sufficientiam propriae voluntatis, nec per litteram legis, sed per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.* »

In quarta parte, c. 36, n. 60, disputationem factam concludit vindicatque Augustinus. « Haec disputatio, inquit, si quaestioni illi solvendae sufficit, sufficiat. » Perspicit scilicet acutioribus ingeniis nondum omnino satisfactum iri propter difficultatem aliquam quam contra disputationem factam excitari posse sentiebat. Proponit igitur difficultatem, quae est talis : « Si, uti conclusum est, propterea bona voluntas credendi est donum Dei, quia est ex libero arbitrio, quod, quum crearemur, accepimus a Deo; ergo a pari etiam peccatum est

donum Dei Deumque proinde habet auctorem; quia etiam peccatum est ex libero arbitrio, quod a Deo accepimus. » In solutione hujus difficultatis Augustinus jam magis explicat id quod breviter solummodo in antecedentibus indicaverat, bonum scilicet opus esse *ex libero arbitrio adjuto per gratiam*. In eoque ostendit esse disparitatem, quod quum *usus* liberi arbitrii possit indifferenter bonus vel malus esse, non omnis usus liberi arbitrii intenditur a Deo libertatem dante : ex quo est consequens neque omnem usum liberi arbitrii esse donum Dei. Immo, quod hic praesertim insinuat Augustinus, neque adeo bonus usus naturalis liberi arbitrii dicitur, *ratione liberi arbitrii collati a Deo*, esse proprie donum Dei; quia donum jam supponit subjectum cui fit donatio. At vero, quum usus gratiae nequeat esse nisi bonus, usus gratiae, quod est bonum opus, semper intenditur a Deo conferente gratiam, ideoque opus bonum quod per gratiam fit, donum est Dei. Et quidem hoc est proprie donum Dei, quia gratia superadditur naturae. En verba s. Augustini : « Si autem respondetur cavendum esse ne quisquam Deo tribuendum putet peccatum quod admittitur per liberum arbitrium, si in eo quod dicitur : Quid habes quod non accepisti? propterea etiam voluntas qua credimus, dono Dei tribuitur, quia de libero existit arbitrio, quod quum crearemur accepimus : attendat et videat, non ideo tantum istam voluntatem divino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio est, quod nobis naturaliter concreatum est, verum etiam quod *visorum suasionibus agit Deus ut velimus et ut credamus*, sive extrinsecus per evangelicas exhortationes, ubi et mandata legis aliquid agunt, si ad hoc admonent hominem infirmitatis suae, ut ad gratiam justificantem credendo confugiat; *sive intrinsecus, ubi nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem*, sed consentire vel dissentire propriae voluntatis est. His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali ut ei credat, neque enim credere potest quodlibet libero arbitrio, *si nulla sit suasio vel vocatio cui credat;* profecto et *ipsum velle credere Deus operatur in homine, et in omnibus misericordia ejus praevenit nos :* consentire autem vocationi Dei vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriae voluntatis est. Quae res non solum non infirmat quod dictum est : Quid enim habes quod non accepisti?

verum etiam confirmat. *Accipere quippe et habere anima non potest dona de quibus hoc audit, nisi consentiendo : ac per hoc quid habeat et quid accipiat, Dei est : accipere autem et habere, utique accipientis et habentis est.*

Denique in quinta parte hujus testimonii breviter indicat s. Augustinus esse alium modum considerationis secundum quem jam non est verum dicere, Deum velle omnes homines perducere ad fidem ac salvare. Potest enim voluntas divina considerari secundum quod sub praevisione bonorum operum usque ad finem secuturorum vel non secuturorum fit per eam distributio gratiarum pertinentium ad praesentem ordinem. Hoc modo considerata voluntas salvifica est ea quae includit specialem misericordiam erga electos, continetque inscrutabile mysterium ; pertinet tamen magis ad voluntatem absolutam et consequentem quam ad voluntatem conditionatam et antecedentem. Porro, quod maxime hic attendendum est, ad secundum hunc modum considerandi voluntatem Dei salvificam s. Augustinus jam unice ferme respexit in posterioribus suis disputationibus contra Pelagianos, propterea quod hi contendebant voluntatem Dei salvificam *aequaliter et indifferenter* se habere erga salutem omnium hominum. En verba sancti Doctoris : « Jam si ad illam profunditatem scrutandam *quisquam nos coarctet*, cur illi ita suadeatur ut persuadetur, illi autem non ita ; duo sola occurrunt interim quae respondere mihi placeat : O altitudo divitiarum ! (Rom. XI. 33) et : Numquid iniquitas apud Deum ? (Rom. IX. 14) Cui responsio ista displicet, quaerat doctiores, sed caveat ne inveniat praesumptiores. »

Status controversiae inter Augustinum et Pelagianos agitatae de voluntate Dei salvifica.

27. Ut jam via sternatur ad probationem secundae partis, quaedam praemittenda sunt circa scopum S. Augustini, quando in posteriore sua disputatione cum Pelagianis testimonium Paulinum 1 Tim. II, interpretatus est de voluntate Dei coarctata ad salutem electorum. Pelagiani non solum negabant α) *necessitatem gratiae*, dicentes Deum contulisse homini liberum arbitrium naturale *egregium*, h. e. tale quod nativa sua vi aeque valeat ad bonum atque ad malum ; sed insuper β) negabant *possibilitatem gratiae*, quantum est ex parte sapientiae divinae, dicentes per gratiam, si Deus eam homini conferret, laedi liberum arbitrium hominis. Utrumque negaverunt similiter postea Semipelagiani relate

ad *primum opus bonum*, quod ponebant esse *initium fidei*. Ex utrorumque porro illo secundo dogmate, h. e. ex asserta impossibilitate gratiae sive simpliciter sive saltem respectu primi operis salutaris, consequens erat tum Deum se habere aequaliter atque indifferenter circa salutem omnium hominum, tum Deum non posse quosdam homines ad bona opera adducere et per haec eos salvare, etiamsi maxime atque adeo absolute id vellet. Et sic, *quantum attinet ad voluntatem humanam convertendam a malo ad bonum*, limitabatur tali dogmate potentia voluntatis divinae eaque subdebatur potestati voluntatis humanae. Eo porro sensu, haeretico sane ac plane dispari ab eo quem nos defendimus, asserebant Pelagiani Deum velle omnes homines salvos fieri, *si ipsi velint*. Conditio scilicet, *si ipsi velint*, in eorum sensu erat *restrictiva potentiae divinae*. Abutebantur porro in primis ad hunc suum sensum confirmandum testimonio Pauli 1 Tim. II, 4, in quo dicitur Deus *velle omnes homines salvos fieri*. Quum enim de facto non omnes homines salvi fiant, arguebant inde Pelagiani voluntatem Dei impediri a suo effectu per voluntatem humanam. Quantum igitur attinet ad voluntatem Dei perducendi homines ad agnitionem veritatis et sic eos salvandi, quaestio fuit Augustino cum Pelagianis *de voluntate divina spectata secundum totam latitudinem mediorum salutis quae sunt in manu Omnipotentis*, quam Dei voluntatem vocat s. Augustinus *voluntatem Omnipotentis*. Et quia de tali Dei voluntate accipiebant Pelagiani testimonium Pauli 1 Tim. II, 4, quaestio ulterior erat, utrum, loquendo de tali Dei voluntate, sensus hujus testimonii sit universalis, an vero restringendus sit ad solos electos. Nihil proinde ad hanc controversiam Pelagianam dirimendam attinebat dicere de voluntate Dei antecedente universali, quam Pelagiani neutiquam negabant et quam Augustinus ipse jampridem apertissime asseruerat; verum, *ita exigente statu controversiae*, unice satagendum fuit s. Augustino, ut, per assertam veritatem contrariam, erroris convinceret duo asserta falsa Pelagianorum. Ideoque prima propositio ei demonstranda haec erat, esse in Deo specialem voluntatem misericordiae circa bona opera electorum et *per consequens* circa eorumdem salutem, eamque Dei voluntatem esse invictam, irresistibilem, insuperabilem,

inclinandorum cordium potentissimam ; potuisse porro Deum, si voluisset, talem voluntatem habere etiam circa reprobos, verum propter justissimas causas eum hoc noluisse. Supponendo porro textum Pauli 1 Tim. II, 4, esse etiam intelligendum de tali Dei voluntate (quod sane Augustinus juxta ratam suam doctrinam de multiplici sensu litterali ejusdem loci Scripturae omnino admittebat), secunda propositio ei demonstranda haec erat, testimonium Pauli, secundum quod procedit de tali Dei voluntate, non esse universale, sed coarctandum esse ad solos electos. Et re quidem vera scopum s. Augustini in restringendo textum s. Pauli ad solos electos, esse solummodo vindicare *voluntatem omnipotentiae* quam Pelagiani eodem hoc textu Paulino innixi negabant, clamat totus contextus locorum in quibus s. Doctor tres expositiones particulares supra memoratas tradit. Sic v. g. in Enchiridio, cc. 97 et 98 : « Quamobrem videndum est, inquit, quemadmodum sit de Deo dictum, quia et hoc verissime Apostolus dixit : qui omnes homines vult salvos fieri, Quum enim non omnes sed multo plures non fiunt salvi, videtur utique non fieri quod Deus vult fieri, *humana scilicet voluntate impediente voluntatem Dei... Quis porro tam impie desipiat, Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere?* » Deinde capite 103 jam tradit duas expositiones particulares textus Paulini. Similiter L. de Corr. et grat., c. 14, postquam tradidisset interpretationem testimonii Paulini restrictam ad solos electos, mox quem scopum spectaverit in ineunda tali interpretatione, subdit his verbis (n. 45) : « Non est itaque dubitandum voluntati Dei, qui in caelo et in terra omnia quaecumque voluit, fecit, et qui etiam illa quae futura sunt, fecit, humanas voluntates non posse resistere *quominus faciat ipsa quod vult* : quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, quum vult, facit. » Verbis aeque perspicuis illuc tamquam ad unicum scopum totam suam disputationem collineare, indicat s. Augustinus L. de Praed. sanct., c. 8, aliisque locis jam supra indicatis, ubi ipse restringit sensum testimonii Paulini.

His igitur praemissis, jam

Probatio ostendens

28. PROBATUR SECUNDA PARS PROPOSITIONIS, quod sane ad complementum demonstrationis factae pro prima parte est

omnino necessarium. Nam omnia sua opera, in quibus jam unice tradit unam alteramve ex tribus expositionibus particularibus textus Paulini, scripsit s. Augustinus post librum de Spir. et litt. Posset proinde aliquis utcumque contendere universalem expositionem in hoc ultimo libro contentam s. Augustinum, provectu suae disputationis contra Pelagianos, quaestione ad incudem revocata, deseruisse. Verum hoc nulla specie probabilitatis defendi posse, patet 1° *ex scopo disputationis Augustinianae*, quem modo determinavimus. Optime enim stant simul haec duo : Deum scilicet habere voluntatem specialis misericordiae circa solos electos, et eum habere seriam voluntatem antecedentem salutis omnium. Quocirca, supposita rata sententia Augustini de multiplici sensu litterali ejusdem textus Scripturae, propter hoc quod s. Augustinus, accommodate ad scopum quem intendebat, jam unice postea exposuit testimonum s. Pauli de voluntate salvandi electos, nullo pacto ipse censeri potest exclusisse universalem interpretationem ejusdem textus a se pridem traditam. Ut videlicet valeret haec Jansenianorum arguendi ratio, oporteret s. Doctorem explicite improbasse illam suam priorem interpretationem : verum neque libris Retractationum neque alibi uspiam id ipse praestitit.

Augustinum etiam post scriptum librum de Spir. et litt. retinuisse pristinam suam sententiam de voluntate Dei salvifica ad omnes homines extensa.

Idem patet 2° ex eo quod s. Augustinus multifariam indicat interpretationem quam tradit, non esse exclusivam aliarum. Hoc scilicet indicat α) *modo suo dicendi*, v. g. L. IV contra Jul., c. 8, n. 42 : « *Cur ergo non sic accipimus quod dictum est* : Qui omnes homines vult salvos fieri ? » Item in Enchiridio, c. 103 : *Potest sic intelligi*. Idem indicat β) expresse approbando libro de Corrept. et gratia, c. 14, — tum omnes modos interpretationis quos antehac tradiderat, inter quos est certe etiam expositio omnino universalis contenta in libro de Spiritu et littera — tum etiam alios modos qui tradi possent : « Quod scriptum est, inquit, Qui vult omnes salvos fieri, nec tamen omnes salvi fiunt, *multis quidem modis intelligi potest*, ex quibus in aliis opusculis nostris *aliquos* commemoravimus. » Idem denique indicat γ) dicendo in Enchiridio, c. 103, se solummodo intendere excludere illum interpretationis modum quo negatur omnipotentia voluntatis divinae ad sibi subjiciendam voluntatem humanam. « Omnes homines, inquit, omne hominum genus

intelligere possumus : et *quocumque alio modo intelligi potest, dum tamen credere non cogamur aliquid omnipotentem Deum voluisse fieri factumque non esse.* »

Verum enimvero iis in locis in quibus interpretationem textus Apostolici aptat s. Augustinus solis electis, non solum non excludi ab eo sed omnino includi aliam interpretationem universalem, patet ulterius, 3° *ex iis quae interseril Augustinus.* Sic v. g. in Enchiridio, cujus capitulum 103 memoratorum locorum est praecipuus, si inspiciatur totus contextus a capite 100 usque ad caput 105, invenitur s. Augustinus distingere duplicem Dei voluntatem. Et quidem in specie ibi distinguit duplicem Dei voluntatem salvificam. *Prima* est *voluntas legislatoris*, qua Deus, eo ipso quod legem omnibus ponit, vult omnes bene operari, et, sub conditione quod bene operentur, etiam omnibus praemium vitae aeternae retribuere. En igitur seriam voluntatem antecedentem salutis omnium. — *Secunda* est *voluntas omnipotentis*, quae rursum est duplex. Uno modo est ipsamet haec Dei voluntas quam *ex parte* consideratam modo vocavimus voluntatem legislatoris. Si scilicet consideretur haec Dei voluntas non ex parte, sed *ex toto*, h. e. si consideretur *secundum duplicem respectum* quo disjunctive fertur in suum objectum, sic jam non est conditionata sed absoluta. Nam quod homines *vel* bene agentes salventur, *vel* male operantes puniantur, quae est adaequata terminatio praedictae voluntatis, hoc Deus inimpedibiliter vult, ideoque haec jam *est voluntas omnipotentis.* Alio modo *voluntas omnipotentis* cernitur in distributione gratiarum, et tunc ipsa est *ea Dei voluntas qua Deus ex speciali misericordia confert suis electis auxilia efficacia eos perducentia ad salutem.* En igitur voluntatem salvificam absolutam, quae restringitur ad electos et de qua Augustinus capite 103 interpretatur textum Apostoli. Porro, licet s. Augustinus usque septies in capitulis 100, 101 et 102 profiteatur voluntatem legislatoris posse non impleri, attamen, quia omnis Dei voluntas, *si non ex parte sed ex toto consideretur*, semper adimpletur, idcirco docet s. Doctor omnem Dei voluntatem esse invictam. Audiatur jam ipse Augustinus explicans voluntatem legislatoris, α) de bonis operibus : « Haec, ait capite 100, sunt magna opera Dei, exquisita in omnes voluntates ejus ; et tam sapienter exqui-

sita ut, quum angelica et humana creatura peccasset, id est, *non quod ille, sed quod voluit ipsa*, fecisset, etiam per eamdem creaturae voluntatem, *qua factum est quod Creator noluit*, impleret ipse quod voluit : bene utens et malis, tamquam summe bonus, ad eorum damnationem quos juste praedestinavit ad poenam, et ad eorum salutem quos benigne praedestinavit ad gratiam. *Quantum enim ad ipsos attinet, quod Deus noluit fecerunt : quantum vero ad omnipotentiam Dei, nullo modo id potuerunt.* Hoc quippe ipso quod *contra voluntatem fecerunt ejus*, de ipsis facta est voluntas ejus. Propterea namque magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus : ut miro et ineffabili modo non fiat praeter ejus voluntatem *quod etiam contra ejus fit voluntatem.* » Tum capite 102 : « Sed quantaelibet sint voluntates vel angelorum vel hominum, vel bonorum vel malorum, vel illud quod Deus vel aliud volentes quam Deus, *omnipotentis voluntas semper invicta est.* » Porro ad hanc voluntatem legislatoris pertinere etiam β) *voluntatem conditionatam salutis*, audi rursum ex Augustino, qui postquam capite 103 explicaverat textum Apostoli de voluntate salvandi solos electos, quasi timens ne quis putaret praeter hanc non esse etiam in Deo aliam voluntatem salvandi omnes, haec mox subdit capite 104 : « Etiam primum hominem Deus *in ea salute in qua conditus erat, custodire voluisset, eumque... ad meliorem perducere... si* ad permanendum sine peccato perpetuam voluntatem habiturum esse praescisset. » Quod hic dicitur a s. Doctore de Adamo, hoc ex ejus mente de omnibus hominibus, etiam post lapsum, intelligendum est, uti patet v. g ex toto libro de Gratia et lib. arbitr., qui scriptus est anno 426, quinquennio post Enchiridion.

Ulterius 4°, etiamsi unice sistatur in tribus illis expositionibus particularibus textus Paulini traditis ab Augustino, quin inspiciatur contextus antecedentium et sequentium ; manifestum est ab Augustino *praesupponi generalem voluntatem salvandi omnes*. Sic primam interpretationem particularem praedicti textus illustrat s. Augustinus, adhibita duplici comparatione, scilicet α) *magistri*, qui dicitur omnes pueros docere, eo quod nullus docetur nisi ab eo (de Praed. Sanct., c. 8, n. 14) et β) *solis*, qui dicitur omnes illuminare,

quia nullus illuminatur nisi ab ipso (Enchirid., cap. 103). At haec duo exempla sunt vera quidem, verum praesupposita voluntate universali quam magister habet et universali ejus praeparatione ad docendum omnes, et similiter praesupposita universali praeparatione solis ad omnes, quantum est in se, universaliter illuminandos. — In ostendendo secundam suam expositionem particularem congruere hisce verbis Apostoli : « Obsecro igitur... fieri omnium orationes... pro regibus, » ait s. Augustinus : « Hoc quippe Deus bonum judicavit, ut orationibus humilium dignaretur salutem praestare sublimium » (Enchir., c. 103). Eademque etiam ratione probaverat paulo superius convenientiam prioris suae interpretationis, hisce verbis : « Non quod nullus sit hominum, nisi quem salvum fieri velit [absolute], sed quod nullus salvus fiat, nisi quem velit, et *ideo sit rogandus ut velit, quia necesse est fieri, si voluerit*. De orando quippe Deo agebat Apostolus, ut hoc diceret » (Enchirid., c. 103). Sed haec s. Doctoris ratio manifeste supponit Deum *antecedenter ad praevisas orationes Sanctorum*, habere voluntatem aliquam mere conditionatam salutis, hoc modo v. g. : Volo conferre victricem gratiam Paulo, si Stephanus oret; nolo conferre, si non oret. Quia porro Apostolus hortatur orare pro omnibus, oportet dicere ex mente s. Augustini talem voluntatem conditionatam salutis protendi ad omnes homines. — Tandem tertia s. Doctoris interpretatione : « Deus facit nos velle ut omnes homines salvi fiant, » evidenter exprimitur *effectus procedens ex generali voluntate conditionata salvandi omnes*.

Denique usque ad finem vitae constantem fuisse doctrinam Augustini Deum seria aliqua voluntate velle omnes homines salvari, patet 5° ex testimonio Prosperi Aquitani, immediati discipuli s. Augustini, cui sane in hac re magis credendum est quam Jansenio. Vindicias scilicet agens doctrinae Augustinianae in duplici suo opere Responsionum ad capitula Gallorum et ad objectiones Vincentianas, Prosper recenset inter « ineptissimarum calumniarum prodigiosa mendacia » duas hasce propositiones quae ex libris Augustini ferebantur excerptae, scilicet α) « quod J. C. non pro omnium hominum salute et redemptione sit passus » et β) « Quod Deus nolit omnes salvari, etiamsi omnes salvari velint. » Circa primam haec habet in Resp. ad object. Vin-

cent., c. 1. : « Poculum immortalitatis [h. e. redemptio Christi] quod confectum est de infirmitate nostra et virtute divina, *habet quidem in se ut omnibus prosit; sed si non bibitur, non medetur.* » Circa secundam vero haec asserit : « Sincerissime credendum atque profitendum est Deum velle ut omnes homines salvi fiant ; siquidem Apostolus,cujus ista sententia est, sollicitissime praecipit, quod in omnibus Ecclesiis piissime custoditur, ut Deo pro omnibus hominibus supplicetur : ex quibus quod multi pereunt, pereuntium est meritum ; quod multi salvantur, salvantis est donum. Ut enim reus damnetur, inculpabilis Dei justitia est ; ut autem reus justificetur, ineffabilis Dei gratia est. »

Objectio Jansenii.

29. Sed contra praecipuam probationem factam pro prima propositionis parte insurgit Jansenius, contendens eam procedere ex falso intellectu verborum Augustini. Ita videlicet arguit in suo opere « Augustinus, » tom. III, de gratia Christi, L. II, c. 30 : Quum assertores voluntatis salvificae universalis et gratiae sufficientis omnibus datae pro hac sua sententia adducunt verba Augustini ex L. de Spiritu et littera, c. 33, manifestum est ab eis accipi objectionem Pelagianam pro solutione Augustini. Etenim, postquam eo loci, n. 57, s. Augustinus proposuisset quaestionem disputandam, quae est de initio fidei, numeris insequentibus 58° et 59° ipse neutiquam huic quaestioni apponit propriam suam solutionem, sed profert tamquam dubiam et examini subjicit solutionem Pelagianam, eamdemque rationibus stipat, quo magis veritas ex difficultatis difflatione clarescat, ac tandem numero 60° improbat hanc solutionem, suamque sententiam asserit.

Et re quidem vera numeris 58 et 59 libri citati non tradi ab Augustino solutionem suam propriam, uti autumant tutores voluntatis salvificae universalis, sed solutionem adversariorum, patet 1° *ex doctrina prorsus Pelagiana* quam continent haec praecipua solutionis verba : « Nec istam voluntatem qua credit Deo, dici potest homo habere quam non acceperit, *quandoquidem*, vocante Deo, *surgit de libero arbitrio, quod naturaliter, quum crearetur, accepit.* » Nec vero haeresin Pelagianam removent a tali solutione haec verba : « vocante Deo. » Hisce enim verbis, uti et aliis quibusdam aequivocis loquendi formulis, notissimum est

Pelagianos subdole usos fuisse ; intelligebant scilicet hac voce vocationis divinae *vocationem mere externam per praeconium legis*. — Quod vero amplius est, praedicta solutione proponi haeresin Pelagianam, patet 2° *ex modo dicendi Augustini*. Nam *a*) postquam n. 57 significaverat s. Augustinus quaestionem ibi propositam posse solvi duplici modo, Pelagiano scilicet et orthodoxo, numero deinceps 58 utitur tali exordio disputationis : « Prius illud [h. e. solutionem Pelagianorum] dicamus, et videamus utrum huic satisfaciat quaestioni. » Quae sane ejus verba non sunt docentis sed dubitantis. Similiter *b*) in conclusione dictae disputationis verba Augustini sunt : « Haec disputatio si quaestioni illi solvendae sufficit, sufficiat. » Ecce disputationem, non solutionem quaestionis ; ecce dubitationem si sufficiat, non assertionem quod sufficiat. Denique *c*) illico post haec conclusionis verba reprobat praedictam solutionem s. Doctor eadem plane ratione qua in L. II de Peccat. merit. et remiss. sententiam quam ibi ut Pelagii proponit, refellit. — Unde de haeresi Pelagiana revera intelligendum esse totum illud caput 33 libri de Spir. et litt., maxime patet 3° *ex facta collatione hujusce capitis* cum capite 18 Libri II de Peccat. mer. et remiss. Hoc videlicet posteriore loco postquam proposuisset s. Augustinus *eamdem quaestionem* de initio fidei, aperit ejus difficultatem *eodem modo :* « Ipsa etiam ratio, inquit, quemlibet nostrum quaerentem vehementer angustat, ne sic defendamus gratiam ut liberum arbitrium auferre videamur, rursus ne liberum sic asseramus arbitrium ut superba impietate ingrati Dei gratiae judicemur. » Deinde aggrediendo ibidem solutionem quaestionis, primo profert argumentisque confirmat solutionem Pelagii. Namque illud Apostoli, quod commemoravi (sic pergit dicere s. Doctor) sic defendere *quidam voluerunt*, ut dicerent ideo quidquid etiam bonae voluntatis habet homo, Deo tribuendum esse, *quia et hoc in illo esse non posset, si homo ipse non esset* (h. e. si non haberet liberum arbitrium). *Quum vero ut sit aliquid atque ut homo sit, non habeat nisi a Deo*, cur non auctori Deo tribuatur etiam quidquid in illo est bonae voluntatis, quod non esset, nisi esset in quo esset. Tum improbat hanc solutionem hisce verbis : « Sed hoc modo etiam illud dici potest, malam quoque voluntatem Deo auctori esse tribuen-

dam» etc. Denique proponit veram sententiam. « Quapropter, inquit, nisi obtineamus non solum voluntatis arbitrium, quod huc atque illuc liberum flectitur, atque in eis naturalibus bonis est quibus et male uti malus potest, sed etiam voluntatem bonam, quae jam in eis bonis est quorum esse usus non potest malus, *nisi ex Deo nobis esse non posse*, nescio quemadmodum defendamus quod dictum est : Quid enim habes quod non accepisti. » — En, eadem capite illo 18 libri II de Peccat. merit. et remiss. proponitur quaestio, eodem processu disputatur, eadem demum ratione solvitur; est autem perspicuum solutionem quae ibi primum affertur ac suadetur, esse solutionem Pelagii. Porro crescit vis argumenti quod ex tali comparatione colligitur, si attendatur ad eumdem illum Marcellinum ad quem direxerat libros de Peccat. mer. et remiss., s. Augustinum scripsisse opus subsequens de Spir. et litt., idque propter difficultates quasdam quae Marcellino ex lectione prioris operis exortae fuerant.

30. Ad hanc desperatam argumenti a nobis adducti repulsionem *respondetur*, *negando simpliciter assertum*. Etenim 1° si disputatio satis prolixa quae traditur L. de Spiritu et litt., c. 33, numeris 58 et 59, Pelagiana fuisset, debuisset de hoc Augustinus monere lectorem; hoc enim jubet naturale lumen rationis, praesertim quum haereses proponuntur. Ac sane hoc ubique passim, quoties ex aliena persona disputat, sedulo observat Augustinus, v. g. in hoc ipso libro de Spir. et litt., c. 13, n. 21, ubi inducens male disputantem per tres lineas : « Cito enim quippe dixerit, » etc., peracta tam brevi disputatiuncula, e vestigio addit : « Sed quantum fallat ista discretio, » etc. At hoc non modo non facit Augustinus post tam longam illam disputationem loco citato libri de Spiritu et littera institutam, quae quorsum ex mente s. Doctoris spectet, hic controvertitur, sed magis eam probat hisce vocibus : « Haec disputatio, si quaestioni illi solvendae sufficit, sufficiat. » Hoc est : Si quis ea contentus sit, eam sibi habeat eique adhaereat. Itane Doctor catholicus loquatur de haeresi? — 2° Insuper attendenti ad seriem sententiarum manifestum erit in disputatione tradita loco citato, numeris 58 et 59, defendi ab Augustino propriam suam doctrinam contra absurdum quod ex ea inferebant

Ejus solutio-

Pelagiani, qui scilicet contendebant, *si fides sit donum gratuitum Dei, non posse patere omnibus hominibus liberum accessum ad salutem*. Revera *a*) quaestio quam sibi n. 57 resolvendam proponit Augustinus, est de modo quo in sua doctrina concordare queant haec duo, scilicet hinc quidem *gratuitas fidei* juxta dictum Apostoli : Quid habes, etc., illinc vero *libera potestas omnibus data accedendi ad fidem*, juxta eumdem Apostolum docentem infideles non credentes esse inexcusabiles et Deum velle salutem omnium hominum. Porro *b*) solutio directe responsiva ad hanc quaestionem haec datur ab Augustino in numeris 58 et 59 : Licet fides sit ex gratia (« vocante Deo ») et licet, per consequens, ipsa sit actus entitative supernaturalis donumque Dei ; attamen hoc quod est *accipere fidem*, quod fit consentiendo, pertinet ad liberum arbitrium, quod naturaliter in creatione accepimus. Ideoque idcirco infideles non accipiunt hoc donum Dei, quod est initium fidei, quia ipsi gratiae Dei omnibus oblatae non consentiunt. Sane *c*) hunc esse sensum solutionis ab Augustino numeris illis 58 et 59 datae, patet ex *verbis conclusionis* in fine numeri 59 : « Ita [sic ibi concluditur] nec arbitrium liberum tollimus [sicut vos, Pelagiani, calumniando nobis imponitis] et [nihilominus, quandoquidem fides est donum gratuitum] benedicit anima nostra Dominum, *non obliviscens omnes retributiones ejus;* nec ignorans Dei justitiam, *suam vult constituere*, sed credit *in Deum qui justificat* impium... Quae dilectio diffunditur in cordibus nostris, *nec per sufficientiam propriae voluntatis, nec per litteram legis*, sed per Spiritum Sanctum qui datus est nobis. Unde *d*) in num. 60 s. Augustinus non improbat disputationem proxime factam, sed contra *improbat objectionem* quae contra eam movebatur, asserens eam ex defectu sufficientis considerationis proficisci. Sane omnia ferme verba hujus n. 60 clamant non novam hic solutionem tradi ab Augustino, sed solutionem mox ab eo traditam vindicari. « Haec disputatio, inquit Augustinus, si quaestioni illi solvendae sufficit, sufficiat. Si autem respondetur [en objectionem], cavendum esse ne quisquam Deo tribuendum putet peccatum... si *propterea voluntas qua credimus, dono Dei tribuitur, quia de libero existit arbitrio* : attendat t videat » [ille qui sic objicit] etc.; quibus suis verbis

s. Doctor manifeste improbat objectionem. Quae est autem ratio eam improbandi ? Quia, inquit Augustinus, initium fidei, secundum quod est donum Dei, ego non docui esse ex libero arbitrio, sed contra, omnino docui ipsum hoc modo spectatum esse *ex gratia* («Videat *non ideo* istam voluntatem *divino muneri* tribuendam, *quia ex libero arbitrio est*»). Solummodo in solutione tradita asserui *accipere vel non accipere donum Dei*, quod est idem ac gratiae consentire vel dissentire, hoc, inquam, asserui pendere a libero arbitrio quod naturaliter in creatione accepimus («*sed* consentire vel dissentire *propriae voluntatis* est»). Hoc autem non infirmat, ut contendebat objectio, dictum Apostoli, verum etiam confirmat.

Quocirca, quod attinet ad rationes quas pro suo asserto congerit Jansenius, *respondetur ad* 1^am^, negando doctrinam quae verbis solutionis numero 58 traditae continetur, esse doctrinam Pelagianam. Quando videlicet ibi dicitur « bonam voluntatem credendi, *vocante Deo*, surgere de libero arbitrio quod naturaliter homo, quum crearetur, accepit, » haec vox «vocatio» non significat externum praeconium legis, uti falso interpretatur Jansenius, sed significat gratiam interiorem, pro qua hae duae voces vocationis et suasionis promiscue usurpantur ab Augustino in n. 60. Unde in hoc posteriore numero, qui, Jansenio fatente, continet doctrinam ipsius Augustini, solutio quam ait esse Pelagianam, adhibita eadem hac voce *vocationis*, sic repetitur ab Augustino : «Consentire *vocationi Dei* vel ab ea dissentire, sicut dixi, *propriae voluntatis est.* »

Respondetur ad 2^am^, nihil esse ex communi usu et speciatim ex usu Augustini frequentius quam exordio simili ei quo utitur s. Augustinus n. 58, proponere propriam sententiam. Sic v. g. hoc ipso libro de Spir. et litt., c. 26, nn. 43 et 44, sic inducit sententiam quam ibi intendit stabilire : « *Videndum est autem*, quomodo dicat Apostolus : Quum enim gentes » etc. « Pertractanda igitur haec quaestio, » etc. « An forte eas gentes commemoravit Apostolus scriptam in cordibus habere legem, quae ad novum pertinent Testamentum. » Exempla ejusdem habes n. 25 et n. 53 ejusdem libri, aliisque locis innumeris operum s. Augustini.

Respondetur ad 3^am^, negando eodem modo eodemque pro-

cessu tractari a s. Augustino quaestionem de initio fidei in libro de Spir. et litt. atque in II libro de Peccat. merit. et remiss. Non enim in posteriore hoc opere, sicut in priore, tractat Augustinus quaestionem de concordia inter gratuitatem fidei et ejusdem libertatem; contra, illic fatetur se adhuc *angustari* in tali concordia *quaerenda*. Unde postquam perspicue *tamquam non suam sed aliorum* illic recitasset sententiam Pelagii eamque ex verbis Apostoli improbasset, contentus est ex verbis Apostoli suam sententiam de *gratuitate* fidei asserere.

CAPUT V.

Quid et quotuplex sit praedestinatio.

—

31. Praedestinatio, omnium consensu, est *pars providentiae supernaturalis*. Quapropter, ut de ejus notione liquido constare possit, determinandum est in antecessum quid sit providentia divina. Notio providentiae divinae.

Providentia, secundum quod est attributum divinum, est *ratio sive praeconceptio ordinis rerum in finem, existens in mente divina*, prout sibi adjunctum habet efficax decretum voluntatis divinae praedictum ordinem executioni mandandi.

De ea disputatur 1° utrum decretum voluntatis divinae ingrediatur ejus rationem formaliter, an vero ad eam se habeat mere *praesuppositive*. Inter auctores porro prius horum defendentes, ulterius disputatur 2° uternam actus, intellectus scilicet an voluntatis, principalius concurrat ad rationem providentiae formaliter constituendam. Respondendum est ad utrumque quaesitum, *actum praeconceptionis* mediorum procul dubio principalius pertinere ad rationem providentiae, ac per consequens efficax decretum voluntatis exsequendi ordinem praeconceptum mediorum pertinere ad providentiam vel *completive solummodo*, vel ne completive quidem sed *mere praesuppositive*. Disputatur denique de providentia 3° utrum ad hoc ut stet ratio providentiae, praerequiratur absoluta intentio finis illius in quem ordo providentiae dirigitur. Ad quod respondendum est, finem simpliciter ultimum, in quem ultimato dirigitur omnis ordo providentiae, intendi a Deo absolute ; si tamen sermo sit de fine in quem propinquius ordo aliquis particularis providentiae dirigitur, nihil obstare quominus intentio talis finis sit conditionata, dummodo ea sit seria. Patet nimirum ex iis quae disputavimus de voluntate Dei salvifica, esse revera in Deo providentiam antecedentem, procedentem ex intentione conditionata salutis omnium ac singulorum hominum.

Proprietates providentiae divinae.

32. Porro tria maxime notanda sunt circa providentiam Dei, qualis haec hactenus determinata est. Primo notandum est hoc nomine providentiae connotari duplicem antecessionem respectu rerum quae providentiae subduntur. Prima est *antecessio durationis*, quia praeconceptio ordinis rerum in mente divina existens tota aeternitate praecedit ejusdem ordinis executionem. Secunda est *antecessio causalitatis*, quia providentia causat in rebus dispositionem illam in finem cujus ipsa est praeconceptio. Et quidem causatio aptae dispositionis rerum in suos fines, quae est executio providentiae, dicitur *gubernatio*. Unde patet solum attributum provisoris esse in Deo intrinsecum atque aeternum; attributum vero gubernatoris esse extrinsecum et temporale.

Secundo notandum est *omnia cadere sub ordinem providentiae divinae*. Ratio est quod repugnat sapientiae divinae esse aliquid in rebus quod ipsa non ordinaverit quam aptissime in finem ultimum. Quocirca ipsa adeo peccata hominum subduntur dispositioni providentiae divinae.

Tertio notandum est *omnem providentiam Dei esse absolutam*, eaque de causa *ordinem providentiae divinae esse immobilem, necessarium, indissolubilem, inevitabilem*. Ratio est quod proprium opus providentiae divinae est *disponere;* quamdiu autem aliqua media, v. g. bona opera, intenduntur solummodo conditionate, ipsa nondum disponuntur. Non tamen ex hoc tertio effato est consequens per providentiam divinam inferri fatalem necessitatem operationibus humanis. Non enim eo edicitur omnem providentiam Dei esse inevitabilem necessitate antecedente, sed necessitate vel antecedente vel consequente.

Variae divisiones providentiae divinae.

33. Quod jam attinet ad varias divisiones providentiae divinae, maxime hic attendenda venit divisio providentiae divinae in antecedentem et consequentem. *Providentia antecedens* est ea qua Deus antecedenter ad praevisum usum liberi arbitrii disponit quaedam tamquam media in finem. *Providentia* vero *consequens* est ea qua Deus solummodo consequenter ad praevisum usum liberi arbitrii creati disponit quaedam tamquam media in finem. Ex postea disputandis patebit solummodo praedestinationem ad primam gratiam pertinere ad providentiam Dei antecedentem, praedestinationem vero tum ad gratias primam gratiam consequentes

tum maxime ad gloriam pertinere ad providentiam Dei consequentem.

Ceteras divisiones providentiae divinae in universalem et particularem, in superiorem et inferiorem, in ordinariam et extraordinariam, utpote ex institutionibus philosophicis notissimas, hic tradere omittimus.

Multimodae acceptiones praedestinationis.

34 His praejactis, jam determinandum est de multiplicibus acceptionibus hujusce vocis *praedestinatio*. Et quidem ante omnia hic notandum est praedestinationem, etiamsi sensu latissimo accipiatur, minus late patere quam providentiam divinam; ideoque eam comparari ad providentiam sicuti partem ad totum. Ad cujus evidentiam percipiendam, considerandum est ea quae cadunt sub providentiam divinam posse universim dispesci in duplicem classem. Quaedam videlicet sunt a Deo provisa quae Deus *tum praeparat* (h. e. quae ab aeterno intendit vel per semetipsum vel ministerio causarum secundarum procurare), *tum etiam disponit*. Haec sunt tum omnia quae cadunt sub providentiam Dei antecedentem, tum gratias, bona opera, poenas ac praemia, quae cadunt sub providentiam Dei consequentem. Alia vero sunt a Deo provisa quae Deus per providentiam suam nullo modo praeparat, sed solummodo disponit. Haec sunt omnia peccata, quae scilicet nullo pacto sunt opera Dei, sed solummodo opera hominis. Jam vero ex duplici hac classe rerum a Deo provisarum solummodo ea quae pertinent ad priorem classem, non vero etiam ea quae pertinent ad posteriorem classem, possunt dici a Deo praedestinari, eo quod praedestinatio, etiamsi sensu largissimo accipiatur, semper importat ex parte Dei non solum *dispositionem*, sed etiam *praeparationem quamdam*.

Primo igitur sensu eoque latissimo dicitur praedestinatio ea providentiae divinae pars quae se extendit *ad omnia opera Dei*, h. e. ad ea omnia quae quomodolibet simul a Deo et praeparantur et disponuntur. Hoc modo Ambrosius in Hexaem. L. II, c. 5, n. 21, ait « Deum opera sex dierum, (creationem mundi) praedestinasse; » eodemque sensu Dionysius, de Divin. nom., cap. 5, omnia quae Deus ab aeterno facere disposuit, vocat προορισμούς, praedestinationes.

Secundo sensu, qui connotative quidem differt a primo, sed ejusdem est amplitudinis, praedestinatio est pars provi-

dentiae se extendens ad omnia Dei opera quibus Deus ordinat creaturam rationalem in finem simpliciter ultimum. Patet autem omnia opera Dei remote vel proxime ordinari ad talem finem. Hoc tamen altero sensu dicitur Deus speciatim non solum praedestinasse quosdam ad gratiam et ad gloriam, sed etiam alios ad interitum aeternum. Quo modo Augustinus, Prosper, Fulgentius, Lugdunensis Ecclesia, aliique veteres passim usurpant nomen praedestinationis, tam in malam scilicet partem, quam in bonam. Sic v. g. Augustinus, tract. 48 in Joann. : « Quomodo dicit : Non estis ex ovibus meis? Quia videbat eos ad sempiternum interitum praedestinatos.» Idem in L. II de Pecc. mer. et remiss., n. 26 : « Infidelitas non credentium Evangelio nequaquam ex praedestinatione Dei generatur ; bonorum enim Deus auctor est, non malorum. Praedestinatio igitur Dei *semper in bono est*, aut ad retributionem justitiae aut ad donationem pertinens gratiae. » Similiter Prosper, L. I. Resp. ad capitula Gall., obj. 14 : « Praedestinatio igitur Dei *semper in bono est*, aut ad retributionem justitiae aut ad donationem pertinens gratiae.» Tum Fulgentius, L. I ad Monim, c. 26 : « Dominus iniquos et impios *praedestinavit ad interitum* quem ira justi judicis peccantibus reddidit, non ad interitum [h. e. ad peccatum quod est mors animae] quo in se iram Dei peccantium iniquitas provocavit. » Eodem modo loquitur Concilium Valentinum, capite III, et Ecclesia Lugdunensis, in libro contra Joannem Erigenam Scotum et in libro de Tribus epistolis.

Ex usu tamen communi scholarum, pro quo militat etiam usus frequentior eorum Patrum quos modo adduximus, nomen praedestinationis nonnisi in bonam partem accipitur, ideoque *aeterna praeparatio ac dispositio poenarum ex parte providentiae divinae* vulgo non dicitur praedestinatio, sed reprobatio.

Tertio igitur *sensu*, *eoque jam magis coarctato*, dicitur praedestinatio ea providentiae pars, quae est *praeparatio ac dispositio operum Dei qualitercumque conducentium ad vitam aeternam*. Cui sensui si quis insistere vellet, dicendum esset seriem beneficiorum quae sub praedestinationem cadunt, inchoari ab ipso adeo primo conceptu hominis alicujus in utero matris ; immo oporteret dicere talem

seriem plerumque longe altius inchoari. Complectitur scilicet praedestinatio secundum talem ejus acceptionem non solum beneficia Dei supernaturalia, sed etiam beneficia Dei naturalia, eaque tum intrinseca tum extrinseca, cujusmodi sunt v. g. esse natum a parentibus christianis, esse conservatum in utero, esse eductum e locis infidelium aut haereticorum, esse educatum ab infantia inter christianos, habuisse opportunitatem doctrinae fidei. Ab hisce namque Dei beneficiis, sane omnino gratuitis, aliisque ejusmodi, plerumque tota salus hominum dependet.

Porro ut inde veniatur ad figendum sensum illum arctissimum qui, spectato usu communi, est proprius sensus hujusce vocis *praedestinatio*, jam ulterius advertendum est beneficia Dei qualitercumque ordinata ad vitam aeternam posse et ipsa tribui in duplicem ordinem. Sunt nimirum quaedam Dei beneficia entitative naturalia quae Deus procurat fieri sive per naturales vires voluntatis humanae sive per agentia naturalia. Haec porro, per oppositionem ad opera gratiae, magis dicuntur opera hominum vel opera naturae quam opera Dei. Alia vero Dei beneficia sunt entitative supernaturalia : ea porro juxta solemnem usum s. Augustini in Scripturis fundatum, antonomastice dicuntur opera Dei. Cujus ratio est, quod, etiam supposita hac rerum dispositione, vires naturales voluntatis ceterorumque agentium naturalium hisce operibus efficiendis per se solas sunt improportionatae. Hoc sensu dixit Apostolus, Eph. II, 10 : « nos esse *creatos in Christo Jesu* in operibus bonis, *quae praeparavit Deus* ut in illis ambulemus. » Optimeque hunc modum loquendi explicat s. Augustinus in Ps. LII, n. 5 : « Plerumque ita loquitur Scriptura, ut quod dono Dei creatura facit, Deus facere dicatur... Quod dono ipsius tu facis, ille facere dicitur ; quia sine ipso tu non faceres. » Eamdem explicationem tradit in L. de gratia Christi, c. 25, ita inquiens : « Velle et operari Deus operatur in nobis, non quia nos non volumus aut nos non agimus, *sed quia sine ipsius adjutorio nec volumus aliquid boni nec agimus.* »

Porro non beneficia prioris illius generis, sed solummodo beneficia supernaturalia ad posterius genus pertinentia dicitur Deus sensu proprio praedestinare. Immo et hoc alterum genus beneficiorum multipliciter adhuc limitan-

dum est, ad hoc ut efflorescat ratio omnino propria praedestinationis. Praedestinatio enim de qua agunt Scripturae ac Patres, includit speciale Dei beneficium erga praedestinatos, consistens in eo quod Deus re et effectu confert praedestinatis salutem, vel consummatam per gloriam, vel inchoatam per fidem ac justificationem. Quia ergo haec tria, nempe : fides, justificatio ac gloria, sunt proprii effectus praedestinationis, idcirco *a*) non beneficia supernaturalia in communi praeparata pro omnibus, puta redemptionem, institutionem Ecclesiae, sacramenta, sed solummodo beneficia supernaturalia in speciali praeparata pro singulis pertinent ad objectum praedestinationis. Interque haec ipsa *b*) *principaliter* solae gratiae interiores ; beneficia vero supernaturalia externa, v.g. miraculum aliquod, nonnisi prouti considerantur complexive cum gratia interna, prouti scilicet sunt hujus adjuncta quaedam, proprie loquendo, dicuntur praedestinari. Ulterius *c*) inter ipsas gratias interiores, non gratiae *mere sufficientes*, sed solummodo gratiae *efficaces*, pertingentes saltem usque ad effectum fidei, pertinent ad objectum praedestinationis. Uti enim patet ex supra animadversis, praedestinatio in adultis infidelibus inchoatur ab efficaci vocatione ad fidem.

Quarto igitur *ac strictissimo sensu* praedestinatio est pars aliqua providentiae Dei supernaturalis, ea scilicet quae est *aeterna praeparatio ac dispositio totius seriei gratiarum efficaciter hominem perducentium tum ad fidem atque augmentum fidei, tum etiam ad justificationem atque augmentum justificationis, tum ultimato ad gloriam.*

Variae divisiones praedestinationis.

35. Ut ex hac definitione pronum est deducere, praedestinatio proprie accepta multifariam dividitur. Dividitur scilicet 1° in praedestinationem completam et praedestinationem incompletam. — *Praedestinatio completa* est ea quae se extendit ad totam seriem gratiarum efficacium quibus homo perducitur a primo effectu vocationis ad fidem usque ad ultimum effectum salutis. Ea sic definitur a s. Thoma in I^a, q. 23, aa. 1 et 3 : « Praedestinatio est *ratio transmissionis creaturae rationalis in finem supernaturalem cum voluntate exsequendi.* » Vel, ut habet ibid., q. 23, a. 2 : « Praedestinatio est *quaedam ratio ordinis aliquorum in salutem aeternam, in mente divina existens.* » Celeberrima

est etiam definitio s. Augustini, quam tradit in L. de Dono persev., c. 14, n. 35 : « Praedestinatio, inquit, est *praescientia et praeparatio beneficiorum Dei quibus certissime liberantur quicumque liberantur.* » In qua definitione vox *praescientia* accipitur pro praescientia quae ex conditionata transit in absolutam, uti manifestum fit tum ex cetero contextu tum ex argumentatione qua s. Doctor hanc suam definitionem confirmat.

Praedestinatio incompleta alia est ad gloriam seorsim spectatam, alia vero ad gratiam seorsim spectatam. De praedestinatione ad gloriam seorsim spectatam patet quid sit : extendit enim se secundum praecisionem mentis solummodo ad ultimum effectum praedestinationis, qui est gloria. Praedestinatio vero ad gratiam seorsim consideratam est ea quae se extendit ad aliquam seriem gratiarum efficacium re vel consideratione mentis terminatarum aut ad susceptionem fidei hujusve augmentum, aut etiam ad susceptionem justificationis hujusve augmentum. Unde potest praedestinatio sic sumpta accipi magis minusve incomplete : series quippe gratiarum ad quam ipsa se protendit, potest intelligi terminari in omni instanti vitae sive priore sive posteriore in quo habetur fides vel justificatio, dummodo tamen tale instans praecedat instans perseverantiae finalis.

Secunda est divisio praedestinationis in praedestinationem simpliciter sive absolute, et in praedestinationem secundum quid. *Praedestinatio simpliciter atque absolute*, saltem spectato usu moderno hujusce vocis, est solummodo *a*) praedestinatio completa, h. e. sumpta complexive ad gratiam et ad gloriam, et *b*) praedestinatio incompleta ad gloriam seorsim. *Praedestinatio secundum quid* est praedestinatio magis minusve incompleta ad solam gratiam.

Tertia divisio praedestinationis est in *a*) *praedestinationem ad salutem consummatam*, h. e. ad gloriam, *b*) *praedestinationem ad salutem inchoatam*, h. e. ad justificationem, et *c*) *praedestinationem ad fidem*. Cujus divisionis ratio sufficienter intelligitur ex praedictis.

36. Dictum est autem praedestinationem esse partem providentiae. Unde, sicuti omnis providentia, praeter actum intellectus, qui est praeconceptio mediorum (gratiarum efficacium et bonorum operum) ordinantium creaturam rationalem

Ordo existens inter *praedestinationem*, *propositum* et *electionem*.

in vitam aeternam, includit praedestinatio *actum voluntatis*, et quidem vel formaliter vel mere praesuppositive, a qua quaestione modo praescindimus. Porro actus ille voluntatis quem includit praedestinatio, dicitur *a*) *electio* et *b*) *propositum* sive *dilectio*. Illud autem differt inter propositum et electionem, quod *propositum* est absoluta atque efficax Dei voluntas, qua ex gratuito amore aliquibus vult conferre bonum vel fidei vel justificationis vel gloriae. *Electio* vero est eadem illa Dei voluntas, secundum quod includit specialem favorem erga praedestinatos, h. e. secundum quod Deus hoc bonum vel fidei vel justificationis vel gloriae vult conferre quibusdam *prae aliis*, quos non praedestinat. Hinc, sicuti ad praedestinationem praesupponitur electio, sic ad electionem praesupponitur propositum seu dilectio. « Nemo enim eligitur, nisi jam distans ab eo qui non eligitur, » ut ait Augustinus, L. I. Divers. quaest. ad Simplic., q. 2, n. 7. — Quotupliciter autem dividitur praedestinatio, totidem etiam modis dividitur tum electio tum propositum, uti per se est manifestum.

Quaestio hic discutienda.

37. Quaeritur hic utrum divisiones quas praemisimus, fundentur in modo loquendi s. Scripturae, s. Augustini et ceterorum Patrum qui de praedestinatione tractaverunt. Negativam hujus quaestionis solutionem tradunt quamplurimi theologi ex iis qui defendunt sententiam de praedestinatione ad gloriam ante praevisa merita. Hi scilicet asserunt in sacra Scriptura et apud s. Augustinum haec nomina *praedestinatio*, *electio*, *propositum*, semper, implicite vel saltem praesuppositive, importare praedestinationem ad gloriam, ita ut nonnisi vi prioris decreti eligendi et praedestinandi ad gloriam, Deus dicatur eligere et praedestinare quosdam ad fidem, ad justificationem et ad bona opera in statu fidei vel justificationis facta. Quocirca, etiamsi sacris scriptoribus vel sancto Augustino speciatim sit sermo de electione et praedestinatione ad fidem vel ad justificationem, contendunt hi auctores intentionem sermonis restringi oportere ad solos glorificandos, quia horum solorum fidem ac justificationem aiunt esse sive objecta sive effectus praedestinationis. Contra quos sit

Propositio.

Usu Scripturarum, s. Augustini ceterorumque Patrum praedestinatio, electio, propositum, interdum ita accipiuntur pro praedestinatione ad gratiam, ut neque implicite neque praesuppositive includatur earumdem vocum significatione praedestinatio ad gloriam.

Probatio ostendens usu Scripturae significatione praedestinationis, electionis, et propositi non semper includi praedestinationem ad gloriam.

38. Probatur I° ita habere usum Scripturae, maxime ex Ep. ad Eph. I, 3-13, qui locus cum duobus aliis ex 1 Cor. II, 7 et Ep. ad Rom. VIII, 29, 30, sunt soli Novi Testamenti loci in quibus sensu huc attinente adhibeatur vox προορίζω, *praedestino*. Sic autem ibi loquitur Apostolus : « Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos *in omni benedictione spirituali in caelestibus* in Christo [en executionem sive effectum praedestinationis,] sicut *elegit nos* in ipso *ante mundi constitutionem*, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate [en electionem atque praedestinationem hic assertam secundum duplicem antecessionem tum durationis, ut accipitur ex hoc versiculo per se sumpto, tum causalitatis, uti accipitur ex nexu hujusce versiculi cum versiculo praecedente]. *Qui praedestinavit nos* in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, *secundum propositum voluntatis suae* [en prioritatem propositi respectu praedestinationis], in laudem gloriae gratiae suae, *in qua gratificavit nos* in dilecto Filio suo. In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, *remissionem peccatorum*, secundum divitias gratiae ejus... In quo [h. e. in Christo] etiam nos *sorte* [electione : ἐκληρώθημεν] vocati sumus, *praedestinati secundum propositum ejus*, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae... In quo et vos, quum audissetis verbum veritatis (evangelium salutis vestrae) *in quo et credentes signati estis Spiritu promissionis sancto*, qui est pignus hereditatis nostrae, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriae ipsius. »

Praedestinationis, electionis et propositi, de quibus hic agit Apostolus, explicite figuntur tamquam objectum justificatio et opera bona facta in justificatione : « Ut essemus, inquit, sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate ; » « in qua gratia [justificante] gratificavit nos, » « in quo habemus remissionem peccatorum. » Porro non solum *a*) nihil est

in toto contextu unde erui queat, si minus explicite, saltem implicite vel ad minimum praesuppositive, efficax decretum conferendi gloriam includi significatione praedictarum vocum *praedestinationis*, *electionis*, *propositi*; verum, contra, *b*) Apostolus, versiculo 13 aperte edisserit praedestinationem, electionem, propositum, de quibus mox disseruerat, pertinere ad omnes Ephesios qui credentes acceperunt in baptismo gratiam justificationis. « In quo et vos, inquit, quum audissetis, » etc. Similiter omnes christiani, h. e. omnes omnino credentes, dicuntur *electi* in 1 Thess. I, 4 : « Scientes, inquit ibi Apostolus, fratres dilecti a Deo, *electionem vestram* : quia Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed et in virtute. » Eademque significationis amplitudine ea vox adhibetur etiam 1 Pet., I, 1 : « Petrus, apostolus Jesu Christi, *electis advenis* dispersionis Ponti, » etc. Cf. Rom. IX, 11-13, ubi in electione Jacob prae Esau typice adumbratur electio gentilium prae Judaeis ad fidem.

Probatio ostendens eumdem esse usum praedictarum vocum apud s. Augustinum.

39. PROBATUR II° ita habere usum s. Augustini, maxime ex tribus. *Primo* ex definitione praedestinationis quam tradit s. Doctor L. de Praed. sanct., c. 10. Generaliter videlicet ibi definit praedestinationem esse *praeparationem gratiae*, sic manifesto perhibendo omnem gratiam efficacem, incipiendo a gratia fidei, esse praedestinationis effectum. Et revera ex mente s. Augustini hanc definitionem protendi ad omnes omnino gratias efficaces, scilicet non solum ad eas quae connectuntur cum effectu finali gloriae, sed etiam ad alias, quae tali connexione carent, manifestum erit attendenti ad totum contextum disputationis institutae in capite 10 libri citati. Disputat ibi s. Augustinus de initio fidei, undenam sit. Asserit autem *a*) initium fidei *cuique qui dignus est* ut perveniat ad salutem religionis christianae, h. e. *omni credenti*, provenire *ex gratia vel ex praedestinatione*. Ut autem ostendat perinde esse si dicatur initium fidei esse ex gratia, ac si dicatur eam esse ex praedestinatione, asserit *b*) illud solummodo interesse inter praedestinationem et gratiam, quod praedestinatio est gratiae praeparatio ; gratia vero est effectus talis praeparationis. Ut autem hoc ipsum suum assertum probet, hoc est ut ostendat rite a se traditam esse praedictam definitionem praedestinationis cujus tanta sit amplitudo, *c*) primam pro ea probationem

adducit ex textu Apostoli : Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu *in operibus bonis, quae praeparavit Deus ut in illis ambulemus* (Eph. II. 9, 10). Deinde *d*) alteram rationem pro ea reddit ex eo quod, nonnisi praedestinando, potuit Deus praescire ea quae ipse facturus erat, h. e. opera ex gratia facta, quae antonomastice dicuntur esse opera Dei. Ex duplici hac ratione concludit *e*) recte a se definitum esse praedestinationem esse gratiae praeparationem et omnem gratiam esse praedestinationis effectum. Unde tandem *f*) concludit principale suum intentum, scilicet *fidem esse ex gratia vel ex praedestinatione*, simul secundam pro hac propositione adducens rationem ex eo quod Deus *nonnisi de sua praedestinatione* potuit promittere Abrahamo fidem gentium, quae sane est *fides omnium qui crediturі erant in Christum*. En verba Augustini : « Item quod dixi : salutem religionis hujus nulli unquam defuisse qui dignus fuit, et *dignum non fuisse cui defuit;* si discutiatur unde *quisque* sit dignus, non desunt qui dicant, voluntate humana : *nos autem dicimus, gratia vel praedestinatione divina*. Inter gratiam porro et praedestinationem hoc *tantum* interest, quod praedestinatio est *gratiae praeparatio*, gratia vero jam ipsa donatio. Quod itaque ait Apostolus : Non ex operibus, ne forte quis extollatur : ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Jesu in operibus bonis : gratia est; quod autem sequitur, quae praeparavit Deus ut in illis ambulemus, praedestinatio est, quae sine praescientia non potest esse ; potest autem esse sine praedestinatione praescientia. *Praedestinatione quippe Deus ea praescivit quae fuerat ipse facturus ;* unde dictum est : Fecit quae futura sunt (Is. XLV). Praescire autem potens est etiam quae ipse non facit, sicut quaecumque peccata... Quocirca praedestinatio Dei, quae in bono est, gratiae est, ut dixi, praeparatio : *gratia vero est ipsius praedestinationis effectus*. Quando *ergo* promisit Deus Abrahae in semine ejus *fidem gentium*, dicens : Patrem multarum gentium posui te; unde dicit Apostolus : Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini : *non de nostrae voluntatis potestate, sed de sua praedestinatione promisit. Promisit enim quod ipse facturus erat, non quod homines.* »

Idem usus Augustini nomen praedestinationis praedicta amplitudine usurpandi probatur *secundo argumentatione ex absurdo*, qua passim utitur s. Augustinus ad evincendum admittendam esse illam praedestinationem quam ipse defendit. Argumentum ejus est tale : Si aliquod suum donum (h. e. opus salutare) Deus non praedestinavit, ergo neque illud praescivit. Consequens est absurdum. Ergo. Patet autem de hoc argumento aut consequentiam in ejus majore assertam esse falsam, aut dicendum esse juxta mentem s. Augustini omnia opera salutaria, etiam non salvandorum, esse praedestinata. En verba Augustini ex capite 17 Libri de Dono persev., nn. 41 et 42, ubi agit adversus eos qui asserebant praedicatione praedestinationis segnitiem atque desperationem injici mentibus hominum, et sic vim exhortationis ad virtutem impediri : « Namque in sua quae falli mutarique non potest praescientia, opera sua futura disponere, *id omnino nec aliud quidquam est praedestinare*. Sicut autem ille quem castum futurum esse praescivit, quamvis id incertum habeat, agit ut castus sit : ita ille quem castum futurum praedestinavit, quamvis id incertum habeat, non ideo non agit ut castus sit, quoniam Dei dono se audit futurum esse quod erit ; immo etiam gaudet ejus charitas, nec inflatur, tamquam id non acceperit. Non solum ergo praedicatione praedestinationis ab hoc opere non impeditur, verum et ad hoc adjuvatur, ut, quum gloriatur, in Domino glorietur. Quod autem dixi de castitate, hoc de fide, hoc de pietate, hoc de charitate, de perseverantia, et, ne pergam per singula, *hoc de omni obedientia qua obeditur Deo*, veracissime dici potest. Sed ii [Semipelagiani] qui solum initium fidei et usque in finem perseverantiam sic in nostra constituunt potestate, ut Dei dona esse non putent, neque ad haec habenda atque retinenda Deum operari nostras cogitationes et voluntates, cetera vero ipsum dare concedunt, quum ab illo impetrantur credentis fide, cur ad ipsa cetera exhortationem eorumque ceterorum praedicationem definitione praedestinationis non metuunt impediri? *An forte nec ipsa dicunt praedestinata? Ergo nec dantur a Deo, aut ea se daturum esse nescivit?* Quod si et dantur, et ea se daturum esse praescivit, *profecto praedestinavit*. Sicut ergo ipsi quoque hortantur ad castita-

tem, charitatem, pietatem *et cetera quae Dei dona esse confitentur, eaque ab illo esse praecognita, ac per hoc praedestinata, negare non possunt*; nec dicunt exhortationes suas impediri *praedicatione praedestinationis Dei*, hoc est *praedicatione de his donis ejus futuris praescientiae Dei* : sic videant nec ad fidem, nec ad perseverantiam impediri exhortationes suas, si *et ipsa*, quod verum est, *esse Dei dona eaque praecognita*, id est ad donandum praedestinata, esse dicantur; sed impediri potius atque subverti hac praedestinationis praedicatione illum tantummodo perniciosissimum errorem quo dicitur gratiam Dei secundum merita nostra dari, ut qui gloriatur, non in Domino sed in seipso glorietur. »

Porro ubique passim toto decursu librorum de Praedest. sanct. et de Dono persev. idem argumentum repetit Augustinus. Sic v. g. de Dono persev., c. 17, n. 47 : « Haec Dei dona, si nulla est praedestinatio quam defendimus, non praesciuntur a Deo : praesciuntur autem ; haec est igitur praedestinatio quam defendimus. » Tum c. 18, n. 47 : « Praedestinasse est hoc praescisse quod fuerat ipse facturus. » Circa quae loca adverte insuper sequentia ex contextu : *a*) s. Augustinus ibi disputat contra Semipelagianos, qui procul dubio negabant praedestinationem ad gloriam fieri ante praevisa merita, uti patet ex epistolis Prosperi et Hilarii ad Augustinum et ex ipsis hisce libris Augustini. Nihilominus affirmat s. Augustinus *propter hoc solum* quod Semipelagiani affirmant bona opera, exceptis initio fidei et perseverantia finali, esse dona Dei, consequenter confitendum eis esse haec bona opera esse praedestinata. Non ergo ex mente s. Augustini praedestinatio ad gratiam et ad bona opera necessario connectitur cum decreto aliquo antecedente conferendi gloriam. — *b*) Initio hujusce partis suae tractationis, c. 15, objectionem Semipelagianorum sic proponit Augustinus : « Sed aiunt, ut scribitis, neminem posse correptionis stimulis excitari, si dicatur in conventu ecclesiae, audientibus multis : Ita se habet de *praedestinatione* definita sententia voluntatis Dei, ut alii ex vobis de infidelitate, accepta obediendi voluntate, veneritis ad fidem, vel, *accepta perseverantia*, *maneatis in fide*, » etc., ubi perspicue distinguit s. Doctor inter praedestinationem *ad solam gratiam* et praedestinationem ad gloriam.

Tandem nomen praedestinationis amplissimo illo quo praediximus sensu identidem usurpari ab Augustino, probatur *tertio* ex eo quod Augustinus tum in libris citatis tum in aliis suis operibus aperte insinuat decretum praedestinandi ad gratiam esse prius quam decretum praedestinandi ad gloriam. Ex tali videlicet ordine prioritatis ab eo asserto efficitur ut ex ejus mente in decreto praedestinandi gratiam neque implicite neque etiam praesuppositive includatur decretum praedestinandi gloriam. Verum de hoc argumento speciatim dicetur postea.

Quia autem ad omnem praedestinationem praesupponitur *electio* et *propositum*, consequens est ex modo citatis, neque harum vocum significatione, penes usum s. Augustini, semper implicite vel saltem praesuppositive includi electionem ad gloriam vel propositum conferendi gloriam. Attamen ad abundantiorem hujus rei probationem accipe sequentia ex s. Doctore : *a*) Libro de Praed. sanct., c. 18, n. 36, argumentans ex versiculo 3 capitis I Epistolae ad Eph. : « Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, *ut essemus sancti et immaculati ;* » sic interpretatur hunc textum : « Non ergo quia futuri eramus, sed *ut essemus*. Nempe certum est, nempe manifestum est : *ideo* quippe tales eramus futuri, *quia elegit ipse*, praedestinans ut tales per gratiam ejus essemus. » — *b*) Eodem libro, c. 16, n. 32, sic loquitur de omnibus efficaciter vocatis ad fidem : « Vocat enim Deus praedestinatos multos filios suos, ut eos faciat membra praedestinati unici filii sui, non ea vocatione qua vocati sunt et qui noluerunt venire ad nuptias (Luc. XIV) ; illa quippe vocatione et Judaei vocati sunt, quibus Christus crucifixus scandalum est ; et gentes, quibus crucifixus stultitia est : sed ea vocatione praedestinatos vocat, quam distinxit Apostolus dicens, ipsis vocatis Judaeis et Graecis praedicare se Christum, Dei virtutem et Dei sapientiam. Sic enim ait : *ipsis autem vocatis* (1 Cor. I, 23, 24), ut illos ostenderet non vocatos : *sciens esse quamdam certam vocationem eorum qui secundum propositum vocati sunt*, quos ante praescivit et praedestinavit conformes imaginis filii sui. »

Probatio ostendens eumdem esse usum praedi-

40. PROBATUR III° usum nomen praedestinationis accipiendi amplissimo illo sensu quem in thesi notavimus, commu-nem esse ceteris Patribus. Ex quibus sufficiat huc adduxisse

Fulgentium, qui in libro I ad Monimum, c. 11 : Haec autem omnia, inquit, id est et *vocationis nostrae initia* et *justificationis augmenta* et *glorificationis praemia* in praedestinatione semper Deus habuit, *quia et* in vocatione *et* in justificatione *et* in glorificatione sanctorum gratiae suae opera futura praescivit. »

ctarum vocum apud ceteros Patres.

CAPUT VI.

De gratuitate praedestinationis.

—

Quaestio hic discutienda.

41. Postquam sufficienter determinatum est de natura ac veluti essentia praedestinationis, debitus ordo doctrinae postulat ut jam dicatur de causis ejusdem. Quaeritur scilicet utrum ex parte ipsius hominis praedestinati vel saltem ex parte aliorum hominum valeat assignari aliqua causa praedestinationis; an vero tota praedestinationis causa unice assignanda sit ex parte Dei. Quae quaestio bifariam institui valet. Potest enim esse sermo de praedestinatione, prouti haec sub suo objecto claudit primam gratiam, sive hoc modo complete sive incomplete accipiatur; vel potest agi de praedestinatione, prout hujus objectum inchoari intelligitur ab effectu aliquo consequente primam gratiam. Quaeritur hic de causis praedestinationis primo modo consideratae. Unde quaeritur utrum praedestinatio sive completa ad gratiam simul et ad gloriam, sive incompleta ad gratiam seorsim, incipiendo tamen seriem gratiarum a prima gratia, habeat aliquam causam ex parte ipsorum hominum. Ad cujus quaestionis statum enucleatius determinandum sequentia animadvertenda sunt.

Enucleatior quaestionis propositae determinatio.

42. *Primo* notandum est quaeri hic de causa praedestinationis secundum quod haec includit actum volendi, quandoquidem per talem actum ratio mediorum supernaturalium existens in intellectu divino determinatur ad hoc ut sit formaliter praedestinatio. Hoc porro modo non quaeritur utrum homo per aliquam suam actionem sit causa physica praedestinationis; nam, praeterquam quod Deus sine ulla sui immutatione et sic sine ulla efficientia vult aliquid circa creaturas, causa physica ejus volitionis, si qua existeret, non posset esse nisi sola ejus voluntas. Quaeritur proinde utrum homo per aliquam suam actionem possit esse causa moralis praedestinationis sive suae propriae sive alterius hominis. Patet autem non posse aliter eum esse causam

moralem praedestinationis nisi secundum quod per aliquam suam actionem est causa ejus meritoria. Unde tandem quaeritur utrum ipse possit mereri suam praedestinationem, an vero haec, sive totaliter sive ex parte suae inchoationis spectata, sit prorsus gratuita.

Secundo notandum est meritum quod respectu cujuscumque retributionis a Deo reddendae inesse potest alicui hominis actioni, esse vel meritum de condigno, vel meritum de congruo, vel meritum impetrativum. Quae quidem tres differentiae meriti non univoce sed analogice conveniunt in una ratione meriti. Solum quippe meritum de condigno est meritum proprie dictum; meritum vero de congruo et meritum impetrativum sensu solummodo lato et analogico dicuntur merita. Si proinde definiri velit meritum secundum totam latitudinem analogicam hujus vocis, haec ejus definitio exsurget : Meritum est *jus* ad retributionem, vel est *proportionalitas* ad retributionem secundem exigentiam vel saltem secundum decentiam, vel demum est qualiscumque *ratio acceptabilis* ad retributionem, conveniens actioni quae *a*) sit libera et quae *b*) tum ex se tum ex benevola intentione facientis cedat in bonum illius personae respectu cujus dicitur meritoria, quaeque tandem *c*) eidem huic personae sit accepta. Ex ultima parte hujus definitionis patet quaenam sint tres conditiones generales, requisitae ad omne meritum. Secundum quod hisce conditionibus accedunt vel non accedunt aliae conditiones, enascuntur diversae rationes meriti quas secundum diversos respectus ad retributionem indicat prima pars definitionis.

Meritum itaque *de condigno*, sive meritum proprie ac rigorose sumptum, est illud cui ex debito justitiae debetur retributio, propterea quod *a*) *propter dignitatem personae offerentis* actio oblata est in genere moris ejusdem pretii sive valoris atque retributio, et quod *b*) intercessit pactum saltem implicitum dandi retributionem. Circa quam definitionem nota, proprie loquendo, repugnare ut creaturae respectu Dei competat jus aliquod justitiae, ideoque repugnare etiam ut Deus ex officio justitiae teneatur ad retribuendum aliquid creaturae. Rationes hujus asserti sunt — tum *a*) quod nulla est actio creaturae quae secundum omnem respectum in ea considerabilem non sit debita Deo tamquam supremo

rerum omnium domino: solventi autem debitum non debetur retributio ex officio justitiae; — tum etiam *b*) quod omne officium justitiae involvit dependentiam respectu alterius cui competit jus exigendi debitum; infinitae autem perfectioni Dei repugnat qualitercumque dependere a creatura. Non tamen haec obstant quominus etiam respectu Dei quaedam actiones creaturae intellectualis vere ac proprie dicantur esse meritoriae de condigno. Nam non quidem creaturae, sed *sibi ipsi* tamquam sapienti gubernatori ac legislatori debet Deus ut pro quibusdam actionibus reddat retributionem condignam. Secundum talem porro intelligentiam intelligitur et justitiam retributivam esse vere attributum Dei, et Deum conferre creaturae aliquam retributionem ex debito justitiae. Hinc propter dignitatem filii adoptivi, quam tribuit gratia sanctificans, omnes actiones bonae, in statu justificationis factae, sunt de condigno meritoriae tum ulterioris gratiae tum vitae aeternae.

Actio meritoria de congruo est ea quae propter defectum dignitatis ex parte personae offerentis deficit quidem ab aequalitate cum retributione in ratione pretii, cui tamen aliunde vel inest exigentia retributionis vel saltem condecens est ei reddi retributionem. Hoc modo omnes actiones ex gratia actuali factae, quibus peccator positive disponitur ad recipiendum gratiam justificantem, sunt meritoriae de congruo respectu gratiae insequentis recipiendae et sic ultimato respectu ipsius justificationis recipiendae.

Tandem *actiones meritoriae impetrative* sive meritoriae de congruo sensu latissimo, sunt petitiones, preces, etc., secundum quod eis inest aliqualis ratio obsequii, propter quam pro libitu illius cui offeruntur, valent rationabiliter acceptari ad rem petitam per modum retributionis dandam.

Tertio notandum est actum praedestinandi in Deo considerari posse vel quoad ejus entitatem vel quoad ejus terminationem. Manifestum est autem ex parte hominis non posse assignari rationem cur in Deo sit actus praedestinandi entitative sumptus. Quaeritur proinde solummodo utrum homo possit mereri terminationem actus praedestinativi. Sive aliter, quaeritur utrum actio aliqua meritoria hominis possit existere ratio cur immutabilis actus voluntatis divinae nanciscatur liberam terminationem ad totale objectum prae-

destinationis. Verum, supposito hoc sensu quaestionis hic instituendae, adhuc distinguendum est. Liberae quippe terminationis voluntatis divinae ad aliquod objectum potest assignari vel ratio formalis vel ratio mere materialis. Si sermo sit de ratione formali *propter quam* voluntas divina terminatur ad objectum praedestinationis, manifestum est hanc non posse assignari ex parte hominis vel ullius creaturae : sola quippe increata bonitas essentiae divinae est ratio movens voluntatem divinam ad volendum omne id quod quomodocumque vult. Quaeri proinde solummodo potest utrum ex parte hominis valeat assignari ratio materialis cur voluntas divina terminetur ad objectum praedestinationis. Porro *rationem materialem* hic vocamus aliquid quod, sive ex natura rei sive quia Deus sic libere statuit, requiritur *ex parte termini materialis* voluntatis divinae adesse, ad hoc ut ille terminus respectu voluntatis divinae habeat rationem *medii appetibilis* propter increatam Dei bonitatem. Rursum dupliciter contingere potest unum esse Deo rationem materialem volendi aliud. Uno quidem modo, in quantum unum est causa finalis alterius, et hoc modo Deus vult id quod est prius, esse propter id quod est posterius. Alio vero modo, in quantum unum est causa materialis alterius, et hoc modo Deus vult id quod est posterius, esse propter id quod est prius. Solummodo quaeri potest utrum hoc altero modo opus meritorium possit esse ratio materialis cur divina voluntas nanciscatur terminationem ad objectum praedestinationis. Causa enim meritoria causat non *ut sit*, sed *quia est*; secundum quod autem est, sic opus meritorium se tenet ex parte causae materialis respectu gratiae vel gloriae recipiendae.

Quarto denique notandum est, aliud esse quaerere utrum homo possit mereri *effectum praedestinationis*, aliud vero utrum ipse possit mereri *ipsammet suam praedestinationem*. Nam, excepta prima gratia, omnes catholici consentiunt posse hominem mereri ceteros effectus praedestinationis, h. e. tum gratias subsequentes, tum ultimato ipsam gloriam. At vero quotquot defendunt praedestinationem fieri ante praevisa merita, absolute negant posse hominem mereri ipsammet suam praedestinationem non solum ad primam gratiam, sed neque ad ullam gratiam subsequentem vel ad gloriam. Haec enim

omnia decernunt praedestinari, nullo respectu habito ad merita. Nihilominus, etiamsi ex eo quod homo meretur effectum praedestinationis, non sit consequens ipsum mereri ipsammet suam praedestinationem, quod rectene asseratur an secus, nunc in medio relinquimus; at vero ratio inversae consequentiae procul dubio tenet. Quamobrem ad decidendam quaestionem quae nunc tractanda est, sufficit quaerere utrum homo possit mereri *totalem effectum praedestinationis*. Haec autem quaestio reducitur ad quaestionem utrum homo possit mereri primum effectum praedestinationis, h. e. primam gratiam. Nam si hanc mereri posset, hujus ope posset mereri omnes subsequentes gratias usque ad gloriam inclusive, et sic posset mereri totalem effectum praedestinationis. Contra, quia a primo effectu praedestinationis tota series ceterorum effectuum praedestinationis causaliter pendet, si prima gratia sit pure gratuita, etiam ceteri effectus praedestinationis, in prima sua origine spectati, erunt pure gratuiti, et sic tota praedestinatio, simpliciter loquendo, erit gratuita. Secundum quem sensum Paulus ad Rom. VI, 23, vitam aeternam, licet haec sit merces propter merita collata, gratiam vocat. « Stipendia, inquit, peccati mors. Gratia autem Dei, vita aeterna, in Christo Jesu Domino nostro. » Ad quem locum Apostoli respiciens concilium Tridentinum, sess. VI, cap. 16, sic perhibet de fructu justificationis : « Atque ideo bene operantibus usque in finem et in Deo sperantibus proponenda est vita aeterna et *tamquam gratia* filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, et *tamquam merces* ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda. » Idem docet s. Augustinus, ep. 194, ad Sixt., c. 5, n. 19 : « Ipsa vita aeterna, inquit, quae utique in fine sine fine habebitur, et ideo meritis praecedentibus redditur, tamen quia eadem merita quibus redditur, non a nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam, *etiam ipsa gratia nuncupatur*, non ob aliud nisi quia gratis datur, nec ideo quia non meritis datur, *sed quia data sunt et ipsa merita quibus datur*. » Quo sensu idem s. Doctor L. de Corr. et grat., n. 13, de omnibus meritis electorum generatim asserit : « Gratia illis est omne meritum. »

43. Sic igitur determinato statu quaestionis, quaeruntur tria, scilicet 1° utrum ipse homo praedestinatus possit mereri totam suam praedestinationem ; 2° utrum Christus Deus-homo, tamquam caput membris, unicuique praedestinatorum meritus sit totam ejus praedestinationem ; ac tandem 3° utrum aliquis purus homo possit mereri alii homini totam ejus praedestinationem. Controversia est maxime de prima quaestione; hac quippe soluta, facile erit expedire per brevia scholia duas quaestiones reliquas.

Divisio quaestionis propositae in tres quaestiones magis particulares.

44. Circa hanc itaque quaestionem tres hic veniunt refellendae sententiae. Prima est haeresis Pelagianorum, qui negaverunt necessitatem gratiae internae supernaturalis, dicentes nullam aliam gratiam esse necessariam ad salutariter operandum praeter gratiam externam liberi arbitrii naturalis homini vi creationis collati. Secundum quod eorum primarium dogma Pelagiani consequenter negabant praedestinationem, tollendo ejus objectum. Postea tamen Pelagius atque ejus asseclae concesserunt dari hominibus gratiam internam proprie dictam; addiderunt tamen eam non esse necessariam ad bene operandum, sed eam praestari solummodo ad facilius operandum. Ulterius professi sunt eam cuique homini conferri vel non conferri *secundum praecedentia merita vel demerita liberi arbitrii naturalis*. Juxta hoc itaque suum dogma consequenter docuerunt Pelagiani unumquemque hominem per operationes naturaliter honestas posse de condigno mereri totam suam praedestinationem (cf. de hac haeresi s. Augustinum, de Haeresibus, haer. 88, et epist. 157 ad Hilar. Syracus; s. Hieronymum, ep. ad Ctesiphont. et dialog. cont. Pelag.; s. Prosperum, ep. ad Rufin.; Vincentium Lirinensem, Contra profanas novit., c. 34).

Sententiae hic refellendae : 1. haeresis Pelagianorum.

45. Secunda est haeresis Semipelagianorum, qui dicti sunt etiam Massilienses vel reliquiae Pelagianorum. Hi, ducibus Cassiano (Collat. 13 a cap. 8) et Fausto Rhegiensi (De grat. et lib. arb., L. I, cap. 12, et praesertim L. II, c. 9), in reliquis quidem omnibus a Pelagio recesserunt, confitentes hominem nasci peccato originali infectum et veram gratiam internam ei esse simpliciter necessariam non solum ad remissionem peccatorum, sed etiam ad bona opera et ad gloriam obtinendam. Verum parvulum aliquod initium salutis libero arbitrio naturali reservaverunt, et secundum meritum hujusce

2. haeresis Semipelagianorum.

initii dixerunt primam gratiam a Deo conferri. Unde et ipsi docuerunt hominem per praecedens meritum naturale totam suam praedestinationem promereri. Rationes eorum praecipuae fuerunt hae duae, quod scilicet, si dicatur primam gratiam esse pure gratuitam, consequens sit *a*) non omnibus hominibus patere liberum accessum ad fidem et ad salutem, et *b*) Deum esse acceptorem personarum, quippe qui aequalibus secundum naturam et secundum peccatum originale inaequalia referat. Porro parvulum hoc initium quod Semipelagiani constituebant esse primam causam gratiae et praedestinationis, alii eorum dixerunt esse aliquale *desiderium salutis*, alii illud esse *orationem ex propria libertate ad Deum factam ;* plerique tamen illud constituerunt *in initio fidei* vel *in initio bonae voluntatis credendi*. In re tamen non videntur dissensisse; oratio enim vel desiderium salutis quod quidam eorum requirebant, videtur inclusisse bonam voluntatem credendi. Porro vix dubitari potest quin Semipelagiani naturali huic initio fidei, quod dicebant esse exordium salutis, tribuerint solummodo rationem *meriti de congruo*. Hoc scilicet eruitur *a*) ex eo quod hoc satis expresse indicat s. Augustinistus tum alibi saepe, tum libro de Praed. sanct., c. 2, n. 6 : « Videte, inquit, si quid agitur isto modo, nisi ut gratia secundum merita nostra detur *quolibet modo*, ac sic gratia non sit gratia. » Idem colligitur *b*) ex verbis satis expressis Cassiani, Collat. 13, cap. 9, et L. XII de Coenobiorum institut., cc. 11 et 14. Inter alia sic ibi ait : « Dicimus secundum Salvatoris sententiam dari quidem petentibus, et aperiri pulsantibus, et a quaerentibus inveniri; sed petitionem et pulsationem et inquisitionem nostram *non esse condignam*, *nisi misericordia Dei* [non justitia] id quod petimus, dederit. » Tandem idem evincitur *c*) ex eo quod gratiam dari secundum meritum de condigno, fuit unum ex principalibus dogmatibus Pelagii damnatis a Patribus concilii Palaestini; Semipelagiani vero in omnibus dissentiebant a Pelagio, hoc uno excepto, quod, ad salvandum liberum accessum ad fidem et ad liberandum Deum ab acceptione personarum, initium salutis constituebant in nobis; huic autem eorum intento sufficiebat initium meritorium de congruo.

46. Est tandem *tertia sententia* quorumdam Scholasticorum, qui et ipsi posuerunt existere ex parte liberi arbitrii naturalis causam primae gratiae ac subinde totius praedestinationis. Docuerunt scilicet quibusdam operibus naturaliter honestis ante justificationem factis hominem *positive disponi* ad primam gratiam recipiendam. Ejusmodi opera posuerunt esse praesertim haec tria, scilicet *a*) petitionem qua ex toto corde petit homo illuminari de veritate et de justitia; *b*) contritionem mere naturalem de peccatis, et *c*) actum naturalem dilectionis Dei super omnia. Ita maxime docuerunt Gabriel (in Sent. I, d. 41, quaest. unica, a. 3; in II, d. 17, q. 1, a 2, circa fin., et a. 3, dubio 4; in III, dist. 17, q. unica, a. 3, dub. 2; in IV, d. 14, q. 1, a. 2), — Durandus (in Sent. II, d. 28, q. 5),—Scotus (in Sent. IV, d. 14, q. 2, § De secundo), — Richardus (in Sent. II, d. 28), — Gerson (Alph. 24, lit. M, et Alphab. 61; in primo tract. de Vit. spir., lect. 1),—Soto (L. II de Nat. et grat., c. 3). Assertionem limitant Vega (L. VI in Trident., cc. 17-20) et Javel (tract. de Praed., ad I p., q. 23, a. 5) ad casus aliquos raros et quasi extremae necessitatis, v. g. si infidelis aliquis invincibiliter ignoret fidem. Inter hos auctores Gabriel, Scotus et Javel expresse asserunt dicta opera moraliter honesta esse meritoria de congruo respectu gratiae ad quam positive disponunt. Quod licet ceteri non addant, tamen hoc omnino consequens est ex eorum sententia. Immo plerique ex auctoribus citatis multo longius adhuc procedunt, asserentes cum Scoto et cum Gabriele contritionem naturalem vel dilectionem naturalem Dei super omnia sufficere tamquam ultimam dispositionem ad recipiendam gratiam justificantem et ad remissionem peccatorum. Quod etiam docent Vega et Javel, sub limitatione quam modo memorabamus.

3. Sententia nonnullorum Scholasticorum.

Rationes horum auctorum sunt valde similes rationibus Semipelagianorum, quod scilicet, *a*) si negetur talibus operibus naturaliter honestis hominem disponi ad gratiam, valde difficile sit salvare Deum non esse acceptorem personarum, et quod *b*), et in idem recidit, opera naturaliter honesta habeant respectu gratiae generalem illam congruentiam quae in omni prudenti gubernatione locum habet, quatenus scilicet is qui facit quod in se est, censetur dignus juvamine ad hoc ut plus possit.

Ad ea vero quae ipsis objicuntur, scilicet *a*) tali doctrina destrui rationem gratiae, et *b*) eam esse aperte damnatam in conciliis Milevitano, Arausicano II et Tridentino, respondent negando utrumque. Nam, quod attinet ad primum, aiunt rationem gratiae solummodo tolli, si dicatur eam conferri ex debito justitiae, h. e. propter meritum de condigno. Quod dicunt patere ex sensu communi omnium hominum. Eum enim qui respiciens ad qualemcumque congruitatem petitionis, citra ullum debitum justitiae alicui rem petitam conferat, censeri omnium hominum judicio conferre donum omnino gratuitum. Quod vero attinet ad secundum, aiunt Semipelagianos docuisse initium ex viribus naturae habitum esse de condigno meritorium gratiae, et hoc solummodo in citatis conciliis damnatum esse. Quomodo Vega (lib. VIII in Trident., cc. 4 et sqq.) speciatim explicat doctrinam concilii Tridentini in capite octavo sessionis VI. Eique suffragatur Cardinalis Toletus (in Ep. ad Rom. c. 8, annot. 31), ubi docet gratiae solummodo opponi meritum quod ex justitia est, ideoque eos non tollere rationem gratiae qui ex parte liberi arbitrii naturalis ponunt aliquam causam ejus, dummodo non ponant meritum de justitia.

Porro judicio Suarezii (de Praedest., L. II, c. 6, n. 44) difficile est quidem hanc sententiam damnare ut haereticam, quia sub hac speciali intelligentia non satis aperte tangitur in canonibus conciliorum. Omnino tamen dicendum esse ait eam esse falsam et vitandam doctrinam; cum sufficienti quippe certitudine convinci eam repugnare generalibus fundamentis doctrinae gratiae, qualia haec et in Scripturis et in definitionibus conciliorum proponuntur.

Propositio.

Praedestinatio tam incompleta ad gratiam quam completa ad gratiam simul et ad gloriam, non est ex ullis praevisis meritis sed prorsus gratuita.

Duplex propositionis fundamentum.

47. In primis manifestum est sive initialem sive totalem effectum praedestinationis non posse causari ex ullis meritis supernaturalibus primam gratiam consequentibus. Etenim *a*) talia merita supponunt collationem primae gratiae, ac

proinde non causant eam. Insuper *b*) ipsa pertinent ad effectum praedestinationis : unde si ipsa causarent totalem effectum praedestinationis, essent causa suimetipsorum, quod absurdum est. Si proinde sive initialis sive totalis effectus praedestinationis cadant sub meritum, oportet dicere eos causari ex meritis operum naturaliter honestorum primam gratiam praecedentium. Hoc autem ostenditur repugnare duplici fundamento quo passim nisus est Augustinus contra Semipelagianos ad eorum errorem de gratia quae secundum merita detur, convellendum.

Primum fundamentum.

48. Primum *fundamentum* est quod juxta doctrinam Scripturae ac traditionis, quam, supposita supernaturalitate gratiae, confirmat ratio, liberum arbitrium naturale per se et secluso influxu gratiae divinae *nihil omnino praestare potest quod qualitercumque sit utile vel conducens ad vitam aeternam veramque justitiam adipiscendam*. Quam quidem doctrinam Scripturae et traditionis falsificari, si per opus naturaliter honestum liberum arbitrium primam gratiam sive de condigno sive de congruo sive impetrative mereri posset, per se manifestum est. Qua enim ratione et quo gradu opus naturaliter honestum esset meritorium primae gratiae, *eadem ratione eodemque gradu* liberum arbitrium praestaret aliquid ad salutem et ad justificationem conducens. Quapropter ad probationem conclusionis hic intentae satis erit si ostendatur praedictam doctrinam reveri contineri in Scriptura et in traditione.

Ejus probatio scripturistica.

49. Probatur itaque veritas primae illius propositionis fundamentalis 1° *ex Scriptura*, e qua tria praesertim accipiuntur testimonia in hac re maxime vulgaria. *Primum* est illud Joan. XV, 5 : « Sine me nihil potestis facere. » Sensus horum verborum, attento contextu, est : Sine me, h. e. sine influxu interioris gratiae a me tamquam a capite derivatae, *nihil* potestis facere. Modo enim dixerat Christus talem esse comparationem apostolorum ad se, qualis est palmitum ad vitem. Unde intulerat, sicut palmites non possunt fructificare nisi humorem ex radice vitis ad se attrahant, sic nec apostolos fructum boni operis proferre posse nisi ex interiore influxu ejus gratiae. Ut autem intelligerent apostoli hanc illationem extendi ad omne quod quomodocumque sit conducens ad justitiam et ad salutem, subjunxit

Christus verba proxime citata : « Sine me nihil potestis facere. »

Secundum testimonium est illud 2 Cor. III, 5 : « Non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis, *quasi ex nobis* [h. e. per solas vires naturae], sed sufficientia nostra ex Deo est. » Uti saepe expendit s. Augustinus (v. g. L. de Praedest. sanct., c. 2, n. 5), initium omnis boni est sancta cogitatio, quia haec necessario praecedere debet omnem bonum motum voluntatis; si proinde hanc ex nobis habere non possumus, ergo nihil omnino quod qualitercumque conducat ad vitam aeternam, possumus habere ex nobismetipsis.

Tertium denique testimonium est illud 1 Cor. IV, 7 : « Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? » Uti rursum explicat s. Augustinus (de Praed. sanct. c. 4, n. 8, et c. 5, nn. 9 et 10), intentio Apostoli quae per tota quatuor priora capitula hujus epistolae viget, est ostendere homini non in homine (cap. III, 21) ideoque neque in seipso (cap. II, 29), sed solummodo in Domino gloriandum esse (c. II, 31), quoties agitur de aliquo opere salutari quo salutariter operans discernitur a non salutariter operantibus. Quocirca ad reprimendam omnem quantulamcumque vanam inflationem superbiae humanae, universaliter in textu citato pronuntiat Apostolus nullum plane esse opus conducens ad salutem quod gratiae divinae in acceptis non sit referendum. Sane, si verae essent sententiae quas hic refellimus, responderi potuisset Apostolo : Habeo initium fidei, habeo contritionem vel dilectionem naturalem, quae non accepi et quibus meritus sum gratiam; de his proinde merito glorior tamquam talibus quibus ipse me discrevi. — Hinc Scriptura tum Epist. ad Eph. II, 10, tum alibi saepe, elevationem hominis ad ordinem gratiae comparat creationi, quia fit ex nullo omnino merito vel dispositione praecedente.

Probatio ducta ex definitionibus conciliorum.

50. Probatur eadem propositio fundamentalis 2° *ex definitionibus conciliorum*. Diserte enim ea propositio continetur hisce canonibus concilii Arausicani II[i]. Canon tertius : « Si quis per invocationem humanam gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere ut invocetur a nobis, contradicit Isaiae prophetae vel Apostolo idem

dicenti : Inventus sum a non quærentibus me, palam apparui his qui me non interrogabant. » Canon quartus : « Si quis *ut a peccato purgemur* voluntatem nostram Deum exspectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per Spiritus Sancti infusionem et operationem in nobis fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti : *Praeparatur voluntas a Domino*, et Apostolo salubriter praedicanti : *Deus est qui operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate.* » Eamdem doctrinam asseruit ac sub anathemate definivit concilium Tridentinum, sessione IV, capite 5° et canone 3°. Verba ejus haec sunt in capite 5° : « Declarat praeterea [sancta synodus] ipsius justificationis *exordium* in adultis a Dei per Christum Jesum praeveniente gratia sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione, qua, *nullis eorum existentibus meritis, vocantur.* » In Canone vero 3° ita definit : « Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere ac poenitere posse, sicut oportet ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit. »

PROBATUR denique praedictum fundamentum 3° *ratione theologica*, quae talis est : Gratia, utpote supernaturalis, est bonum ordinis totaliter transcendentis ordinem bonorum operum naturalium. Sed comparate ad bonum ordinis ea totaliter transcendentis, nulla ne inchoativa quidem potest inesse operibus naturaliter bonis sive condignitas, sive exigentia, sive proportionalitas, sive demum qualiscumque appretiabilitas ratione cujus rationabiliter acceptari queant ad meritum ejusmodi boni. Ergo.

Secundum fundamentum.

51. Secundum *fundamentum* est quod omne meritum sive de condigno sive de congruo sive etiam mere impetrativum *destruit rationem gratiae*, qualem eam Scripturae, Patres ac concilia depraedicant.

Probatio scripturistica.

52. Quod quidem fundamentum PROBATUR 1° *ex Scriptura*. — *a*) Rom. XI, 6 : « Si autem gratia, *jam non ex operibus;* alioquin gratia jam non est gratia. » Hic Apostolus satis manifeste excludit omnem rationem tribuendi gratiam ex operibus petitam tamquam repugnantem genuinae rationi gratiae divinae (cf. Rom. IV). — Et revera *b*) gratia quam Scripturae praedicant, est pure *gratuita*, ipsa est *perfecta donatio ;* in hoc quippe constituunt Scripturae maximam

commendationem gratiae quod Deus eam dat ex pura liberalitate ac munificentia, quin ullam rationem eam dandi accipiat ex parte illam recipientium. Quo sensu ait Paulus ad Eph. I, 5 : « Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, *secundum propositum voluntatis suae, in laudem gloriae gratiae suae.* » — Eaque est ratio *c*) curs. Paulus passim inculcet adeo omne meritum praecedens a ratione dandi gratiam excludi, ut de nullo omnino opere bono homo jure gloriari queat. Nam ad Eph. II, 6 et sqq. : « Consedere nos fecit, inquit, in coelestibus in Christo Jesu. Ut ostenderet in seculis supervenientibus abundantes divitias gratiae suae in bonitate super nos in Christo Jesu. Gratia enim estis salvati per fidem, *et hoc non ex vobis ; Dei enim donum est. Non ex operibus, ut ne quis glorietur.* » Ubi speciatim advertendum est ad illud ultimum : « Non ex operibus, » quae certe negatio universalior est quam si diceretur « non ex meritis de condigno. » Et sane tota haec amplitudo negationis necessaria fuit ad hoc ut subsisteret id quod subdit Apostolus : « ut ne quis glorietur. » Ibidem 1 Cor. IV, 7 : « Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, *quid gloriaris quasi non acceperis?* » — Denique ob eamdem hanc causam *d*) s. Paulus totam radicem diversimodae distributionis gratiarum revocat in liberrimam Dei voluntatem. Quo sensu Rom. IX, 12 et sqq., post haec verba : « Non ex operibus, sed ex vocante, dictum est ei : Quia major serviet minori » etc., illico subdit : « Moysi enim dicit : Miserebor cujus miserebor. » Unde concludit : « Igitur non volentis, neque currentis, sed *miserentis* est Dei. » Eodemque sensu Rom. XI, 33-36, exclamat : « O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei ! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et investigabiles viae ejus ! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? *Aut quis prior dedit illi et retribuetur ei?* »

Probatio patristica.

53. Probatur idem fundamentum II° *ex Patribus*, apprime ex s. Augustino, juxta quem ad hoc ut subsistat genuina ratio gratiae divinae, excludendum est ab operibus ante primam gratiam factis illud ipsum meritum quo homo, adhuc peccator existens, meretur per gratiam fidei auxilia ad agendum poenitentiam et ad obtinendum gratiam justifi-

cantem. Certissimum est porro illud esse solummodo meritum de congruo; proindeque juxta Augustinum ad hoc ut subsistat ratio gratiae, qualem eam depraedicant Scripturae, dicendum est hominem non solum non de condigno, sed neque etiam de congruo posse mereri primam gratiam. En praecipuum Augustini locum ad quem hic respicimus. « Possunt quidem dicere, inquit in ep. 194 ad Sixt., c. 3, n. 9, remissionem peccatorum esse gratiam, quae nullis praecedentibus meritis datur : quid enim habere boni meriti possunt peccatores ? [En exclusionem meriti de condigno.] Sed nec ipsa remissio peccatorum *sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat* : neque enim nullum est meritum fidei; qua fide ille dicebat : Deus, propitius esto mihi peccatori, et descendit justificatus merito fidelis humilitatis, quoniam qui se humiliat, exaltabitur [en affirmationem meriti de congruo]. Restat igitur ut ipsam fidem, unde omnis justitia sumit initium, propter quod dicitur ad Ecclesiam in Cantico canticorum : Venies et pertransies ab initio fidei [Cant. IV, secundum versionem septuagintaviralem], restat, inquam, ut ipsam fidem non humano, quod isti [h. e. Pelagiani] extollunt, tribuamus arbitrio, *nec ullis praecedentibus meritis, quoniam inde incipiunt bona quaecumque sunt merita,* sed gratuitum donum Dei esse fateamur, *si gratiam veram, id est sine meritis, cogitamus* : quia, sicut in eadem epistola legitur, Deus unicuique partitur mensuram fidei (Rom. XII, 3). Opera quippe bona fiunt ab homine; fides autem fit in homine, *sine qua illa a nullo fiunt homine.* Omne enim quod non est ex fide, peccatum est. » Eamdem doctrinam tradit s. Doctor in epistola 186 ad Paulin. et libro I Retract., c. 9.

S. Augustinum imitati sunt in hoc fundamento gratiae omnino gratuitae asserendo Prosper contra Collatorem, collat. XII, cc. 11 et 12, et ad Object. Gallor., ad 4^{m}; Petrus diaconus, de Incarn. et grat., c. 8; Fulgentius, de Incarn. et grat., c. 18; Isidorus, Libro de summo bono, c. 3; Gregorius, lib. XXXIII Moral., c. 20 (alias 25). Egregie vero vim hujus rationis expressit Bernardus, Serm. 67 in Cantica, dicens : « Non est quod gratia intret, ubi jam meritum occupavit. Nam si quid de proprio inest, *quantum est, gratiae illi cedere necesse est; deest gratiae quidquid meritis deputatur.* »

Probatio ducta ex definitionibus conciliorum.

54. Probatur denique praedictum fundamentum III° *ex definitionibus conciliorum*.—Ex Arausicano huc maxime pertinet canon 6, qui sic habet : « Si quis *sine gratia Dei* credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quaerentibus, pulsantibus nobis *misericordiam dicit conferri;* non autem divinitus, ut credamus, velimus et haec omnia, sicut oportet, agere valeamus, per infusionem et Spiritus Sancti inspirationem in nobis fieri confitetur : *aut humilitati aut obedientiae humanae subjungit gratiae adjutorium*, nec ut obedientes et humiles simus, ipsius gratiae donum esse consentit, resistit Apostolo dicenti : Quid habes quod non accepisti? et : Gratia Dei sum id quod sum.» Tum Canone 18 ita decernit idem concilium : « Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia, quae non debetur, praecedit ut fiant.» — Ex concilio vero Tridentino huc facit sessionis VI^{ae} caput 8^{m} : « Quum vero Apostolus, inquiunt ibi Patres, dicat justificari hominem per fidem et gratis; ea verba in eo sensu intelligenda sunt quem perpetuus Ecclesiae catholicae consensus tenuit et expressit : ut scilicet per fidem ideo justificari dicamur, quia fides est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis : sine qua impossibile est placere Deo, et ad filiorum ejus consortium pervenire : *gratis* autem *justificari ideo dicamur*, quia nihil eorum quae justificationem praecedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur; si enim gratia est, jam non ex operibus : alioquin, ut idem Apostolus inquit, gratia jam non est gratia. »

In expediendis reliquis quaestionibus quae de causa praedestinationis totalis supra propositae sunt, praesupponemus id quod capite sequente fuse demonstrabitur, scilicet quo merito aliquis meretur aliquem praedestinationis effectum, eodem ipsum mereri ejusdem effectus praedestinationem.

Causalitas meritoria totalis nostrae praedestinationis ex parte Christi Domini.

55. **Scholion I.** Christus Jesus merito de condigno meritus est omnium ac singulorum electorum praedestinationem quoad totalem ejus effectum. Ratio hujus asserti est duplex. *Prima* sumitur ex eo quod Christus est redemptor et caput omnium hominum (Eph. I, 22 ; IV, 15, 16 ; V, 23 ; Coloss. I, 18, II, 19), quodque per consequens, uti ceteroquin diserte docent Scripturae (Jo. I, 16, 17 ; Rom. V, 15, Eph. I, 36) et Concilium Tridentinum (in sess. VI, cap. 5), omnis gratia

quae in hoc statu naturae lapsae et reparatae hominibus confertur, est *gratia Christi*, h. e. talis quam sua passione et morte Christus hominibus sit promeritus. Hinc videlicet vi principii quod a nobis hic praesupponi diximus, concludendum est Christum esse meritum electis suam ipsorum praedestinationem, quoad totalem hujus effectum. *Secunda ratio* ejusdem asserti est quod sacrae litterae non obscure significant Christum esse causam omnis omnino hominum praedestinationis, etiam illius quae est ad primam gratiam, idque non solum per modum causae exemplaris et causae finalis, ut quidam dicunt, sed etiam per modum causae meritoriae. Sic v. g. Apostolus in Ep. ad Ephes. I, 5 : « Qui praedestinavit nos, inquit, in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum. » Quibus suis verbis causalitatem meritoriam, quae secundum Chrysostomum et ceteros expositores ibi denotatur hac particula *per*, ipse non solum tribuit Christo respectu adoptionis nostri in filios, sed vel maxime respectu aeterni decreti quo Deus nos praedestinavit in adoptionem filiorum. Quod verbis adhuc manifestioribus ipse facit in versiculis 3 et 4 ejusdem capitis. « Benedictus, inquit ibi, Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali, in coelestibus in Christo. *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate. » Ubi particula *in* ponitur pro particula *per* significatque Christum esse causam meritoriam electionis nostrae ad sanctitatem, h. e. ipsius aeternae nostrae praedestinationis non solum ad justificationem et ad gloriam, sed et ad primam gratiam. Nam intra objectum praedestinationis de qua ibi loquitur, claudi primam gratiam et generatim omnes omnino praedestinationis effectus, diserte significat Apostolus, dicens omnem benedictionem spiritualem in qua benedixit nos Deus, esse hujus electionis effectum. Denique idem Apostolus in 2 Tim. I, 9 : « Qui nos liberavit, inquit, et vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum et gratiam, quae data est nobis in Christo Jesu ante tempora secularia. » Ubi agitur de gratia considerata non quoad collationem ejus, quae temporalis est, sed quoad aeternam ejus praeparationem in decreto Dei praedestinativo : solummodo enim de gratia sic considerata verum est dicere

eam nobis esse datam ante tempora secularia. Proindeque, quando ibi dicit Apostolus gratiam sic consideratam nobis esse datam in Christo, id est, propter merita Christi, ipse diserte affirmat Christum esse causam meritoriam nostrae praedestinationis ad gratiam.

Quo sensu affirmandum sit hominem purum posse mereri alteri totalem ejus praedestinationem.

56. **Scholion II.** Si sub effectu praedestinationis comprehendi velint eae solummodo gratiae quae recipiuntur *in ipso praedestinato*, sic dicendum est unum purum hominem posse *de congruo* mereri alteri totalem ejus praedestinationem. Ratio hujus est quod unus potest dicto modo mereri alteri etiam primam vocationem. Licet enim *a*) prima vocatio non supponat praecedentem gratiam in ipso vocato et sic non possit cadere sub meritum ipsius, ei tamen praeire potest gratia in altero, et ideo potest cadere sub meritum alterius. Et revera *b*) juxta s. Augustinum, libro I ad Simplic., q. 11, et sermonibus 1° et 4° de s. Stephano, vocatio Pauli fuit effectus orationis Stephani. Et libro de Dono persev., c. 22, n. 60, generatim ait s. Doctor : « Si qui sunt nondum vocati, pro eis ut vocentur oremus; fortassis enim ita vocati sunt ut nostris orationibus concedantur. »

Quo sensu idem negandum sit.

57. **Scholion III.** Si tamen sub effectu praedestinationis comprehendi velint non solum eae gratiae quae recipiuntur in ipso praedestinato, sed etiam eae gratiae *quae propter ipsius salutem conceduntur aliis*, sic dicendum est nullum hominem purum posse mereri alteri totalem ejus praedestinationem. Ratio patet; quia hoc modo ipsamet oratio vel alia opera meritoria, qua unus merito de congruo meretur alteri primam vocationem, sunt effectus praedestinationis hujus alterius, ac proinde ejus praedestinationem non causant quoad totalem ejus effectum.

CAPUT VII.

Utrum praedestinatio ad gloriam sit ex praevisis meritis.

—

58. Jam aggredienda est quaestio maximopere controversa de praedestinatione incompleta ad gloriam seorsim sumptam, utrum videlicet haec cadat sub meritum, an vero etiam ipsa sit prorsus gratuita. Sive completius comprehendendo subjectum praesentis controversiae, quaestio est utrum homo, praeventus atque adjutus prima gratia, possit meritis ex gratia partis mereri suam praedestinationem tum ad seriem gratiarum primam gratiam subsequentium tum demum ad gloriam. Quae quaestio quo sensu agitetur, sufficienter determinatum relinquitur ex dictis in capite praecedente. Scilicet 1° non movetur praesens quaestio *de objecto praedestinationis*, quae sint posteriores gratiae et gloria : has quippe posse hominem sub adjutorio gratiae praevenientis mereri, fide catholica est certissimum. Verum quaestio unice procedit *de terminatione voluntatis divinae ad praedictum objectum*, utrum hujus scilicet aliqua causa possit assignari ex parte meritorum ope gratiae acquisitorum. Itidem 2° non quaeritur utrum merita supernaturalia gratiae possint esse *causa physica* praedestinationis modo praedicto intellectae, neque etiam utrum ejusdem possint esse *causa per modum rationis objectivae formalis*, sed solummodo utrum praedestinationis modo praedicto intellectae possint esse *causa moralis seu potius conditio sine qua non* ex parte praedestinati requisita ad hoc ut propter increatam suam bonitatem, quae sola per modum finis sive objecti formalis movet voluntatem divinam, Deus ei velit conferre subsequentem gratiam vel gloriam.

Status quaestionis hic tractandae.

Porro quaestio sic intellecta plerumque sub his terminis tractari solet : Utrum praedestinatio ad subsequentes gra-

tias itemque praedestinatio ad gloriam facta sit antecedenter vel consequenter ad praevisa merita gratiae. Ex qua enuntiatione patet totam diversitatem sententiarum posse generatim reduci ad tres classes, secundum quod videlicet asseritur praedestinationem ad gloriam (idem porro intellige de praedestinatione ad subsequentes gratias) esse factam vel 1° ante, vel 2° post, vel 3° quoad aliquos ante, quoad ceteros vero post praevisa merita gratiae.

Capita doctrinae in quibus conveniunt assertores gratuitae praedestinationis ad gloriam.

59. Auctores primae classis generatim consentiunt in tribus, scilicet 1° in asserenda antecedente praedestinatione omnium salvandorum, 2° in asserenda itidem antecedente reprobatione saltem negativa omnium damnandorum, ac demum 3° in asserenda antecedente praedefinitione omnium operum bonorum. Quae quo enucleatius explicent, distinguunt in voluntate divina varia signa rationis.

In primo signo rationis aiunt Deum antecedente atque absoluta voluntate determinare ratam fixamque mensuram nec non ratas fixasque proportiones omnes palatii illius, sive civitatis, sive regni, quae est Hierusalem coelestis quam vult aedificare in coelis. Sive magis scholastice loquendo, aiunt Deum in hoc primo signo rationis absoluta voluntate praedefinire numerum electorum formaliter sumptum itemque singulos gradus gloriae a se conferendos formaliter sumptos, nihilo adhuc statuto circa individuos homines qui hunc numerum atque hosce gradus gloriae a se praedefinitos adimpleturi sunt.

In secundo signo rationis aiunt Deum antecedenter ad omnem meritorum praevisionem absoluta voluntate quosdam ex iis hominibus quos creare statuit, eligere ad gloriam, et quidem tot ex ipsis, neque plures neque pauciores, quot praecise requiruntur ac sufficiunt ad mensuram illam civitatis coelestis a se antea definitam accurate adimplendam, itidemque unicuique ex hominibus a se electis Deum assignare determinatum locum in sua civitate et per hoc determinatum gradum gloriae, quo sic videlicet accuratissime serventur in civitate a se aedificanda omnes proportiones partium a se ante praestitutae. Sive aliis verbis, in hoc secundo signo rationis Deus secundum ipsos, antecedenter ad omnem meritorum praevisionem, absoluta voluntate determinat numerum electorum materialiter sumptum

necnon omnes gradus gloriae a se conferendos materialiter sumptos. Hinc vi antecedentis electionis Dei aiunt numerum electorum esse antecedenter certum ac definitum, talem videlicet *qui nec augeri possit nec minui*.

Porro cum tali antecedente electione, uti manifestum est, necessario connectitur antecedens reprobatio saltem negativa omnium qui non eliguntur. Antecedens quippe electio, uti modo dictum est, est secundum praedictos auctores exclusiva; unde necessario includit positivam voluntatem excludendi a gloria quotquot non sunt antecedenter electi. Ex quo patet quo sensu antecedens haec reprobatio dicatur esse negativa. Non enim est negativa *ex parte voluntatis divinae subjective consideratae*, ac si videlicet, quae est imperita quorumdam explicatio, divina voluntas, antecedenter praedestinando ad gloriam omnes electos, nullum haberet antecedentem actum circa reprobos, sed quoad eos suspensa maneret. Sed dicitur haec reprobatio esse negativa *ex parte voluntatis divinae objective consideratae*, in quantum videlicet antecedente et absoluto decreto voluntatis divinae excluduntur quidem a regno coelesti omnes ii qui non sunt antecedenter electi, ita tamen ut objectum in quod sic antecedenter fertur voluntas divina, exclusio nempe sive rejectio a regno coelorum, non habeat respectu eorum qui non eliguntur, rationem privationis boni debiti sive rationem poenae, sed sit *simplex negatio boni indebiti*.

In tertio signo rationis aiunt iidem auctores Deum, ut unumquemque electum perducat ad eum gradum modumque gloriae quos absoluto suo decreto ei praefixit, antecedenter ad omnem praevisam cooperationem liberi arbitrii cum gratiis a se dandis, absoluta voluntate praedefinire omnia opera bona quae unusquisque electus in tempore editurus est, et quidem ea opera bona ipsum praedefinire distincte, singillatim et quoad omnes omnino eorumdem circumstantias. Ubi speciatim attendendum est ad praedefinitionem bonorum operum, qualis haec in communi a praedictis auctoribus confingitur, duo praesertim pertinere, scilicet, *a)* quod fiat independenter ab omni praevisione meritorum, et *b)* quod prius ratione quam Deus quidquam statuat de auxilio gratiae per quod opus bonum futurum est, ipse absoluta et efficaci voluntate decernat ut opus bonum fiat in tempore a voluntate.

In quarto signo rationis aiunt, quo opera bona sic antecedenter praedefinita infallibiliter fiant ab electis, Deum absoluto decreto decernere unicuique electo dare gratias efficaces, h. e. gratias infallibiliter connexas cum operibus bonis praedefinitis.

Patet autem decreta voluntatis divinae pertinentia ad tertium atque quartum signum rationis, continere *antecedentem praedestinationem totius seriei gratiarum efficacium ad salutem perducentium, h. e. non solum primae gratiae sed etiam omnium et singularum gratiarum subsequentium primam gratiam.*

Consummatur autem, uti decernunt praedicti auctores, in quarto signo rationis ordo intentionis divinae circa praedestinatos : hunc videlicet ordinem aiunt contineri antecedente electione ad gloriam , antecedente praedefinitione bonorum operum et antecedente praeparatione gratiarum efficacium.

In quinto signo rationis, jam completo ordine intentionis, aiunt a Deo concipi decretum executivum mediorum salutis a se antea praeparatorum; in hoc autem suo decreto Deum jam habere respectum ad merita praecedentia, ita ut primam quidem gratiam decernat dare omnino gratis, secundam vero gratiam decernat dare propter meritum primae gratiae, et sic deinceps omnes sequentes gratias ipse decernat dare propter merita gratiarum praecedentium vel saltem non sine respectu ad illa.

Demum in sexto signo rationis aiunt Deum, jam praevisis finali perseverantia electorum et finali impoenitentia reproborum tamquam absolute futuris, concipere decretum executivum gloriae et poenarum; ipsum videlicet absoluta et consequente voluntate decernere electis dare gloriam tamquam mercedem operum bonorum, reprobos vero damnare ad poenas tamquam mercedem operum malorum. Hinc apud auctores hujus classis solemnis est distinctio inter duplex decretum absolutum quod statuunt a voluntate divina concipi circa gloriam. Unum est *decretum intentivum* gloriae, quod vocant praedestinationem gloriae, et tale decretum dicunt concipi a Deo ante praevisa merita. Alterum vero est *decretum executivum* gloriae, quod vocant collationem gloriae active sumptam, et tale decretum dicunt esse consequens ad praevisa merita.

60. Argumenta praecipua quae fiunt pro hac sententia sic generaliter adumbrata, sunt 1° testimonia quaedam Scripturarum, praesertim ex capp. VIII et IX Epist. s. Pauli ad Rom., quorum postea examen instituetur, 2° auctoritates s. Augustini ac s. Thomae, 3° rationes quaedam theologicae, quarum potissima est haec, quod ordo intentionis atque ordo executionis via inversa procedunt; quandoquidem finis qui in executione est ultimus, in intentione sit primus, medium vero remotissimum quod in executione est primum, in intentione sit ultimum. Unde concludunt auctores hujus sententiae absolutam intentionem gloriae, quae est finis, praecedere in voluntate divina absolutam electionem atque praevisionem operum bonorum, quae sunt media; et similiter absolutam electionem bonorum operum, quae sunt media propinquiora, praecedere absolutam electionem gratiarum efficacium quae sunt media remotiora.

Praecipua argumenta quae inducuntur pro sententia ponente gloriam praedestinari antecedenter ad praevisa merita.

61. Quod jam attinet ad ea circa quae inter se discrepant auctores hujusce primae classis, prima inter eos est differentia quod eorum quidam, iique non minus catholici quam haeretici, contendunt antecedentem praedestinationem electorum atque antecedentem reprobationem saltem negativam damnandorum factas esse ante praevisum ipsummet peccatum originale, alii vero eorum asserunt antecedentem praedestinationem atque antecedentem reprobationem saltem negativam esse quidem factas ante praevisa merita vel demerita personalia, sed post praevisum lapsum totius generis humani in Adam.

Divortia sententiarum in communi docentium electionem ad gloriam esse gratuitam.

Ratione vero ceterarum differentiarum quibus inter se dissident, dividuntur iidem auctores in quatuor sententias particulares. Prima est sententia plane haeretica Calvinianorum, juxta quos 1° *antecedens reprobatio non est solummodo negativa sed et positiva*. Asserunt scilicet Deum antecedente atque absoluto suae voluntatis decreto, sicuti manifestandae suae bonitatis causa alios elegit ad gloriam, ita, manifestandae suae justitiae causa, alios destinasse poenis aeternis. Quo primo capite doctrinae Calvinianae manifestum est Deum non induci ut justum vindicem, sed *ut injustissimum tyrannum*. Itidem juxta Calvinianos 2° Deus non solum opera bona electorum, sed etiam omnia opera mala reproborum absoluta atque antecedente voluntate praedefinivit. Hoc secundo capite doctrinae Calvinianae Deus

a) Sententia Calviniana.

manifesto inducitur ut *causa peccati*. Demum juxta Calvinianos 3° Deus decreta sua praedefinitiva operum bonorum exsequitur per gratias intrinsece necessitantes, decreta vero praedefinitiva peccatorum ipse exsequitur per omnimodam subtractionem gratiae. Hoc tertio capite doctrinae Calvinianae *tollitur libertas arbitrii* et generatim negatur non solum gratiam fidei aut justificationis, sed qualemcumque influxum gratiae Christi derivari in reprobos.

b) Sententia Jansenianorum.

Secunda sententia, similiter haeretica, est Jansenianorum, qui 1° sicuti Calvinus, docent antecedentem reprobationem non esse mere negativam, sed et positivam. In eo tamen a Calvinianis differunt quod 2° asserunt Deum decreta sua praedefinitiva bonorum operum exsequi per *gratias non absolute sed relative necessitantes*, et quod 3°, licet cum Calvinianis negent dari in hoc statu naturae lapsae praeter gratias efficaces, ullam gratiam quae sit vere ac relative sufficiens, concedunt tamen etiam reprobis concedi ad tempus gratias efficaces et temporariam fidem atque justificationem.

c) Sententia praedeterminantium.

Tertia est sententia *praedeterminantium* qui, ducibus Bannez (in I^{am}, q. 23, aa. 1, 2, 3, 4 et 5), Didaco Alvarez (De auxiliis, dispp. 36 et 37) et Goneto (Clypeus theologiae thomisticae, tom. I, disp. 8, art. 5 et tom. II, dispp. 1-5), docent Deum sua decreta praedefinitiva bonorum operum exsequi per gratias intrinsece efficaces, h. e. per gratias physice praedeterminantes ad bonum opus.

d) Congruismus.

Quarta demum est sententia Suarezii (De Deo uno et trino, tractatu 2° qui est de divina praedestinatione, et opusculo de Auxiliis gratiae, L. III, capp. 16, 17, 18 et 19), Bellarmini (Controversiarum tom. IV, de gratia et libero arbitrio, lib. III, capp. 9-15) ac Didaci Ruiz (De praedestinatione ac reprobatione hominum et angelorum), quam communiter vocant *Congruismum*. Juxta Congruistas scilicet Deus, quo sine laesione libertatis creatae infallibiliter exsequatur decreta sua praedefinitiva bonorum operum, de industria seligit pro electis gratias congruas, h. e. gratias quas, praelucente scientia media, cognoscit conjunctum iri cum effectu bono intento; ceteris vero, qui non sunt electi, aiunt Deum saltem in fine vitae non dare nisi gratias incongruas.

Capita doctrinae in quibus

62. Auctores secundae classis generatim conveniunt in duobus, scilicet 1° in asserendo praedestinationem ad glo-

riam esse factam consequenter ad praevisa merita gratiae, et 2°, quod ex hoc primo est consequens, in negando omnem reprobationem antecedentem, etiam mere negativam.

conveniunt assertores praedestinationis ad gloriam factae ex praevisis meritis.

In eo vero maxime inter se differunt hi auctores, quod quidam ipsorum nihilominus contendant Deum antecedente atque absoluta praedefinitione suae voluntatis praedefinire omnia opera bona electorum usque ad perseverantiam finalem inclusive. De unoquoque videlicet ex hisce operibus ipsi asserunt Deum, non quidem independenter a scientia media ostendente quaenam gratiae habeant infallibilem connexionem cum opere bono, antecedenter tamen ad hoc quod talem vel talem gratiam velit conferre electo ad opus bonum eliciendum, absoluta voluntate decernere ut opus bonum fiat ab electo. Patet autem eos, dum ita pronuntiant, turpiter a semetipsis dissentire. Praedefinitio enim bonorum operum, qualis haec ab ipsis adstruitur, importat antecedentem praedestinationem singularum gratiarum efficacium quae electis in tempore conferuntur. Quamobrem, quum totalis series harum gratiarum necessario connectatur cum assecutione gloriae, nequit in sensu modo explicato asseri omnia opera bona electorum praedefiniri a Deo, sine hoc quod consequenter asserendum sit oppositum illius quod praedicti auctores principaliter defendere intendunt, nempe omnes praedestinatos, sin minus formaliter, saltem virtualiter eligi a Deo ad gloriam antecedenter ad praevisa merita gratiae. Immo, si stet praedictus modus asserendi omnia opera bona electorum a Deo praedefiniri, oportebit dicere esse in Deo absolutam voluntatem antecedentem qua non solum virtualiter sed formaliter omnibus electis velit bonum gloriae. Non enim nisi ex tali gratuita Dei voluntate poterit assignari ratio cur Deus antecedente et absoluta voluntate velit electos in bono perseverare usque ad finem vitae.

Inconsequentia eorum qui una cum consequente praedestinatione ad gloriam defendunt antecedentem praedefinitionem bonorum operum.

Illud quidem in omni sententia concedendum est, opera bona non solum electorum, sed etiam aliorum, eo sensu a Deo praedefiniri, quod absoluta voluntas qua Deus vult haec opera fieri, antecedit omnem absolutam eorumdem operum praevisionem. Et hoc propterea, quia ad perfectionem providentiae divinae pertinet ut nihil fiat in rebus nisi dependenter ab hoc quod Deus absoluta voluntate illud vel fieri velit vel fieri permittat. Verum cum hoc stat quod ad

absolutam voluntatem qua Deus praeparat gratiam per quam fiat opus bonum, non praesupponatur intentio boni operis quae sit *absoluta*, uti contendunt praedicti auctores, sed quae sit *conditionata dumtaxat*. Propter hoc ipsum enim quod Deus non eligit auxilium gratiae per quod fiat opus bonum, nisi sub directione scientiae mediae ostendentis opus bonum esse infallibiliter secuturum, propter hoc ipsum, inquam, in eodem signo rationis in quo Deus vult dare auxilium gratiae, intentio conditionata boni operis ex qua procedit haec voluntas, transit in intentionem absolutam, et sic, sicut voluntas conferendi auxilium gratiae praecedit secundum rationem absolutam praevisionem operis boni, ita absoluta Dei voluntas ut fiat opus bonum, praecedit absolutam praevisionem ejusdem operis boni.

Enucleatior expositio sententiae negantis tum antecedentem electionem ad gloriam tum antecedentem praedefinitionem operum bonorum.

63. Qui igitur auctores secundae classis cum Molina (Concordia liberi arbitrii cum gratia, q. 23, aa. 4 et 5, dispp. 1 et 2), Vasquez (in I^{am}, disp. 89) et Lessio (De praedestinatione et reprobatione angelorum et hominum, disp. 1^{a}), negant omnem praedefinitionem bonorum operum quae sit alia ab ea quae modo asserta est, sic suam sententiam enucleatius exponunt :

In primo signo rationis, antecedenter ad ulla praevisa merita vel demerita, Deus non habet nisi voluntatem mere conditionatam dandi gloriam. Et quidem hac sua voluntate conditionata Deus vult serio admittere ad gloriam non solum salvandos sed etiam reprobandos.

In secundo signo rationis Deus ex serio hoc affectu salutis omnium hominum gratis praeparat omnibus ac singulis gratias vere ac relative sufficientes. Quia tamen non quaelibet gratiae, sed solummodo gratiae efficaces, h. e. gratiae infallibiliter connexae cum bonis operibus, *praedestinantur*, idcirco Deus non *praedestinat* primam gratiam nisi iis quos per scientiam mediam praevidet huic gratiae, si ipsis praestetur, consensuros esse. Quod idem, uti patet, intelligendum est de praeparatione subsequentium gratiarum.

In tertio signo rationis Deus, jam absolute praevidens cooperationem quorumdam cum prima gratia, iis propter meritum hujus primae gratiae praedestinat secundam gratiam, et propter meritum hujus secundae gratiae rursum ipsis praedestinat tertiam gratiam, et ita porro propter

meritum praecedentium gratiarum ipsis praedestinat quamque gratiam sequentem, donec tandem propter merita gratiae praecedentia ipsis praedestinet ultimam gratiam. Quoad ceteros vero, quos Deus praevidet primae vel subsequenti alicui gratiae ipsis oblatae restituros esse, Deus non desinit ex sincero affectu ipsorum salutis ipsis pro toto vitae tempore praeparare gratias vere ac relative sufficientes, quibus salvi fieri possint, si velint.

In quarto signo rationis, Deus, absolute praevidens finalem perseverantiam quorumdam, eis propter merita gratiae voluntate consequente praedestinat gloriam, ceteros vero, quorum absolute praevidet impoenitentiam finalem, Deus propter eorum demerita, voluntate consequente positive reprobat.

Hinc auctores hujus sententiae consequenter docent eumdem esse ordinem donorum Dei in praedestinatione atque in executione; numerum vero electorum aiunt esse quidem tum formaliter tum materialiter certum, definitum atque immobilem; verum nonnisi consequenter ad aeternaliter praevisum statum finalem sive gratiae sive peccati singulorum hominum.

64. Est demum TERTIA CLASSIS AUCTORUM qui sentiant Deum paucos quosdam electos ex maxime insignibus (puta B. V. M., Joannem Bapt., Apostolos) antecedenter ad ulla eorum merita praevisa praedestinasse ad gloriam et horum etiam omnia opera bona Deum antecedenter praedefinivisse. Ceteros vero omnes qui salvabuntur, docent hi auctores, non esse praedestinatos ad gloriam nisi consequenter ad eorum merita aeternaliter praevisa. Ita inter Scholasticos docuerunt Ocham (in Sent. I, d. 41, q. 1) et Gabriel (ibidem); maxime tamen celebrem hanc sententiam reddidit Ambrosius Catharinus (in lib. I de Praedestinatione Dei, cap. ultimo, et lib. III, capp. 1 et 2). Qui illud habet singulare, quod, spectato usu Scripturarum, contendit nomine praedestinationis non posse intelligi nisi antecedens atque absolutum Dei decretum dandi gloriam. Unde non omnes qui reipsa salvabuntur, sed solummodo paucos illos insigniores dicit esse praedestinatos. Et similiter solummodo de hoc ultimo ordine salvandorum ait intelligendum esse id quod innumeris iisque validissimis Scripturae testimoniis docemur, numerum scilicet electorum ita esse certum ac definitum ut nec minui possit nec augeri.

Sententia asserens paucos quosdam eligi ad gloriam antecedenter ad praevisa merita, ceteros vero consequenter ad praevisa merita.

Propositio.

Praedestinatio ad gloriam seorsim sumptam fit consequenter ad praevisa merita gratiae.

Probatio scripturistica.

65. Probatur I° *ex Scriptura*, atque imprimis quidem ex cap. XXV Matth. v. 34 et sqq., quod testimonium in tota hac probatione ex Scriptura est princeps. Sic porro habet. « Tunc dicet rex his qui a dextris ejus erunt : Venite, benedicti Patris mei ; possidete *paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere* etc. Tunc dicet et his qui a sinistris erunt : Discedite a me, maledicti, *in ignem aeternum qui paratus est diabolo et angelis ejus. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare* etc. » In verbis Christi ad electos distinguenda sunt duo, scilicet 1° sententia judicis, et 2° ratio sententiae quae redditur ex meritis. Porro quo vim hujus clarissimi testimonii elidant adversarii, notant in ipsamet sententia judicis duo enuntiari : unum, quod enuntiatur in sermone directo hoc verbo *Possidete*, et hoc aiunt esse *collationem* sive *executionem gloriae*, alterum vero, quod enuntiatur in sermone indirecto his verbis *paratum vobis regnum*, et hoc aiunt esse intentionem sive praedestinationem gloriae. Rationem porro quae subnectitur in versiculo sequente, aiunt referri solummodo ad id quod in sententia judicis enuntiatur directe, non vero ad id quod in eadem sententia enuntiatur indirecte. — Hæc autem eorum evasio falsitatis arguitur tripliciter. *Primo* ex eo quod, quando, sicut hic intervenit, una eademque propositione complexa enuntiatur duplex actus circa unum idemque objectum, usus loquendi haud minus atque nexus logicus sermonis exigit ut ratio propositionis quae subnectitur, intelligatur de utroque actu quem propositio affirmat. — *Secundo* ex eo quod, si ratio subnexa nolit referri ad utrumque quod in sententia judicis edicitur, usus loquendi saltem exigit ut haec ratio afficere censeatur id quod in contexta propositione est propinquius, scilicet non executionem sed praedestinationem regni. — *Tertio* denique vanitatis arguitur praedicta evasio ex collatione facta cum sententia judicis in reprobos. Ibi scilicet ordine plane consimili ei qui servatur in sententia

circa electos sententia judicis duo complectitur, nempe tum executionem poenarum tum aeternam earumdem praeparationem ; nequit autem ab ullo catholico negari rationem subnexam, quae ibi redditur ex malis meritis, ad totum complexum sententiae referri. Ergo propter identitatem processus, etiam ratio quae subnectitur sententiae judicis circa electos, pertinet ad totum complexum hujus sententiae.

Adstipulatur interpretationi modo datae Chrysostomus in hom. 79 (al. 80) in Matth., n. 2, sic explicans sententiam judicis : « Non dicit, *Accipite*, sed *Hereditate possidete*, quasi proprium, quasi paternum et vestrum, jam olim vobis debitum ; *priusquam enim vos existeretis*, inquit, *haec vobis parata erant et praedisposita, quia ego vos tales futuros esse praescivi.* »

Ad testimonium princeps modo allatum et explicatum accedunt 1° *duo alia loca parallela*, in quibus similiter luculenter inculcatur regnum coelorum, sicut in tempore confertur propter merita, sic etiam in aeternitate praedestinari ex praevisis meritis. Horum prius accipitur ex Matth. XX, 23-24, ubi Christus, alloquens duos filios Zebedaei : « Calicem quidem meum bibetis, inquit, sedere autem ad dexteram vel ad sinistram non est meum dare *vobis*, sed *quibus paratum est* a Patre meo. » Corrigit hac sua responsione Christus errorem filiorum Zebedaei, qui putabant primatum in regno Christi glorioso posse sibi a Christo concedi pro mero beneplacito, non habito scilicet respectu meritorum, sed, prout placuerit Christo, vel titulo cognationis carnalis, vel titulo petitionis, vel propter aliud hujusmodi. Respondet Christus non esse sui officii dare regnum petentibus id sibi gratis concedi, cujusmodi tunc erant filii Zebedaei, sed iis quibus ob merita regnum aeternaliter a Patre praedestinatum sit. Quem quidem sensum revera subesse verbis Christi supra adductis, liquet ex eo quod per particulam adversativam *sed* inducitur mutua oppositio inter pronomina *vobis* et *quibus* ; inde videlicet deducendum est in responsione Christi comparationem non fieri inter Christum et Patrem, ac si Christus negaret se, sicut Patrem, habere potestatem conferendi regnum, sed comparationem fieri inter personas quibus par est regnum a Christo concedi et personas quibus non est aequum regnum ab eodem concedi. — Nec difficultatem

facessit quod in exemplaribus graecis deest pronomen *vobis* ; nam praeterquam quod contextus exigit hoc pronomen subintelligi, *a)* hoc non obstante, Epiphanius, haer. 69, Cyrillus Alexandrinus, in Thesauro, assertione 26, Chrysostomus, hom. 65 (al. 66), Theophylactus, Euthymius, ceterique Graeci in sensum modo explicatum interpretantur verba Christi. Insuper *b)* accepta littera graeca, dicendum est dictionem ἀλλά idem sibi velle atque εἰ μή, *nisi*, uti fit apud Marc. IX, 8, et in Epistola 2 ad Cor. II, 5, ita ut sensus sit : Non est meum dare nisi iis quibus ob merita regnum est praedestinatum a Patre meo.

Porro conspirant in interpretationem traditam tum Patres Graeci, uti modo notavimus, tum etiam Patres Latini. Sic Epiphanius, haer. 69 : « Hoc vult ostendere, quod non juxta personarum acceptionem res ista fiat, sed pro dignitate... *Si laboraveritis, erit vobis paratum a Patre meo.* » Chrysostomus, hom. 65 (al. 66) in Matth. : « Quibusnam paratum est ? Iis qui ab operibus possunt conspicui evadere. Ideo non dixit : Non est meum dare, sed Patris mei ; ne quis infirmum eum diceret, quasi non posset mercedem dare. Sed quomodo dixit? *Non est meum, sed iis quibus paratum est.* Ut autem id quod dico clarius sit, exemplo illud explicemus, et ponamus esse quemdam agonothetam, deinde multos athletas optimos in hoc certamen descendere, et accedentes duos athletas agonothetae maxime familiares dicere, Fac ut coronemur et promulgemur, ejus amicitiae et benevolentiae fidentes ; illum vero respondere, *Non est meum hoc dare vobis, sed quibus ob labores et sudores paratum est* : num ergo illum nullius esse potentiae judicabimus? Nequaquam : sed ob justitiam aequitatemque laudabimus. Ut igitur illum non diceremus coronam ideo non dare, quod non posset, sed quod nollet legem certaminum violare, neque juris ordinem turbare, sic et Christum haec dixisse credirerim. » Cyrillus Alexandrinus, in Thesauro, assertione 26 : « Ita Servator iniquum esse censuit summum honorem prompte conferre petentibus... iis enim deferri aequius est *quibus Patris praescientia ob virtutum excellentiam hoc praeparavit.* » Hilarius, in Ps. 64, n. 5 : « Itaque non res indiscreti judicii est electio, sed ex meriti delectu facta discretio est. » Ambrosius, libro V de fide, cap. 3 : « Non est meum, qui justitiam

servo, non gratiam. Denique ad Patrem referens, addidit : Quibus paratum est ; ut ostenderet Patrem quoque non petitionibus deferre solere sed meritis : quia Deus personarum acceptor non est. Unde et Apostolus ait : Quos praescivit, et praedestinavit. Non enim ante praedestinavit quam praesciret ; sed quorum merita praescivit, eorum praemia praedestinavit. »

Alterum testimonium, parallelum loco adducto ex Matth. XXV, 24 et seqq., accipitur ex 2 Tim. IV, 7-8 : « Bonum certamen certavi, inquit ibi Apostolus, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo *reposita est mihi corona justitiae*, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex : non solum autem mihi, sed et iis qui diligunt adventum ejus. » Quibus suis verbis vitam aeternam sicuti in tempore ait conferri a Deo tamquam a justo judice, id est propter merita, sic etiam in aeternitate ait esse praedestinatam tamquam *coronam justitiae*, h. e. propter merita.

Accedit 2° altera classis testimoniorum in quibus electio ad vitam aeternam exhibetur tamquam conditionata per nostram cooperationem, ita ut pro eo signo rationis in quo haec conditio nostrae cooperationis nondum intelligitur esse impleta, electio ad gloriam exhibeatur ut adhuc incerta et suspensa. En nonnullos locos illustriores : 2 Petr. I. 10 : « Quapropter, fratres, magis satagite ut per bona opera *certam vestram vocationem et electionem faciatis.* » Apoc. III, 11 : « Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. » Rom. XI, 22-23 : « Vide ergo bonitatem et severitatem Dei, in eos quidem qui exciderunt severitatem, in te autem bonitatem Dei, *si permanseris in bonitate ; alioquin et tu exciderис. Sed et illi, si non permanserint in incredulitate, inserentur* : potens est enim Deus iterum inserere illos. »

66. PROBATUR II° *ex Patribus*, ex quibus qui ante Augustinum scripserunt, omnes unanimi sententia docent gloriam praedestinari consequenter ad praevisa merita. Praecipua quaedam testimonia huc attinentia jam citavimus in explicando textus ex Scriptura adductos. Eis addantur sequentia : Probatio patristica.

Chrysostomus, in Epist. ad Eph., hom. I, n. 2. « In charitate *nos praedestinavit.* Non a laboribus et recte factis hoc fit, sed a charitate, *neque a charitate sola, sed etiam ex nostra*

virtute. Nam si a charitate sola, oporteret omnes esse salvos. Si autem rursus a sola nostra virtute, adventus ejus et omnia per ipsum administrata frusta fuissent. *Sed neque a sola charitate, neque a nostra virtute, sed ab utrisque.* »

Theodoretus, in illud Rom. VIII, 29-30, *Nam quos praescivit, et praedestinavit*, etc. « Non enim simpliciter, inquit, praedestinavit, sed quum praescivisset, praedestinavit. Quorum propositum praescivit, hos ab initio praedestinavit, praedestinatos autem etiam vocavit ».

Damascenus, in dialogo contra Manichaeos, n. 79 : « *Praevidens Deus*, inquit, *ea quae nos sponte facturi sumus, ea scilicet quae sunt in nostra potestate*, virtutem dico et vitium, etiam ea quae non sunt in nostra potestate [h. e. praemia et supplicia] praedefinivit ».

S. Hieronymus, in cap. I Isaiae, explicans illud : *Si volueritis, bona terrae comedetis* : « Liberum servat arbitrium, inquit, ut in utramque partem, non ex praejudicio Dei sed ex meritis singulorum, vel poena vel praemium sit ».

Idem *Hieronymus*, in ep. 120 ad Hedibiam, q. 10, ubi declarans textus difficiliores capitis IX Epistolae ad Rom. : « Vasa misericordiae, inquit, quae Deus praeparavit in gloriam suam, non irrationabiliter salvat et absque judicii veritate, *sed causis praecedentibus*, quia alii non susceperunt Filium Dei, alii autem recipere sua sponte voluerunt. *Ex quo ostenditur non gentes eligi, sed hominum voluntates* ».

Ambrosiaster, sive auctor commentarii in Ep. ad Rom. qui est inter opera Ambrosii, in illud Ep. ad Rom. cap. VIII, 29, *Quos praescivit, et praedestinavit* : « Nam quos praescivit, inquit, futuros sibi devotos, ipsos elegit ad promissa praemia capessenda. »

Idem *Ambrosiaster* in illud ejusdem epistolae, cap. IX, *Jacob dilexi, Esau autem odio habui* : « Unum *elegit praescientia*, inquit, *alterum sprevit* : et in illo quem elegit, propositum Dei manet, quia non aliud potest evenire quam scivit et proposuit in illo ut salute dignus sit : et in illo quem sprevit, simili modo manet propositum de illo, quia indignus erit : hoc quasi praescius, non personarum acceptor. Nam neminem damnat, antequam peccet, neminem coronat, antequam vincat. »

Eamdem sententiam expresse tradunt Origenes, libro VII

in Epist. ad Rom., explicans illud capitis VIII, 29-30, *Quos autem praedestinavit, hos et vocavit;* Theophylactus, ibidem et in cap. IX, explicans illud, *Quum nondum nati essent*, et illud, *Numquid dicit figmentum;* Oecumenius, in cap. VIII Ep. ad Romanos, citans Cyrillum et Photium; Euthymius, in cap. XX Matthaei, explicans illud, *Quibus paratum est;* Sedulius et Theodulus in cap. VIII ad Rom. explicantes illud, *Quos praescivit, et praedestinavit;* Arnobius, in Psalmos XC, XCI, CVIII, CXVII.

Rationes theologicae ostendentes electionem ad gloriam non esse omnimodis antecedentem : 1. Incompossibilitas antecedentis electionis ad gloriam cum universalitate voluntatis salvificae.

67. Probatur III°, estque illud sane argumentum omnium praecipuum, *variis rationibus theologicis*. — *Prima ratio* est *quod cum antecedente praedestinatione electorum atque antecedente reprobatione negativa ceterorum impossibile est consistere seriam Dei voluntatem antecedentem salvandi omnes homines*. Contradictoria enim sunt ideoque mutuo se excludunt haec duo, scilicet *a*) antecedenter ad omne demeritum praevisum, velle Deum absolute, h. e. *independenter ab omni conditione*, excludere a suo regno quotquot non sunt electi, et nihilominus *b*) in eodem hoc signo rationis, h. e. antecedenter ad omnem praevisionem, velle Deum seria voluntate, h. e. quantum in ipso est, eosdem quos sic absolute excludit, admittere ad suum regnum, sub conditione quod ipsi cooperentur suae gratiae.

2. Necessaria connexio antecedentis electionis ad gloriam cum antecedente reprobatione positiva damnandorum.

68. *Secunda ratio* est *quod antecedens praedestinatio electorum non solum necessario est nexa cum antecedente reprobatione negativa ceterorum, verum etiam cum antecedente reprobatione positiva eorumdem*. Nam lege sua, quam omnibus ponit, Deus omnes homines obligat ad regnum coelorum, tamquam finem supernaturalem omnibus praestitutum, assequendum, praevaricatoribus hujusce suae legis non solum privationem regni coelorum, sed etiam poenas aeternas gehennae efficaci sanctione minans. Manifestum est autem secundum ordinem logicae praesuppositionis, positionem legis antecedere praevaricationem legis et, per consequens, omnem praevisionem demeritorum. Unde vi legis a se statutae Deus, antecedenter ad omnem praevisionem meritorum vel demeritorum exclusionem a regno coelorum vult habere rationem privationis sive poenae, atque insuper hanc exclusionem pro adultis indivisibiliter connectit cum poena ignis aeternaliter luenda. Ergo per hoc quod antecedenter ad

omne demeritum praevisum, h. e. in eodem illo signo rationis quo legem supernaturalem poenis sancitam omnibus ponit, Deus eos quos non eligit, excludit a suo regno, ipse antecedente sua voluntate eos positive reprobat, h. e. ipse antecedenter ad omne demeritum praevisum eos destinat poenis aeternis. Et sic non solum sententia Calvini sed omnis omnino sententia qua asseritur gloriam praedestinari antecedenter ad praevisa merita, vi logicae consequentiae inducit Deum tamquam iniquissimum tyrannum; quia iniquissimum est eos, quorum nulla sunt demerita, aeternis poenis destinare.

3. Necessaria connexio antecedentis reprobationis negativae cum intentione peccati ex parte Dei reprobantis.

69. *Tertia ratio* est *quod ex antecedente reprobatione, etiamsi haec dicatur esse mere negativa, necessario est consequens peccatum non mere permitti a Deo, sed ab eodem intendi proindeque Deum esse vere atque proprie auctorem peccati*. Nam, uti dictum est, Deus eo ipso quod legem supernaturalem omnibus posuit, absoluta atque antecedente voluntate sancivit ut *in ordine executionis* nemo *nisi propter peccatum* excluderetur a regno coelorum. Quamobrem, si uti statuunt adversarii, electio ad gloriam sit antecedens, necesse est, ut ne frustretur Deus absoluto suo proposito solos antecedenter electos admittendi ad gloriam, peccatum ab ipso intendi tamquam medium, quod unum sibi suppetat, excludendi a gloria ceteros. Et sic, si stet sententia adversariorum, Deus de industria, h. e. *ex intentione peccati*, pro omnibus non antecedenter electis eliget gratias saltem finaliter incongruas.

Confirmatur haec conclusio ex eo quod juxta adversarios, Deus, ut omnis antecedenter electus numerum electorum revera intret, debet de industria seligere pro electis gratias saltem finaliter congruas; ergo, a pari, ne aliquis ex non antecedenter electis numerum electorum intret et sic contra antecedens Dei propositum numerus electorum augeatur, Deus, si stet eorum sententia, pro omnibus non antecedenter electis debet de industria seligere gratias saltem finaliter incongruas.

4. Pugna antecedentis praedestinationis ad gloriam cum

70. *Quarta ratio* est *quod antecedens praedestinatio ad gloriam repugnat perfectioni providentiae divinae, cujus, ut initio dictum est, praedestinatio est pars quaedam*. Nam perfecti provisoris est de fine uniuscujusque naturae decer-

nere secundum proprium modum hujus naturae; unde, si agatur de entibus naturae liberae, pertinet ad perfectum provisorem, ea, *secundum quod sunt libera*, destinare in suum finem, ideoque nihil absolute decernere de ipsorum fine nisi consequenter ad praevisum usum libertatis eorum, et sic eis gloriam non decernere gratis sed propter praevisa merita. perfectione providentiae divinae.

Respondet Suarez (de Praedestinatione, lib. I, cap. 8, numm. 26 et 27), aequivocationem committi ab ita arguentibus in applicatione illius termini *gratis*. Nam, licet vi antecedentis praedestinationis Deus velit dare *gratis* gloriam, secundum quod haec dictio adverbialis *gratis* appellat *ipsum velle* sive *ipsum terminare divinae voluntatis*, non tamen vi antecedentis praedestinationis ipsum velle dare gratis gloriam, secundum quod haec dictio *gratis* appellat objectum praedestinationis divinae, quod est gloria. Non enim Deum, antecedenter praedestinando ad gloriam, velle dare gloriam titulo gratuito, sed propter merita. Ut si quis, inquit, sciens aliquem egere equo, velit ipsi potius quam alii gratificari, ei vendendo suum equum; ipsamet quidem haec ejus volitio subjective sumpta est gratuita, sed objectum hujus volitionis non est gratuitum. Unde concludit antecedentem praedestinationem non obstare quominus Deus electos, *secundum quod hi sunt naturae liberae*, destinet in finem gloriae.

Ad haec dicitur ipsum Suarez inaniter aequivocare, dum sic argumentatur. Ita videlicet distinguitur antecedens ejus argumenti : In sententia antecedentis praedestinationis finis gloriae, secundum quod est objectum gubernationis (quae est *executio providentiae*), non est gratuitus, *Trans. Antec.* In tali sententia finis gloriae, secundum quod est praecise objectum praedestinationis sive providentiae, non est gratuitus, *Neg. Antec.* Et ratio negandi secundum membrum distinctionis patet : stante enim sententia Suarezii, non merita, quae in hac sententia nulla praecedunt aut praesupponuntur, sunt ratio cur hoc objectum, quod est gloria, evadat terminus praedestinationis; sed, contra, gloria, secundum quod est terminus praedestinationis, est ratio a priori unde Deus movetur ad praedestinanda merita, ne scilicet contra ipsorum naturam electi ad gloriam ipsis

praedestinatam perducantur. Eademque est responsio ad paritatem quae affertur a Suarezio, dummodo, prout par est, supponatur aliquem voluntate absoluta atque omnem praevisionem emptionis antecedente velle alteri suum equum, et deinde ipsum procurare ut ille alter emat hunc suum equum, ne ille, gratis accipiendo, dehonestetur. Consequens vero argumenti Suarezii sic distinguitur : Ergo vi antecedentis praedestinationis Deus non destinat finem gloriae *contra naturam liberam electorum*, ac si videlicet, nonnisi contrariando eorum libertati, Deus electos posset perducere ad gloriam eis antecedenter praedestinatam, *Conc. Conseq.* Ergo vi antecedentis praedestinationis Deus destinat finem gloriae *secundum naturam liberam electorum*, h. e. habita ratione ipsorum libertatis, quod tamen exigitur ad perfectam rationem providentiae, *Neg. Conseq.*

5. Necessaria connexio inter gratuitatem praedestinationis ad gloriam et gratuitatem ipsius collationis gloriae.

71. *Quinta ratio* est, *quod si praedestinatio ad gloriam sit antecedens sive gratuita, necesse est etiam executionem sive collationem gloriae esse gratuitam, quod contrariatur fidei catholicae.* Ratio est quod omnis voluntas Dei ad extra eatenus est absoluta, *quatenus efficit suum terminum.* Unde hoc ineluctabili dilemmate constringuntur adversarii : Aut illa antecedens Dei voluntas dandi gloriam, per se solam et quin necesse sit aliquid aliud accedere, est effectiva sui objecti, quae est gloria in tempore danda ; et tunc unum idemque est in Deo decretum praedestinativum atque decretum executivum gloriae, ideoque non minus executio quam praedestinatio gloriae est prorsus gratuita. Aut ad illam antecedentem voluntatem dandi gloriam, quantum est praecise per ipsam solam, non sequitur effectus extrinsecus, qui est gloria in tempore danda, sed ad hoc requiritur alia Dei voluntas consequens ad merita ; et tunc illa antecedens voluntas non est absoluta sed conditionata, quae est sententia quam nos defendimus. Crescitque vis hujus argumenti, si attendatur causalitatem meritoriam quae respectu hujus effectus, quae est gloria, competit operibus nostris bonis in gratia factis, non esse physicam, sed mere moralem ; ideoque in tantum verum esse dicere gloriam in ordine executionis nobis conferri propter nostra merita praecedentia, in quantum nos hisce nostris meritis voluntatem Dei quadantenus movemus ad conferendum nobis gloriam. Sed impossibile

est nos nostris meritis quadantenus movere voluntatem Dei ad conferendum nobis gloriam, si antecedenter ad omnem nostrorum meritorum praevisionem Deus absoluta voluntate nobis jam praedestinavit gloriam. In sententia ergo ponente gloriam praedestinari ante praevisa merita, impossibile est dicere esse in Deo decretum aliquod conferendi gloriam propter merita praecedentia.

72. *Sexta* demum *ratio* est *quod sententia defendens electos ante praevisa merita praedestinari, non per accidens, h. e. propter errorem hominum eam non rite assequentium, sed per se, h. e. ex natura sua, nata est injicere animis hominum segnitiem atque incuriam salutis.* Rectissime enim sic quisque ratiocinabitur : Aut sum ex illo numero antecedenter electorum, et tunc nulla mea incuria faciet ut excidam : Deus enim, cujus absoluta voluntas vinci nequit, efficaciter procurabit ut, priusquam moriar, merita bonorum operum acquiram. Aut non sum ex illo numero antecedenter electorum, et tunc nulla mea industria faciet ut intrem : Deus enim modo quocumque procurabit ut, antequam ad terminum vitae deveniam, vires perseverandi me deficiant.

6. Incuria salutis quam nata est injicere animis hominum sententia asserens electos sine ullo respectu ad praevisam eorum cooperationem praedestinari ad gloriam.

CAPUT VIII.

Discutiuntur argumenta partis adversae petita ex Scripturis.

—

Quatuor genera testimoniorum quae ex Scriptura adducuntur pro sententia ponente electos antecedenter ad praevisa eorum merita praedestinari ad gloriam.

73. Sequitur ut argumenta auctorum sententiae adversae solvantur. Ac primo quidem pro antecedente illa electione ad gloriam ab ipsis asserta afferunt varios locos Scripturarum. Horum praecipui sunt *a*) ii quos desumunt ex capitibus VIII et IX Epistolae ad Romanos, in quibus perspicue a s. Paulo doceri autumant praedestinationem ad gloriam non esse ex ullis praevisis meritis, sed, contra, eam esse rationem a priori omnium bonorum meritorum. His subnectunt *b*) alia Scripturae testimonia, in quibus, ut ipsi interpretantur, electio ad gloriam exhibetur tamquam ratio a priori totius providentiae Dei circa electos sive in suppeditandis mediis salutis sive in propulsandis salutis periculis. Tum addunt *c*) testimonia quibus aiunt absolutam electionem ad gloriam adscribi beneplacito Dei, h. e voluntati Dei omnino gratuitae. Denique argumentantur *d*) ex quibusdam locis Scripturae in quibus electi dicuntur esse *scripti in libro vitae*, esse *signati a Deo* et *esse dati Filio a Deo Patre*.

Propositio.

Quae sive ex capitibus VIII et IX Epistolae ad Romanos et capite II Epistolae secundae ad Timotheum sive ex ceteris Scripturis pro antecedente praedestinatione ad gloriam adducuntur testimonia, ea vel manifeste loquuntur de sola praedestinatione ad gratiam, vel nihil perhibent circa ordinem inter praedestinationem ad gratiam et praedestinationem ad gloriam, vel evincunt adeo eodem ordine gratiam atque gloriam inter se devinciri in aeterna Dei praedestinatione atque in temporali earumdem collatione.

74. Constabit de veritate hujus propositionis ex diligente discussione testimoniorum quae ab adversariis pro sua

sententia afferuntur. Et primum quidem ventilanda erunt testimonia quae in primam classem supra relata sunt; deinde ordine procedendum erit ad examinanda testimonia reliquarum classium.

Argumentum ductum pro parte adversa ex Ep. ad Rom. IX.

PRIMA TESTIMONIORUM CLASSIS. — *Primum testimonium* huc pertinens adducitur ex Epistola ad Rom. IX, 11 et sqq. « Quum enim, inquit ibi Apostolus, nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali (ut secundum electionem *propositum Dei* maneret), *non ex operibus, sed ex vocante* dictum est ei [h. e. Rebeccae] : quia major serviet minori, sicut scriptum est : Jacob dilexi, Esau autem odio habui. Quid ergo dicemus? Numquid iniquitas apud Deum? Absit. Moysi enim dicit : Miserebor cujus misereor; et misericordiam praestabo cujus miserebor. *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Dicit enim Scriptura Pharaoni : Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam; et ut annuntietur nomen meum in universa terra. *Ergo cujus vult miseretur, et quem vult indurat.* Dicis itaque mihi : Quid adhuc queritur? *Voluntati enim ejus quis resistit?* O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit : Quid me fecisti sic? An non habet potestatem *figulus luti* ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam. Quod si Deus volens ostendere iram, et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia, vasa irae, apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriae suae in vasa misericordiae, quae praeparavit in gloriam. Quos et vocavit nos, non solum ex Judaeis, sed etiam ex gentibus. »

Ex hoc loco ita argumentantur adversarii : Praedestinatio ad gloriam quae sit antecedens, stat in hoc quod Deus absoluta voluntate suis electis vult bonum gloriae antecedenter ad ulla eorum praevisa merita. Sed talis est voluntas quam loco citato Apostolus docet Deum habere circa suos electos. Ergo secundum doctrinam quam loco citato tradit Apostolus, praedestinatio ad gloriam est antecedens.

Probatio Minoris. 1° Agitur loco citato de voluntate Dei quae sit absoluta et non conditionata dumtaxat, uti liquet — tum *a*) ex eo quod perpetuus usus loquendi Apostoli habet ut vox *propositum*, qua loco citato ipse utitur

ad significandam eam Dei voluntatem de qua ibi agit, accipiatur pro absoluta Dei voluntate, — tum *b*) ex eo quod voluntatem Dei, de qua ei ibi est sermo, ipse exhibet tamquam talem *cui resisti nequeat* (v. 19) et quae sit *voluntas omnipotentis* (v. 21), — tum *c*) ex eo quod potentiam qua hanc suam voluntatem Deus exsequitur, Apostolus comparat cum potestate qua figulus fingit massam luteam in varias figuras vasorum (v. 21). Ulterius 2° agitur loco citato de absoluta Dei voluntate cujus objectum sit gloria, uti patet — tum *a*) ex eo quod juxta s. Augustinum Jacob et Esau inducuntur in oratione Apostoli tamquam typi, alter quidem electorum, alter vero reproborum, — tum *b*) ex disertis verbis Apostoli asserentis Deum absoluta ea voluntate de qua ibi agit, alia vasa praeparasse (h. e. praedestinasse) in gloriam, alia vero in interitum (permittendo scilicet peccata adducentia in interitum). Denique 3° absolutum hoc Dei propositum eligendi quosdam ad gloriam antecedit juxta Apostolum omnem omnino meritorum praevisionem, uti patet — tum *a*) ex eo quod Apostolus a ratione hujus propositi expresse excludit omne meritum, dicens versiculis 11 et 12 : « Ut secundum electionem propositum Dei maneret, *non ex operibus, sed ex vocante* dictum est ei : quia major serviet minori, » et versiculo 16 : « *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei,* » — tum *b*) ex eo quod rationem cur alios Deus eligat, alios vero reprobet, Apostolus totaliter refundit in voluntatem Dei hisce suis verbis : « Cujus vult miseretur, et quem vult indurat » (v. 18). Unde *c*) propositum electionis significat Apostolus esse *propositum misericordiae*, h. e. gratuitae miserationis ; quo etiam pertinet *d*) comparatio quam inducit inter genus humanum et massam luteam, ut scilicet inde intelligatur nullam rationem discernendi inter electos ac reprobos posse accipi ex inaequalitate meritorum, sed totum hoc negotium discretionis pendere a libera Dei voluntate.

Ejus solutio.

75. Ad haec RESPONDETUR, *concedendo* quidem agi loco citato de voluntate Dei quae non modo sit absoluta, sed etiam gratuita, h. e. omnem praevisionem meritorum antevertens, *sed negando* ceu objectum hujus absolutae et gratuitae Dei voluntatis figi ab Apostolo bonum gloriae. DICIMUS VIDELICET *toto capite nono Epistolae ad Romanos*

nullo pacto esse Apostolo sermonem de electione ad gloriam seorsim sumptam, sed solummodo de gratuita praedestinatione ad gratiam justificantem per fidem. Patet veritas hujus asserti tripliciter. *Primo* ex scopo quem intendit Apostolus in hoc capite IX Epistolae ad Romanos. Qui ut innotescat, inquirendum est qua ratione hoc caput IX connectatur cum tractatione habita ab Apostolo in capitibus superioribus ejusdem epistolae. Principale ejus propositum in hac tractatione est ostendere gratiam justificantem non reddi operibus, sed gratis conferri a Deo per fidem in Christum Jesum. Enuntiat hoc suum propositum cap. I, nn. 16-17, ubi incipit pars dogmatica epistolae, se extendens usque ad finem capitis XI. « Non enim, inquit ibi, erubesco Evangelium. Virtus enim Dei est [h. e. evangelium, sive nova oeconomia annuntiata per evangelium, habet divinam efficaciam] *in salutem omni credenti*, Judaeo primum et Graeco. Justitia enim Dei revelatur in eo [h. e. in evangelio sive in nova oeconomia] ex fide in fidem, sicut scriptum est : Justus autem ex fide vivit. » Deinde, postquam capite I, vv. 18 et seqq. ac toto capite II ostendit omnes, aeque Judaeos atque Gentiles, peccavisse omnesque proinde egere gratia Dei, atque idem etiam probasset capite III ex testimonio Isaiae, repetit propositionem suam principalem cap. III, vv. 20 et 22 : « *Quia ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo... Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi* in omnes et super omnes qui credunt in eum : non enim est distinctio. » Probat porro hanc suam propositionem capite IV ex historia fidei et justificationis Abrahae atque promissionum a Deo factarum eidem Abrahae. Ex his scilicet concludit capite IV, versiculis 13 et seqq., id quod postea latius est prosecuturus, benedictiones spirituales promissas semini Abrahae (agitur porro, uti manifestum est ex scopo et discursu atque ipsis verbis Apostoli, de iis benedictionibus, quae sint gratia justificans, filiatio, jus hereditatis coelestis); concludit, inquam, benedictiones spirituales promissas semini Abraham pertinere ad eos omnes atque solos qui per fidem spiritualiter generantur ex Abraham. » Non enim per legem, inquit, promissio Abrahae *aut semini ejus*, ut heres esset mundi, *sed per justitiam fidei*. Si enim qui ex lege, heredes sunt, exinanita est fides, abolita est promissio. *Lex enim iram*

operatur. Ubi enim non est lex, nec praevaricatio. *Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini*, non ei qui ex lege est solum, sed et ei qui ex fide est Abrahae, qui pater est omnium nostrum. » Deinde initio capitis V enumerat benedictiones illas spirituales quarum participes sunt facti quotquot per fidem sunt generati ex Abraham. Enumerat autem gratiam justificantem, filiationem adoptivam, spem hereditatis coelestis ceteraque charismata Spiritus sancti in justificatis. « *Justificati* ergo ex fide, inquit, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum ; *per quem et habemus accessum per fidem in gratiam istam* [justificantem] in qua stamus et gloriamur *in spe gloriae filiorum Dei* » etc. Hinc porro occasionem nactus, divertit aliquantisper a proposito suo principali, interrumpensque discursum quem instituerat capite IV, disserit capitibus V, VI, VII et VIII de summa felicitate fidelium pertinentium ad novam oeconomiam gratiae. Quam quidem eorum felicitatem latius explicat, manifestando tum universalitatem redemptionis contingentis per Christum in hac nova oeconomia, tum summam libertatem gratis redemptorum per Christum. Additque hanc eorum libertatem non in eo consistere quod respectu operum justitiae facti sunt exleges, sed in eo quod per gratiam Christi eis praestantur vires internae ad servandam legem justitiae. Ex hac consideratione summae felicitatis qua fruuntur quotquot pertinent ad novam oeconomiam gratiae, convertitur mens Apostoli initio capitis IX ad lugendam sortem gentis suae Judaicae, quam scilicet maximam partem videt factam esse exsortem benedictionum spiritualium semini Abrahae promissarum. Hinc nactus occasionem redintegrat discursum quem a capite V abruperat assumitque sibi latius demonstrandum id quod jam in fine capitis IV agere instituerat, scilicet *infidelitate Judaeorum non esse factas irritas promissiones quae factae sunt a Deo semini Abrahae; quandoquidem hae promissiones non spectent ad semen corporale Abrahae habens opera, sed ad semen spirituale Abrahae habens fidem.* « Non autem, inquit, quod exciderit verbum Dei. Non enim omnes qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitae. Neque qui semen sunt Abrahae, omnes filii » (vv. 6-7). — Patet autem ex intimo nexu quo, uti modo

ostensum est, hoc caput IX cohaeret cum fine capitis IV et initio capitis V, objectum promissionum quas vult ostendere Apostolus non esse evacuatas, *esse gratiam justificantem ceteraque charismata quorum participes sunt omnes fideles justificati*. Ergo non est sermo Apostolo in hoc capite de praedestinatione ad gloriam seorsim sumptam, sed de praedestinatione ad gratiam justificantem per fidem.

Idem patet *secundo* ex toto discursu Apostoli in hoc capite IX. Ad probandum scilicet id quod ibi asseruerat, nempe infidelitate Judaeorum non esse factas irritas promissiones benedictionum spiritualium factas semini Abrahae, ostendit benedictiones terrenas, promissas soboli corporeae Abrahae, non pertinuisse ad omnes et solos posteros corporales Abrahae, sed ad omnes et solos eos qui *vi gratuitae promissionis* Dei assumpti sunt in heredes benedictionum terrenarum. Affertque in hanc rem versiculis 7 et 8 historiam Ismaelis et Isaaci, qui quum ambo essent corporaliter generati ex Abraham, solus nihilominus Isaac institutus est heres promissionum. Quia vero objici poterat Ismaelem esse natum ex Abraham adhuc incircumciso et ex matre ancilla, Isaac vero esse natum ex Abrahamo jam circumciso et ex matre libera, proindeque electionem Isaac prae Ismaele non fuisse prorsus gratuitam, sed Deum in tali electione respectum habuisse ad conditionem atque merita parentum, idcirco non solum titulum generationis corporalis, sed omnem plane titulum desumptum ex operibus sive parentum sive ipsorum natorum studet excludere a ratione electionis divinae. Adducitque ea de causa secundum exemplum, duorum videlicet gemellorum, Esau et Jacob, qui quum ambo ex uno eodemque patre circumciso atque ex una eademque matre libera, atque adeo ex uno eodemque eorumdem parentum concubitu nati essent, Deus in eligendo Jacob prae Esau, nullum sane respectum habuit ad opera meritaque parentum. Similiter quum Jacob electione divina praelatus sit Esau, priusquam ipse et Esau nati essent proindeque priusquam ulla eorum existerent opera sive bona sive mala, Deus in transferendo jure hereditatis terrenae ad Jacob nullum sane habuit respectum ad opera ipsorum natorum. Hinc, haec exempla traducens a sensu historico ad sensum allegoricum, tale conficit argumentum : Quemadmodum hereditas benedictionum

terrenarum promissarum Abrahae et semini ejus non pertinet ad omnes posteros corporaliter genitos ex Abraham, sed ad eos solummodo posteros qui vi gratuitae promissionis Dei assumpti sunt in heredes, sic etiam hereditas benedictionum spiritualium promissarum Abraham et semini ejus non pertinet ad posteros qui solummodo sunt corporaliter geniti ex Abraham habentque solummodo opera, sed talis hereditas pertinet ad omnes ac solos eos qui per fidem sunt spiritualiter generati ex Abraham; hi quippe soli, vi gratuitae promissionis Dei, reputantur in filios et heredes. Paritatem institutam in hac ratione subintelligendam dat ex eo quod in rejectione Ismaelis et Esau atque in electione Isaac et Jacob praefigurabatur tamquam in typo rejectio Judaeorum incredulorum atque electio gentilium credentium. — Porro secundum sensum typicum cui unice in hoc suo argumento insistit Apostolus, sermonem ei esse non de electione ad gloriam seorsim sumptam, sed de electione ad solam gratiam, palam fit ex eo quod ipse loco citato perhibet *ipsammet vocationem* ad hereditandum benedictiones de quibus ibi loquitur, et non solummodo electionem ad talem hereditatem, esse gratuitam. Est videlicet considerandum tum in Novo Testamento generatim tum in epistolis Paulinis speciatim vocem *vocationis* numquam adhiberi de praedestinatione in aeternitate, sed semper de executione in tempore. Unde et in verbis ad quae hic respicimus. vocatio exhibetur ab Apostolo tamquam effectus electionis. « Ut secundum electionem, inquit, propositum Dei maneret, non ex operibus sed ex vocante dictum est ei : Quia major serviet minori. » Si proinde, uti contendunt adversarii, intentum Apostoli loco citato esset ostendere electionem ad gloriam seorsim sumptam esse gratuitam, oporteret ex ejus verbis cum haereticis Calvinianis inferre ipsammet executionem gloriae esse gratuitam, quod contrariatur fidei catholicae (cf. Concilium Tridentinum, sess. VI de justificatione, capite 16 et canone 32).

Concordat cum interpretatione hactenus tradita reliquus discursus Apostoli. Ex argumento enim quod modo attulerat, oriebatur difficultas, quam ex persona Judaeorum sibi objicit, haec scilicet : Si sine ullo respectu ad opera Deus bonum justitiae confert, immo si ipse tribuit hoc

bonum iis qui opera non habent, et illud denegat iis qui opera habent, ergo iniquus est Deus. Responsio ejus, ad sensum quod attinet, talis est : Ex repulsa Judaeorum a bono justitiae et ex assumptione gentium ad tale bonum nulla potest accipi ratio Deum accusandi injustitiae, eo quod hoc bonum justitiae non solum nullis nostris operibus est debitum, sed adeo eodem, utpote peccatores, utcumque ceteroquin praestemus opera legis, sumus positive indigni. Quamobrem, cuicumque Deus hoc bonum justificationis confert, ipsi hoc non confert ex ullo debito, sed ex gratuita misericordia. (« Non volentis, neque currentis, sed *miserentis est Dei*, » v. 16). Potuit proinde Deus pro beneplacito suae voluntatis consecutionem justificationis ita alligare fidei ut ex una parte gentibus, nulla quidem opera habentibus, sed credentibus in Christum, justificationem misericorditer concederet, ex alia vero parte Judaeos, opera quidem habentes sed nolentes credere in Christum, permitteret permanere in peccato et hoc sensu eos obduraret. (« Ergo cujus vult miseretur, et quem vult indurat, » v. 18).

Ex ultimis porro verbis hujusce responsionis nascebatur altera difficultas, quam movere poterant Judaei, haec scilicet : Si ipse est Deus qui voluntate sua nos indurat, quid ergo nobis exprobat nostra peccata ac nostram incredulitatem? (« Dicis itaque mihi : Quid adhuc queritur? Nam voluntati ejus quis resistit?» v. 19). Solvit novam hanc difficultatem Apostolus, magis evolvendo responsionem quam in priore difficultate solvenda brevius atque obscurius tradiderat. Dicit igitur hic tria. Primum est nulli homini jus aliquod inesse ad recipiendam justificationem, atque ad hoc illustrandum adducit comparationem Dei cum figulo. Luto, inquit, nulla inest exigentia ut potius formetur in vas honorabile quam in vas vilibus usibus destinatum : unde figulus, quin injuriam inferat luto, potest, pro suo placito, facere ex eadem massa lutea aliud vas in honorem, aliud vero in contumeliam. Similiter nulli homini sive ex suis operibus sive aliunde inest exigentia aliqua ut praedestinetur ad justificationem; unde Deus, quin ulli homini inferat injuriam, potest pro beneplacito suae voluntatis, ex eadem massa generis humani lapsi et damnati in Adamo praedestinare alios ad justitiam, alios vero non sic praedestinare. Secun-

dum quod dicit, illud est : Non obstante hoc quod hoc bonum gratiae justificantis nulli homini sit debitum, nihilominus antecedente sua voluntate Deus serio vult ut omnes homines per fidem ad gratiam justificantem perveniant; unde omnibus hominibus usque ad finem vitae ipse ad hoc dat gratias vere sufficientes. Huc pertinent haec verba versiculi 22 : « Sustinuit in multa patientia vasa irae, » quibuscum confer ejusdem epistolae ad Rom. cap. II, vv. 4-5. Tertium quod dicit, tale est : Non ergo sicut lutum sub manu figuli, ita homo sub manu Dei mere passive se habet; quocirca, licet unice refundatur in voluntatem figuli quod lutum potius evadat in vas contemptibile quam in vas honorabile, non tamen unice in voluntatem Dei praedestinantis refundendum est quod hic homo potius non perveniat quam perveniat ad justitiam. Quamobrem comparationem quam adduxi inter Deum ac figulum, huc solummodo pertinere volo. Sicut figulus, quin sit injurius ulli parti luti, potest aliam partem massae luteae fingere in vas honoris, aliam vero in vas contumeliae; sic etiam Deus, quin inique se gerat erga ullum hominem, potest relate ad justitiam conferendam talem eligere ordinem providentiae, vi cujus alios homines ipse cooperante sua gratia praeparet in vasa misericordiae, alios vero homines ipse non praeparet, sed propria ipsorum culpa permittat se ipsos aptare in vasa iracundiae. Potuisset scilicet Deus eligere alium ordinem providentiae in quo sive per opera sive per fidem in Christum temporaliter gloriosum sive alio etiam modo Judaei nunc increduli re et effectu pervenissent ad justitiam. Verum quum justitia ipsorum operibus non deberetur, Deus non tenebatur talem ordinem providentiae eligere. Neque ad hoc tenebatur Deus, si minus titulo justitiae, saltem titulo sapientiae : potest scilicet Deus, permittendo peccata non pervenientium ad justitiam, ipsamet haec ipsorum peccata ordinare tum ad manifestationem suae justitiae vindicativae tum ad majorem manifestationem suae bonitatis in justificatis. Huc pertinent cetera verba versiculi 22 et totus versiculus 23. « Sustinuit, inquit, in multa patientia vasa irae apta [κατηρτισμένα, h. e. quae, Deo solummodo permittente, se ipsa aptaverunt] in interitum, volens [hac sua permissione] ostendere iram, et notam

facere potentiam suam [et] ut ostenderet divitias gloriae suae in vasa misericordiae, quae praeparavit in gloriam.» Unde, ita exigente objectione quam ex persona Judaeorum moverat Apostolus et consentanee ad totum ratiocinium Apostoli, sententia versiculorum 22 et 23, quae suspensa est et imperfecta, sic complenda est : Quid ergo, o homo, calumniaris Deum, quasi ipse injuste tibi exprobret tua peccata? Ostendi enim tibi ipsum antecedente voluntate velle ut justificeris et salvus fias, ideoque, ipso nullatenus volente sed permittente solummodo, tu peccas? — Porro quod in ultima hac parte discursus Apostoli, per «vasa misericordiae quae Deus praeparavit in gloriam» non sunt intelligendi *praedestinati ad gloriam consummatam*, sed solummodo *praedestinati ad gloriam inchoatam*, hoc est *omnes justificati*, id patet — tum *a*) ex hisce verbis versiculi 24 illico sequentis : «Quos et vocavit nos [omnes scilicet fideles justificatos] non solum ex Judaeis, sed etiam ex gentibus;» — tum *b*) ex collatione facta cum hisce Apostoli verbis in 2 ad Tim. II, 21 : «Si quis ergo emundaverit se ab istis [per gratiam remissionis sive justificationis], erit vas in honorem sanctificatum.»

Tandem non agi in capite IX Epistolae ad Romanos de praedestinatione ad gloriam seorsum sumptam, sed solummodo de praedestinatione ad gratiam, hoc *tertio* manifestissime patet *ex conclusione totius discursus* Apostoli, qua utique sua conclusione ipse intendit concludere idipsum quod sibi in hoc capite IX demonstrandum assumpserat. Hac porro sua conclusione, quam enuntiat versiculis 30 et sqq., nihil aliud concludit nisi hoc solummodo, Judaeis prae gentibus contigisse gratuitam justificationem per fidem. Et, per consequens, in toto discursu praecedente non est ei sermo de electione ad gloriam seorsum sumptam, sed solummodo de gratuita praedestinatione ad gratiam justificantem per fidem. «Quid ergo dicemus? inquit [h. e. quid ex dictis concludemus?]. Quod gentes quae non sectabantur justitiam, *apprehenderunt justitiam, justitiam autem quae ex fide est;* Israel vero, sectando legem justitiae, *in legem justitiae non pervenit.* Quare? [h. e. an forte ex culpa Dei?] *Quia non ex fide, sed quasi ex operibus* [h. e. quia ipsi non, quemadmodum poterant, per fidem in Christum humilem et

crucifixum, sed per opera legis voluerunt pervenire ad justitiam|; offenderunt enim in lapidem offensionis [h. e. in Christum humilem et crucifixum, qui Judaeis terrena sapientibus erat scandalum]. Sicut scriptum est : Ecce pono in Sion lapidem offensionis et petram scandali ; et omnis qui credit in eum, non confundetur. »

Argumentum ductum ex Ep. ad Rom. VIII.

76. *Secundum testimonium* adducitur ex Epistola ad Rom., cap. VIII, vv. 28 et seqq. : «Scimus autem, inquit ibi Apostolus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem praedestinavit, hos et vocavit : et quos vocavit, hos et justificavit : quos autem justificavit, illos et glorificavit. Quid ergo dicemus ad haec? Si Deus pro nobis, quis contra nos? » etc.

Circa hunc locum in antecessum stabiliunt adversarii eos qui versiculo 28 dicuntur *secundum propositum vocati*, esse omnes et solos praedestinatos ad gloriam. Quod quidem evincere conantur — tum *a*) ex eo quod solummodo praedestinatis ad gloriam omnia cooperentur in bonum, h. e. in gloriam aeternam — tum *b*) ex eo quod illius quod asseverat in versiculo 28, Apostolus rationem reddat in versiculo 29 quodque, per consequens, ii qui in versiculo 28 dicuntur *vocati secundum propositum*, sint iidem qui in versiculo 29 dicuntur *praesciti et praedestinati* : hi autem omnes sint praedestinati ad gloriam, uti aiunt expresse asseri versiculo 30. — Hoc itaque praestabilito, jam ita argumentantur ex praedicto loco : Ea praedestinatio ad gloriam, quae est *ratio a priori* totius dispositionis mediorum quibus electi ad salutem perducuntur, est praedestinatio antecedens omnia merita. Atqui juxta Apostolum praedestinatio ad gloriam est ratio a priori totius dispositionis mediorum quibus praedestinati salutem consequuntur. Ergo juxta Apostolum praedestinatio ad gloriam fit antecedenter ad praevisa merita.

Majorem hujus syllogismi aiunt per se patere; media enim salutis vel esse idem quod merita electorum, vel, si hoc nomine *mediorum salutis* velint intelligi auxilia bene operandi, ea secundum ordinem praesuppositionis esse priora quam merita, proindeque, si praedestinatio ad gloriam fiat

in signo rationis priori ad dispositionem mediorum, eam fieri etiam in signo rationis priori ad merita et ad horum praevisionem. Minorem vero ejusdem syllogismi aiunt probari ex eo quod in propositione versiculo 28 enuntiata, quae causalis est, *ratio* cur diligentibus Deum media salutis cooperentur in bonum, assignetur ex eo quod ipsi sunt *vocati secundum propositum*, h. e. attento usu loquendi Apostoli qui supra stabilitus est, ex eo quod ipsi sunt praedestinati ad gloriam.

77. RESPONDETUR *in versiculo* 28 *loci objecti non agi de praedestinatione ad gloriam, sed solummodo de praedestinatione ad gratiam justificantem per fidem; in versiculo vero* 29 *concedi quidem posse agi etiam de praedestinatione ad gloriam, verum ita ut ex eodem hoc versiculo sit perspicuum praedestinationem ad gloriam non antecedere sed subsequi praevisionem meritorum.* — Hanc esse genuinam intelligentiam hujus loci patet tripliciter. *Primo*, ex scopo Apostoli, qui est adhortari omnes fideles justificatos ad patientiam in tribulationibus, quandoquidem gloria coelestis ipsis non sit praeparata nisi sub certa quadam conditione, hac scilicet, quod patiantur cum Christo. Patet hoc ex verbis versiculorum 14 et sqq., unde incipit praesens discursus Apostoli : « *Quicumque* enim, inquit ibi, *Spiritu Dei aguntur*, ii sunt filii Dei. Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus *filii Dei*. Si autem filii, et heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi : *si tamen compatimur, ut et conglorificemur.* » Pertinent haec sane ad omnes justificatos, et non solum ad praedestinatos ad gloriam coelestem. Tali porro sibi scopo praefixo, jam adhortatur Apostolus fideles justificatos ad praedictam conditionem patientiae praestandam, tribus potissimum ad hoc adductis rationibus. Prima est magnitudo gloriae coelestis, cui nulla tribulatio possit conferri (vv. 18-25). Secunda est internum auxilium Spiritus sancti, qui nostram infirmitatem adjuvat (vv. 26-27). Tertia est quod *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, eaque est ratio quae tangitur in verbis ab adversa parte objectis. Unde impossibile est haec verba intelligere de antecedenter praedestinatis ad gloriam, — tum quia, uti dictum est, sermo Apostoli dirigitur *ad omnes justificatos* — tum quia sic

Ejus solutio.

ratio allata ab Apostolo non solum esset impertinens ad scopum quem intendit, sed huic ejus scopo contrariaretur. Sic quippe tunc concluderetur ratio Apostoli : Independenter ab omni patientia tribulationum praevisa, praedestinati estis ad gloriam. Satagite ergo ut patienter feratis tribulationes, quia haec sunt media ad gloriam, quae vobis praedestinata est, capessendam. Nemo non videt ratiocinium Apostoli, si talis ei subsit sensus, ineptissime concludi. Rectissime quippe sic quisque responderet : Si mihi antecedenter praedestinata est gloria, jam ea frustrari non possum ; quid ergo oportet me esse sollicitum ac me satagere ut multum patiar?

Idem ostenditur *secundo* ex collatione horum verborum versiculi 28, « Qui secundum propositum vocati sunt sancti, » cum aliis locis parallelis Apostoli. Ex usu scilicet Apostoli haec vox *propositum*, πρόθεσις, semper et ubique significat gratuitum Dei beneplacitum dandi gratiam justificantem ; unde *secundum propositum vocati* sunt ex mente Apostoli omnes fideles justificati, non vero soli electi ad gloriam. Sic Ep. ad Rom. IV, 5 : « Ei vero qui non operatur, credenti autem in eum qui justificat impium, *reputatur fides ejus ad justitiam*, *secundum propositum gratiae Dei*. (Desunt tamen quatuor ultima verba textus citati in hodiernis originalibus graecis.) Itidem Ep. ad Rom. cap. IX, vv. 11 et 12 : « Ut secundum electionem *propositum* Dei maneret, non ex operibus, sed *ex vocante* dictum est ei. » En agitur hic, sicut in cap. VIII ejusdem epistolae ab adversariis objecto, *de vocatis secundum propositum* ; ostensum est porro in superioribus hos inibi intelligi omnes justificatos per fidem. Similiter ad Ephes. I, 5 : « Qui praedestinavit *nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum* in ipsum, *secundum propositum* voluntatis suae ; » et v. 11 ejusdem capitis : « In quo etiam et *nos* sorte vocati sumus, praedestinati *secundum propositum* ejus qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae. » De utroque hoc versiculo ostensum est supra, parte III[a], capite V, in eis propositum ac praedestinationem pertinere ad omnes justificatos. Tandem, 2 Tim. I, 9 : « Qui *nos* liberavit et vocavit *vocatione sua sancta*, non secundum opera nostra, sed *secundum propositum suum*, *et gratiam* quae data est nobis in Christo Jesu ante tempora saecularia, manifestata est autem nunc per illuminationem

Salvatoris nostri Jesu Christi, qui destruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam et incorruptionem per evangelium : in quo positus sum ego praedicator et apostolus et magister gentium. » En rursum Apostolus hic figit tamquam objectum propositi gratiam quae aeternaliter est *praeparata* a Deo, *data* vero est *nunc* (non vero dabitur in futuro) omnibus iis in quibus per fidem evangelicam destructa est mors peccati et illuminata est vita gratiae. Attento igitur constanti usu Apostoli, sic reddendus est versiculus 28 loci objecti : Diligentibus Deum omnia cooperantur (h. e. operantur cum ipsis diligentibus, συνεργεῖ) in bonum (h. e. in gloriam aeternam, ad quam capessendam adhortatur Apostolus); iis, inquam, diligentibus haec cooperantur in bonum, qui non ex operibus sed ex gratuito Dei beneplacito vocati sunt ad gratiam justificantem. Quod ultimum addit Apostolus, ne quis putet haec in Judaeos competere, qui operibus legis gloriantes, falso putabant se esse justos et se diligere Deum.

Tandem agi versiculo 28 loci objecti de sola praedestinatione ad gratiam, *tertio* patet ex eo quod cum interpretatione versiculi 28 modo tradita belle cohaeret contexta series versiculorum sequentium. Scilicet versiculo 29 immediate sequente probat Apostolus id quod modo asseruerat, iis videlicet qui secundum propositum sunt vocati (dummodo ex ipsorum parte cooperatio per dilectionem non desit), omnes tribulationes cooperari in bonum. « Nam quos praescivit, inquit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. » Propter nexum hujus versiculi cum versiculo praecedente necesse est ut in utroque versiculo servetur identitas subjecti logici : ideoque qui dicuntur *praesciti* in versiculo 29, sunt iidem de quibus in versiculo 28 affirmatum est omnia adversa eis cooperari in bonum. Sunt autem ii *omnes secundum propositum vocati ex quorum parte non deest cooperatio per dilectionem.* Quocirca neutiquam negamus hac voce praescientiae connotari hic in obliquo *actum peculiaris dilectionis* Dei, quatenus ii hic dicuntur *praesciti* quos Deus peculiari favore efficaciter vocavit ad gratiam justificantem per fidem. Verum simul contendimus hac voce *in recto* significari *actum intellectus* quo Deus ab aeterno praecognovit perseverantem dilectionem quorum-

dam. Conformitas vero cum Christo ad quam dicuntur praesciti esse praedestinati, intelligenda est de conformitate cum Christo tum patiente tum glorioso : hoc quippe postulat scopus Apostoli, qui est ostendere tribulationes cooperari in bonum iis qui sunt praesciti. Sensus igitur versiculi 29 talis exsurgit : Nam quos secundum propositum vocatos Deus praescivit fore dilectores sui, eos consequenter ad praevisa prima merita dilectionis praedestinavit ad ulteriora merita per tribulationes acquirenda, et consequenter ad praevisas quasque tribulationes patienter toleratas eos praedestinavit ad tolerantiam ulteriorum tribulationum, ac tandem consequenter ad praevisam conformitatem quam acquisiverunt cum Christo patiente, eos praedestinavit ad conformitatem cum Christo glorioso. Nec obstant tali interpretationi ultima verba ejusdem versiculi 29, haec videlicet : « Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus, » ex quibus sunt qui arguant hic agi solummodo de praedestinatione ad conformitatem cum Christo glorioso. Haec verba, inquam, non obstant interpretationi datae : eis quippe solummodo indicatur gloriam ipsius Christi esse ultimum finem in quem a Deo dirigitur conformitas tam incompleta quam completa cum Christo, h. e. tam conformitas in hac vita cum Christo patiente quam conformitas in vita futura cum Christo glorioso.

Concessimus in explicatione modo allata agi in versiculo 29 loci objecti de praedestinatione ad gloriam. Advertendum est tamen hoc non ab omnibus assertoribus nostrae sententiae concedi : sunt videlicet inter eos qui cum Lessio (De praed. et reprob. angelorum et hominum, sect. 3, n. 30) et cum Beelen (in Epistolam ad Rom., c. VIII) vocem *praedestinationis*, qua hic utitur Apostolus, interpretentur *de voluntate antecedente quidem, sed mere conditionata* dandi salutem. Sane nulla suppetit efficax ratio unde argui queat apud Apostolum, sicut nunc usu venit, *praedestinationem* ubique et semper significare voluntatem Dei absolutam.

Quod denique attinet ad versiculum 30 loci ab adversariis objecti, in eo solummodo docemur quis sit ordo effectuum praedestinationis in executione : quare nihil inde eruitur sive pro interpretatione adversariorum sive contra eam.

78. *Tertium testimonium* adducitur ex 2 Tim. II, 19-20, ubi Apostolus sic loquitur : « Sed firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc : Cognovit Dominus qui sunt ejus; et : Discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini. In magna autem domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia : et quaedam quidem in honorem, quaedam autem in contumeliam. » Argumentum ductum ex 2 Tim. II.

Ex hisce verbis sic argumentantur adversarii : Dupliciter hic ostendit Apostolus gloriam praedestinari antecedenter ad merita gratiae. *Primo*, secundum quod versiculo 19 ipse asserit praedestinationem ad gloriam esse rationem a priori cur quidam accipiant gratiam immobiliter standi in fide. *Secundo*, secundum quod versiculo 20, causam assignans cur in Ecclesia alii sint praedestinati, alii reprobi, rationem hujus diversitatis non accipit ex operibus bonis ac malis, sed ex eo quod, sicut ad gloriam magnae domus pertinet ut alia sint in ea vasa in honorem, alia vero vasa in contumeliam, sic etiam ad plenam manifestationem gloriae divinae pertineat ut in quibusdam manifestetur misericordia Dei, in aliis vero ejusdem justitia.

79. Ad haec RESPONDETUR multipliciter. *Dicimus* videlicet 1°, etiamsi concedendum foret in versiculo 19 agi de praedestinatis ad gloriam, adhuc tamen falsum esse in eo asseri praedestinationem ad gloriam fieri antecedenter ad praevisa merita. Stante videlicet praedicta hypothesi, dicendum esset immobilem firmitatem electorum in fide refundi ab Apostolo in duplicem causam, scilicet *a*) in divinam praedestinationem, hisce verbis : « Cognovit Dominus qui sunt ejus, » et *b*) in liberum hominis arbitrium, hisce verbis : « Discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini. » Ejus solutio.

Dicimus 2° Apostolum in versiculo 19 capitis citati non agere de praedestinatis ad gloriam, *sed de omnibus qui, in fide firmi, ab haereticis non possunt perverti*. Patet hoc assertum *primo* ex scopo Apostoli et ex nexu versiculi 19 cum versiculis superioribus. Scopus Apostoli hic est hortari fideles *ad vitandam consuetudinem haereticorum*; quia, uti perhibet, sicut cancer proxima quaeque membra, licet sana, depascitur atque in putredinem vertit, sic etiam haeretici eos qui cum eis conversantur, licet sanos in fide, corrumpunt (vv. 16, 17). Quod probat exemplo Hymenaei

et Phileti, « qui subverterunt quorumdam fidem » (v. 18). Verum sunt alii, inquit, qui, adjuvante Dei gratia, immobiliter in fide fundati permanent. Quos quinam sint, ex duplici signo ait innotescere. Primum signum ait esse illud, quod qui in fide sunt firmi, sedulo devitant haereticorum consortia. Huc pertinent verba quae adducit ex Num. XVI, 26 : « Discedat ab iniquitate [h. e. a contubernio hominum impiorum] omnis qui invocat nomen Domini. » Alterum signum ait esse notitiam approbationis ex parte Dei, quam Deus in vita futura palam faciet, haereticos ad inferos praecipitando, et sic ostendendo non haereticos, sed eos qui Apostolis ac legitimis eorum successoribus adhaerent, esse verae fidei cultores. Huc pertinent verba similiter ab eo deprompta ex Num. XVI, 5 : « Cognovit Dominus qui sunt ejus. » Qui quidem textus juxta Hebraicam veritatem legendus est, prout eum vertit versio vulgata : « Mane *notum faciet* Dominus qui ad se pertineant. » Unde verbum *cognovit* in textu Apostoli est causale, stans scilicet pro *notum faciet*.

Eadem explicatio probatur *secundo*, ex tacita compatione quam inducit Apostolus ex una parte inter sectatores Core, Dathan atque Abiron et haereticos, ex alia vero parte inter asseclas Aaron et Moysis ac fideles. Uti enim modo notatum est, citationes quas versiculo 19 adducit Apostolus, depromptae sunt ex Num. XVI. Narratur autem ibi quomodo Core, Dathan et Abiron summum sacerdotium affectaverint et partem magnam Levitarum atque multitudinis ad suas partes traduxerint. Duobus autem signis ibi ostensum est quinam ex Israelitis essent Domini. *Primo*, separatione illorum a congregatione Dathan et Abiron. *Secundo*, horribili tum istorum tum eorum qui ipsis adhaeserunt, supplicio. Ergo, attenta duplici comparatione quam, uti modo notavimus, ad concludendum suum propositum Apostolus versiculis 18 et 19 loci citati instituit, necessario dicendum est ipsum hisce suis verbis « Sed firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc » etc., non loqui de praedestinatis ad gloriam, sed de omnibus his qui, ad instar asseclarum Moysis et Aaron, firmiter stant in fide et de signis unde quinam tales sint dignosci queat.

Dicimus 3° eos qui in versiculo 20 loci citati dicuntur vasa honoris et vasa contumeliae, non esse praedestinatos vel re-

probos, sed esse homines bene vel male viventes in Ecclesia. Patet veritas hujus asserti *a*) ex versiculo 21, ubi docet Apostolus eos qui sunt vasa contumeliae, posse, si resipiscant, fieri vasa honoris. «Si quis *emundaverit se ab istis*, inquit, erit vas in honorem sanctificatum et utile Domino, ad omne opus bonum paratum.» Ejusdem asserti veritas patet ulterius *b*) ex scopo Apostoli, qui est ostendere non debere mirari Timotheum quod in Ecclesia sint qui male vivant quique tandem a veritate excidant.

Quamobrem non ita intelligenda est comparatio quam in versiculo 20 adducit Apostolus, ac si ex parte voluntatis divinae esset assignanda unica ratio cur alii, bene vivendo, perveniant ad gloriam, alii vero, male vivendo, evadant reprobi. Sensus videlicet comparationis non est quod, *sicut necesse est* esse in magna domo non solum vasa aurea et argentea, sed etiam lignea et fictilia, sic etiam absolute necessarium est esse in Ecclesia Dei non solum praedestinatos, sed etiam reprobos. Sed sensus quem comparatione a se instituta intendit Apostolus, talis est : Sicut, *non obstante hoc quod* in magna domo, praeter vasa aurea et argentea, sunt etiam vasa lignea et testacea, talis domus plene manifestat magnificentiam domini sui, ita etiam *non obstante hoc quod* in Ecclesia non solum sunt boni, sed etiam perversi, per Ecclesiam perfecte manifestatur gloria Dei, eo quod Deus valet ordinare peccatum ad manifestationem suae justitiae vindicativae. Hunc solummodo sensum subesse comparationi in versiculo 20 loci objecti ab Apostolo institutae patet ex insequente versiculo 21, ad quem jam superius provocavimus, «Si quis emundaverit se ab istis, sic ibi pergit dicere Apostolus, erit vas in honorem sanctificatum *et utile Domino.*» Quasi dicat : Nihilominus si qui est modo vas contumeliae, converterit se, *plene inserviet manifestandae gloriae divinae*, quia Deus *antecedente* sua voluntate vult gloriam suam manifestare per salutem omnium hominum et nonnisi *consequente* sua voluntate, h. e. nonnisi praesupposita finali malitia quorumdam, vult eamdem suam gloriam manifestare per eorum damnationem.

80. Secunda testimoniorum classis, eorum scilicet in quibus juxta adversarios docetur praedestinationem ad gloriam esse rationem a priori totius providentiae divinae, Argumentum ductum ex Act. Apost. XIII.

sive in suppeditando electis media salutis, sive in propulsando ab eisdem salutis pericula. — *Primum testimonium* huc pertinens adducitur ex Act. Apost. XIII, 48 : « Crediderunt, inquit ibi s. Lucas, quotquot erant praeordinati ad vitam aeternam. » En, aiunt adversarii, praedestinatio ad gloriam hic adducitur ut ratio unde profluxit efficax vocatio ad fidem.

Ejus solutio. **81**. RESPONDETUR non agi eo loci de praedestinatione ad gloriam, sed de praedestinatione ad gratiam justificationis per fidem. Talis quippe gratia saepe in Scripturis appellatur *vita aeterna*, quia confert *jus ad vitam aeternam* et quia ad eam, dummodo homo in ea permanserit, consequitur vita aeterna. Et quidem eo sensu revera esse hic accipiendam hanc vocem *vita aeterna*, patet ex collatione facta cum versiculo 46 sic perhibente : « Tunc constanter Paulus et Barnabas dixerunt [ad Judaeos] : Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, et *indignos vos judicatis aeternae vitae*, ecce convertimur ad gentes. » Unde hic sensus exsurgit versiculi 48 : Crediderunt Antiochiae Pisidiae quotquot pro eo tempore ac loco erant praedestinati ad justificationem per fidem.

Argumentum ductum ex Matth. XXIV. **82**. *Secundum testimonium* adducitur ex Matth. XXIV, 22 et sqq., ubi ita loquitur Christus : « Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro ; sed *propter electos breviabuntur dies illi*... Surgent enim pseudochristi et pseudoprophetae : et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur (*si fieri potest*) etiam electi. »

Hinc dupliciter argumentantur adversarii. *Primo*, ex versiculo 22, hoc modo : Electio ad gloriam hic edicitur a Christo esse ratio a priori propter quam Deus propulsat pericula salutis ab electis. Ergo electio ad gloriam perhibetur hic a Christo esse antecedens. *Secundo*, ex versiculo 24, hoc modo : Non ex eo quód electi non seducuntur finaliter, ducitur a Christo ratio cur impossibile sit eos non eligi ad gloriam, quo modo tamen ratiocinandum Christo fuisset, si electio fieret consequenter ad merita ; sed, contra, ex eo quod quidam sunt electi ad gloriam, Christus petit rationem cur impossibile sit eos finaliter seduci. Ergo electio ad gloriam est antecedens.

Ejus solutio. **83**. RESPONDETUR 1°, quantum praecise attinet ad versi-

culum 22, etiamsi concedatur eos qui ibi dicuntur electi, *esse electos ad gloriam*, nullatenus tamen inde colligi posse sententiam adversariorum, sed potius nostram. Stante enim antecedente decreto eligendi ad gloriam, Deus, etiamsi persecutionem diutissime durare permitteret, teneretur dare suis electis gratias adeo magnas ut difficultates omnes vincerent. Quocirca, ex suppositione talis decreti, falsum esset electos, nisi abbreviarentur dies persecutionis, perituros esse. — Nec favent adversariis haec verba unde pro suo intento praecipue arguunt «Propter electos breviabuntur dies illi,» Haec verba non favent adversariis, inquam; voluntas enim antecedens conditionata salutis est Deo ratio sufficiens propulsandi ab hominibus, praesertim justis, nimia pericula salutis. Quocirca convenienter exponuntur tali paraphrasi verba praedicta : Deus, vi voluntatis conditionatae salutis hominum, non sinit homines, praesertim justos, supra vires tentari; unde propter desiderium eorum salutis abbreviabit tempus persecutionis Antichristi. Quia tamen simul atque decernit hanc abbreviationem persecutionis, per scientiam suam conditionatam praevidet Deus fore ut solummodo quibusdam haec benigna dispositio ejus providentiae re et effectu proficiat ad salutem, idcirco ipse dicitur *propter electos* abbreviasse dies persecutionum.

Respondetur 2° in versiculo 22 non agi de persecutione Antichristi, sed de vastatione gentis Judaicae, uti eruitur ex contextu et uti habet interpretatio Chrysostomi, Hieronymi, Auctoris operis imperf., Theophylacti, Euthymii atque insigniorum interpretum posteriorum. Ratio ita dicendi accipitur ex interrogatione apostolorum quae praecesserat, et ad quam Christus loco ab adversariis adducto respondet. De duobus nempe interrogaverant discipuli Dominum versiculo 3 capitis citati, de fine scilicet et excidio Judaeorum et de secundo Christi adventu atque consummatione saeculi. Ad primam quaestionem respondet Christus usque ad finem versiculi 22. Ad secundam vero incipit respondere a versiculo 23. Quocirca qui dicuntur *electi* in versiculo 22, non sunt intelligendi *electi ad gloriam*, sed, qui est sensus frequentissimus hujus vocis in Novo Testamento, electi ibi intelligendi sunt quotquot tempore obsidionis Hierosolymitanae exstiterunt Judaei conversi ad fidem christianam. Quo

sensu dicitur in Ep. ad Rom., XI, 7 : « Quid ergo? Quod quaerebat Israel, hoc non est consecutus : *electio autem consecuta est* » [h. e. qui ex Judaeis electi erant ad fidem, consecuti sunt justitiam]. Similiter 1 Petr. I, 1 : « Petrus, Apostolus Jesu Christi, *electis advenis dispersionis* Ponti, Galatiae, Cappadociae, Asiae et Bithyniae. » Sensus ergo versiculi 22 loci objecti talis est : Et nisi breviati fuissent dies illi belli et vastationis, tota gens Judaica periret ; sed propter orationes Judaeorum ad fidem conversorum et pro sua gente supplicantium abbreviabuntur dies illi.

Quod jam speciatim attinet ad versiculum 24, RESPONDETUR 3° ibi utique agi de persecutione Antichristi, et concedi posse eos qui ibi dicuntur electi, esse electos ad gloriam. Verum in eo versiculo haec verba « si fieri potest » neutiquam necessario significant antecedentem aliquam impossibilitatem provenientem ex antecedente illa electione ad gloriam quam adversarii tuentur ; multipliciter quippe haec verba exponi possunt de impossibilitate consequente. Sensus probabilior hic esse videtur : Si id fieri posset in sensu composito cum pia comparatione voluntatis electorum, propter quam comparationem suae voluntatis merebuntur accipere gratiam ne finaliter seducantur ; si, inquam, consequenter ad tale meritum electorum id fieri posset, etiam electi finaliter seducerentur. Simili modo dicitur de Judaeis Jo. XII, 39 : « Propterea *non poterant credere*, quia iterum dixit Isaias : Excaecavit oculos eorum. » Quae sane verba exponenda sunt in sensu consequente ad perversam comparationem voluntatis Judaeorum.

Argumentum ductum ex Jo. XIII.

84. *Tertium testimonium* adducitur ex Jo. XIII, 17-18, ubi suos apostolos ita alloquitur Christus : « Si haec scitis, beati eritis, si feceritis ea. Non de omnibus vobis dico : ego scio quos elegerim ; sed ut adimpleatur Scriptura : Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum. » Hisce Christi verbis, juxta adversarios, significatur electionem ad gloriam esse radicem omnium bonorum operum.

Ejus solutio.

85. RESPONDETUR non agi hic de electione ad gloriam, sed de electione ad apostolatum. Unde sensus est talis : Ego scio quales sint ii quos elegi in apostolos, h. e. scio esse inter eos unum qui me proditurus sit. Unde non de

omnibus pronuntio eos praecepta, quae modo tradidi, observaturos esse et beatos fore. Simili plane modo dixerat Christus paulo superius versiculis 10 et 11 : « Et vos mundi estis, sed non omnes. *Sciebat enim* quisnam esset qui traderet eum ; propterea dixit : Non estis mundi omnes. »

Argumentum ductum ex Jo. X.

86. *Quartum testimonium* adducitur ex Jo. X, 26 et sqq. Verba sunt ibi Christi : « Sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis. Oves meae vocem meam audiunt : et ego cognosco eas, et sequuntur me : et ego vitam aeternam do eis : et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea. »

Inde sic arguunt adversarii : *Oves suas* hic vocat Christus *praedestinatos ad gloriam*, uti patet ex versiculo 28, ubi dicuntur oves Christi vita aeterna esse donandae et non esse perituraе in aeternum et non posse rapi de manu Filii. Porro ex toto discursu Christi patet praedestinationem harum ovium in oves Christi fieri antecedenter ad earum merita praevisa. Ex eo enim quod sunt *oves* Christi, h. e. ex eo quod sunt praedestinatae ad gloriam, reddit Christus rationem cur oves suae primo accedant ad fidem Christi ac deinde per bona opera permaneant in sequela Christi et cur impossibile sit aliquam earum perire.

Ejus solutio.

87. Respondetur, licet per *oves* Augustinus et Beda intelligant praedestinatos ad gloriam, nihilominus manifestum esse ex contextu hoc nomine hic designari a Christo *omnes qui humili atque pio affectu gratiae sibi oblatae cooperantur*. Ratio est *primo* quod secus Christus, dicendo Judaeis : « Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis, » non reddidisset veram causam cur Judaei non crederent, nisi forte quis cum Calvinianis dicere velit nonnisi praedestinatos ad gloriam posse credere in Christum. Ratio est *secundo* quod Christus versiculo 38 adhortatur Judaeos ut in eum credant utque sic et ipsi sint ex ovibus ejus. Unde quod additur versiculo 28, Christum ovibus suis esse daturum vitam aeternam et oves ipsius non esse perituras in aeternum, intelligendum est conditionate, sub hac scilicet conditione : *Si permanserint oves*. Loquendo enim de ove Christi in sensu composito sive reduplicative, h. e. loquendo de ove Christi, *prout est ovis Christi*, verissimum est ovem Christi, h. e. eum qui gratiae divinae cooperatur, non posse perire.

Sensus proinde verborum Christi talis est : Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis, h. e. quia estis superbi et quia hac vestra superbia impeditis gratiam vobis oblatam quominus vos ad effectum fidei perducat. Nam oves meae, h. e. ii qui humili mente gratiae sibi oblatae cooperantur, vocem meam audiunt, h. e. credunt; et ego easdem cognosco per notitiam approbationis, h. e. eas diligo, et eaedem, quamdiu permanent oves, perseverant in mea sequela, et iisdem, si usque ad finem permanserint oves, ego do vitam aeternam, etc. Ita hunc locum interpretantur Chrysostomus, hom. 80, Cyrillus Alex., Libro XI, c. 21, et alii Patres communiter.

Argumentum ductum ex Sap. IV.

88. *Quintum testimonium* adducitur ex Sap. IV, ubi de justo praematura morte abrepto dicitur versiculo 11 : « Raptus est *ne malitia mutaret intellectum ejus* aut ne fictio deciperet animam illius; » et ubi de eodem additur versiculo 14 : « Placita enim erat Deo anima illius; propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum. »

Ex his sic argumentantur adversarii : *a)* Juxta versiculum 11 ex intentione impediendi finalem lapsum, tamquam absolute priore, Deus inducitur ad propulsandum a suis electis pericula salutis, decernendo ipsis, si id ad finem praeintentum opus sit, immaturam mortem. Ergo praedestinatio ad gloriam est antecedens, quandoquidem antecedens intentio perseverantiae finalis ex parte Dei includit vel praesupponit antecedentem electionem ad gloriam. Insuper *b*) in versiculo 14 dilectio *omnino gratuita* ex parte Dei affertur ut ratio cur Deus decreverit justo perseverantiam finalem. Unde rursum colligitur intentionem perseverantiae finalis esse ex parte Dei antecedentem, ideoque et electionem ad gloriam fieri ab eo antecedenter.

Ejus solutio.

89. RESPONDETUR Dei intentionem impediendi finalem lapsum justi de qua agitur in versiculis objectis, non esse intentionem quae antecedat, sed quae consequatur praevisionem sive meritorum a justo acquisitorum sive saltem status justitiae jam convenientis justo.

Et arguitur pro tali responsione *primo* quidem *negative*, ex eo quod nihil est in loco libri Sapientiae ab adversariis adducto ex quo ipsorum sententia efficaciter deduci queat, nostra vero efficaciter falsitatis convinci. Nam asseritur

quidem in eo loco Deum absoluta et efficaci intentione velle impedire finalem lapsum justi de quo ibi agitur, et, per consequens, asseritur etiam eodem loco Deum vi talis intentionis habere absolutum et efficax decretum de educendo illo justo ex hac vita ante illud tempus in quo, si eousque ejus vita protraheretur, ipse finaliter e statu justitiae excideret; at ne verbulo quidem toto illo loco innuitur id quod ad concludendum suum propositum adversarii assumunt, nempe praedictum Dei propositum et praedictum ejus decretum *antecedere omnem praevisionem* sive meritorum gratiae quae justus ille acquisiverit, sive status justitiae in quo idem ille justus inventus fuerit Quamobrem nihil obstat quominus versiculos 11 et 14 capitis IV libri Sapientiae ita interpretemur, ut dicatur eis doceri Deum consequenter ad praevisa merita justi, vel ad praevisum ejus statum justitiae, decrevisse justo beneficium perseverantiae finalis, ideoque et beneficium immaturae mortis in statu justitiae nondum perdito.

At vero ulterius arguitur pro data responsione *positive*, ex eo videlicet quod verba versiculorum objectorum, sive per se et solitarie expendantur, sive sumantur in sua connexione cum contextu antecedente, interpretationem modo propositam omnino requirunt. Etenim *a*) in versiculo 11, non dicitur intentionem Dei fuisse simpliciter ut aliquis esset finaliter justus, sed *ut non mutaretur intellectus ejus per malitiam*, h. e. ut e statu justitiae, *cujus proinde praevisio praesupponitur*, non mutaretur in statum injustitiae. Itidem *b*) versiculo 10, versiculos objectos immediate praecedente, merita justi afferuntur tamquam ratio illius Dei dilectionis qua Deus inductus est ad decernendum justo mortem connexam cum perseverantia finali. « Placens Deo, inquit ibi Sapiens, factus est dilectus, et vivens inter peccatores translatus est. » Seu, ut magis perspicue perhibet textus graecus : Εὐάρεστος τῷ Θεῷ γενόμενος ἠγαπήθη, καὶ ζῶν μεταξὺ ἁμαρτωλῶν μετετέθη; h. e. : Justus, vita sua justa reddendo se Deo gratum, dilectus est a Deo, eaque de causa Deus, morte immissa, eum e medio peccatorum transtulit. Unde *c*) quod dicitur versiculo 14 : ἀρεστὴ γὰρ ἦν Κυρίῳ ἡ ψυχὴ αὐτοῦ, « placita erat Deo anima illius, » id ex versiculo 10 sic explicandum est : Anima justi propter suam justitiam grata erat Deo, et *propter hoc* properavit Deus justum illum educere de medio iniquitatum.

Argumentum ductum ex Ephes. I.

90. *Sextum testimonium* adducitur ex Epistola ad Ephes. I, 4, ubi Apostolus : «Sicut elegit nos, inquit, in ipso ante mundi constitutionem, *ut essemus sancti et immaculati* in conspectu ejus in charitate. Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suae. »

Juxta adversarios electio ad gloriam hic exhibetur tamquam ratio cur nobis sanctitas et omnia dona gratiae conferantur a Deo; non enim, inquiunt, elegit nos *quia* eramus sancti, sed *ut* essemus. Et sic rursum concludunt electionem ad gloriam fieri secundum doctrinam sacrarum litterarum antecedenter ad praevisionem meritorum gratiae.

Ejus solutio.

91. RESPONDETUR non agi in loco citato de electione ad gloriam seorsum sumptam, sed de electione ad gratiam. Quod quidem sufficienter patet *a*) ex dictis supra, capite V, numero 38, ubi hic textus operose discussus est. Adde *b*) quod textus integer sic habet : «Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in coelestibus in Christo, *sicut* elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ut essemus sancti et immaculati, » etc. Ubi in protasi hoc pronomine *nos* significantur omnes justi, uti per se patet et uti omnes exponunt. Et, per consequens, ibi etiam in apodosi pronomen *nos* supponit pro omnibus justificatis, non solum quia ineptum est dicere suppositionem hujus pronominis in una eademque phrasi variari, sed vel maxime quia ita exigit connexio inter protasin et apodosin, quam indicat particula *sicut*.

Argumentum ductum ex Luc. XII.

92. TERTIA TESTIMONIORUM CLASSIS. — *Primum testimonium* huc pertinens adducitur ex Luc. XII, 32, ubi Christus Dominus, adhortans suos apostolos : « Nolite timere, inquit, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. »

Hinc dupliciter arguunt adversarii. *Primo* sic : Voluntas dandi regnum adscribitur hic complacentiae Dei, h. e. beneplacito Dei pure gratuito. Ergo praedestinatio ad gloriam, utpote gratuita, antecedit omnem meritorum praevisionem. *Secundo*, hoc modo : Praedestinatio ad gloriam hic inducitur tamquam ratio a priori totius providentiae Dei circa electos; propterea enim quod est praedestinatus ad regnum, jubetur pusillus grex electorum non timere ne sibi temporalia desint.

93. RESPONDETUR gratuitum Dei beneplacitum, de quo agitur in textu citato, non esse voluntatem Dei absolutam, sed mere conditionatam dandi regnum. Quod patet *primo* ex eo quod hoc sufficiebat ad scopum Christi, qui est adhortari fideles ad exuendam inordinatam sollicitudinem rerum temporalium necessariarum ad vitae sustentationem. Sic scilicet ratiocinatur Christus : Si Pater vester coelestis, *quantum est ex se*, paratus est vobis dare regnum coeleste, rem scilicet maximam, QUANTO MAGIS, *dummodo ordinariam curam adhibueritis*, vobis non denegabit temporalia haec, quae sunt minima. Idem patet *secundo* ex eo quod argumentum Christi est a fortiori, quodque per consequens, si in antecedente hujus argumenti nequit subintelligi *conditio* « Si ipsi vobis non defueritis, » haec nequit etiam subintelligi in consequente ejusdem argumenti, et sic illud consequens esset falsissimum. Idem demum patet *tertio* ex eo quod sermo Christi dirigitur ad omnes apostolos, inter quos erat Judas, qui utique non erat e numero praedestinatorum. Immo sermo Christi dirigitur non solum ad apostolos, sed ad omnes Christi discipulos, et in horum persona ad omnes fideles, de quibus constat eos non esse omnes praedestinatos. Ejus solutio.

94. *Secundum testimonium* adducitur ex Matth. XI, 25, 26, ubi Christus ita orat ad Patrem : « Confiteor tibi, Pater, Domine coeli et terrae, quoniam abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita Pater : quoniam *sic fuit placitum ante te.* » — Inde eodem modo argumentantur adversarii atque ex testimonio praecedente. Argumentum ductum ex Matth. XI.

95. RESPONDETUR non agi ibi de gratuito Dei beneplacito praedestinandi ad gloriam, sed de gratuito Dei beneplacito vocandi ad fidem eos qui sunt humiles mente. Patet id manifestissime, non solum ex contextu, sed vel ex ipsis verbis objectis per se et solitarie consideratis. Ejus solutio.

96. QUARTA TESTIMONIORUM CLASSIS. — Primo loco hic afferunt adversarii varia Scripturae testimonia de iis qui sunt scripti in « libro vitae. » Huc pertinet illud Apoc. XX, 15 : « Et qui non inventus est *in libro vitae scriptus*, missus est in stagnum ignis. » Tum illud Apoc. XXI, 27 : « Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens et mendacium, nisi *qui scripti sunt in libro* Argumentum ductum ex Apoc. XX, XXI et Dan. XII.

vitae Agni. » Tum etiam illud Dan. XII, 1 : « In tempore illo salvabitur populus tuus omnis *qui inventus fuerit scriptus in libro.* »

Ex his ita arguunt adversarii : Scriptio in « libro vitae » vel defectus hujus scriptionis exhibetur in citatis testimoniis ut ratio intrandi vel non intrandi regnum coelorum. Et, per consequens, scriptio in libro vitae in eis exhibetur ut antecedens omnem praevisionem meritorum quibus alicui acquiratur jus intrandi in regnum coelorum. Ergo praedestinatio ad gloriam in eis exhibetur ut antecedens ; idem enim est scriptio in libro vitae atque praedestinatio ad gloriam.

Ejus solutio. **97.** RESPONDETUR 1°, etiamsi vera essent omnia quae in tali suo argumento sibi sumunt adversarii, non tamen sequi conclusionem quam inde inferunt. Ratio responsionis est quod in omni sententia necesse est defendere acquisitionem gloriae sive ingressum in regnum coelorum esse effectum praedestinationis. Et, per consequens, in omni sententia necesse est defendere praedestinationem ad gloriam esse causam ingressus in regnum coelorum. Estque per se manifestum, cum hoc quod praedestinatio ad gloriam est causa ingressus in regnum coelorum, optime stare sententiam ponentem ipsius praedestinationis ad gloriam ex parte sui objecti consideratae causam sive rationem esse merita acquisitionem gloriae praecedentia.

RESPONDETUR 2° allatos textus, ut qui vel maxime, mirifice confirmare nostram sententiam de *praedestinatione ad gloriam consequenter ad praevisa merita*. Juxta citata testimonia scilicet et alia quamplurima quae ex Scripturis adduci possent, quisque justus inscribitur in libro vitae *ratione bonorum operum in statu justitiae peractorum* vel saltem ratione status justitiae prius acquisiti. Quod quidem speciatim patet *a*) ex versiculis paulo praecedentibus versiculum illum 15 capitis XX Apoc., qui est primus locus ab adversariis objectus. Sic enim habet integer is locus inde a versiculo 12 : « Et vidi *mortuos*, magnos et pusillos, stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt : et alius liber apertus est, qui est vitae : *et judicati sunt mortui ex iis quae scripta erant in libris, secundum opera ipsorum*. Et dedit mare mortuos qui in eo erant : et mors et infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant : et *judicatum est de singulis*

secundum opera ipsorum. Et infernus et mors missi sunt in stagnum ignis. Haec est mors secunda. Et qui non inventus est in libro vitae scriptus, missus est in stagnum ignis.» Hinc *b*) sicut juxta sacras litteras duplex est praedestinatio et duplex electio, sic etiam duplex est scriptio in libro vitae, incompleta scilicet et completa. *Scriptione incompleta* eaque per amissionem justitiae *delebili* scripti sunt in libro vitae omnes justi, uti testantur innumera Scripturae testimonia. Exempli causa sufficiant haec : Exod. XXXII, 33 : « *Qui peccaverit mihi*, delebo eum de libro meo.» Ps. LXVIII, 29 : « Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur.» Apoc. III, 5 : « Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, et non delebo nomen ejus de libro vitae.» Apoc. XXII, 19 : « Si quis diminuerit de verbis libri prophetiae hujus, *auferet Deus partem ejus de libro vitae*.» Scriptione vero *completa* eaque *indelebili* scripti sunt in libro vitae omnes qui usque in finem perseverantes, inventi fuerint post mortem scripti in libro vitae. De talibus qui consequenter ad statum finalem justitiae scripti sunt scriptione completa in libro vitae, agitur in locis objectis, uti patet inspicienti totum contextum.

Argumentum ductum ex Jo. VI.

98. Aliud *testimonium* ejusdem classis adducitur ex Jo. VI, 37 et 39. Ibi ita testatur Christus : «*Omne quod dat mihi Pater*, ad me veniet, et eum qui venit ad me, non ejiciam foras... Haec est autem voluntas ejus, qui misit me, Patris : ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die.»

Inde sic argumentantur : *Dati Filio a Patre* dicuntur loco citato praedestinati ad gloriam, uti patet — tum ex versiculo 39, ubi dicitur Patrem nolle perdi aliquem ex iis quos dedit Filio, — tum ex Jo. X, 29, ubi dicitur de iis quos Pater dedit Filio, neminem posse eos rapere e manu Patris, — tum demum ex Jo. XVII, 2, ubi dicit Christus se daturum vitam aeternam omnibus quos dedit sibi Pater. Hoc porro supposito, perspicuum est loco citato doceri omnes qui sunt praedestinati ad gloriam, esse praedestinatos praedestinatione antecedente. Nam ex eo quod sunt sibi *dati a Patre*, h. e. *praedestinati*, deducit Christus rationem omnium gratiarum ipsis in tempore conferendarum, quod scilicet veniant ad fidem (Jo. VI, 37), quod pro eis solis

ipse roget gratias usque in finem efficaces (Jo. XVII, 9), quod nulla tentationum vi possint ei eripi et perire (Jo. X, 28).

Ejus solutio. **99.** RESPONDETUR eos qui Joannis capite VI atque aliis capitibus citatis dicuntur *dati Filio a Patre*, non esse solummodo praedestinatos ad gloriam, sed *omnes credentes*. Patet assertum 1° ex *scopo Christi*, qui inde a versiculo 29 incipit adhortari Judaeos ut testimonio, quod tam internum per gratiam quam externum per miracula Pater dabat de Filio, ipsi assensum adjungerent, et sic crederent in Filium. « Respondit Jesus, et dixit eis, ait ibi Evangelista : Hoc est *opus Dei, ut credatis* in eum quem misit ille. » Patet idem 2° ex *toto contextu*. Scilicet *a) dati Christo a Patre* sunt ex versiculo 37 *omnes qui veniunt ad Christum*, hi autem ex versiculis 44, 45, 65 et 66 sunt omnes credentes. « Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum » (v. 44). « Omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me » (v. 45) « Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt... *Propterea dixi vobis*, quia *nemo potest venire ad me*, nisi fuerit ei datum a Patre meo » (vv. 65, 66). Quocirca « dari Filio a Patre, » nihil aliud est, attento contextu, quam aliquem per gratiam ita trahi a Patre ad fidem ut obediat huic tractui Patris, sive est audire a Patre et discere, id est internam Patris inspirationem admittere eique assentiri : quae omnia communia sunt omnibus fidelibus. Et re quidem vera *b)* toto capite VI evangelii Joannis ita in oratione Christi accipiuntur tamquam synonyma haec duo : « dari Filio a Patre » et « ex gratia Patris credere in Filium, » ut omnia quae Christus affirmat de datis Filio a Patre, eadem etiam affirmet de credentibus in se. Sic v. g. post haec verba versiculi 39 unde objiciunt adversarii : « Haec est autem voluntas ejus qui misit me, Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die, » illico subdit Christus versiculo 40 : « Haec est autem voluntas Patris mei, qui misit me, *ut omnis qui videt Filium et credit in eum, habeat vitam aeternam.* » In eamdemque sententiam addit Christus versiculo 47 : « Amen, amen, dico vobis, *qui credit in me*, habet vitam aeternam. » Quae omnia, si sermo sit de credentibus, manifestum est esse intelligenda conditionate, sub hac videlicet conditione, si Christi fidei atque obedientiae ipsi sponte sua se non subduxerint. Quamobrem

tandem 3° datos Filio a Patre non ejici foras a Christo, voluntatem Patris esse ut eos Christus non perdat, ut eos Christus resuscitet, ut eis det vitam aeternam, eosdem datos Christo a Patre non posse rapi e manu Christi, quippe qui nec rapi queant e manu Patris ; haec omnia, inquam, sunt similiter intelligenda conditionate. Hisce omnibus nimirum significatur quid Pater ac Christus ex parte sui facere parati sint, scilicet tam efficaciter juvare atque protegere omnes qui veniunt ad Christum ut nulla vis creata eos queat eripere a sequela Christi ac frustrare vita aeterna ipsis promissa, nisi ipsi *sponte sua* se Christi ducatui subduxerint. Quod si luce evidentius jam non pateret ex hactenus dictis, efficaciter probari posset ex Jo. XVII. Nam post verba versiculi 2 hujus capitis, quae objiciuntur ab adversariis, subdit Christus versiculo 12 : « Quod dedisti mihi, custodivi [scilicet : quantum ad me attinebat] : et nemo ex iis periit, *nisi filius perditionis*. »

CAPUT IX.

Num suam de gratuita praedestinatione doctrinam s. Augustinus defenderit in agnito a se suisque discipulis dissensu a Patribus se antiquioribus.

—

Dolus adversariorum in immodice extollenda auctoritate s. Augustini.

100. Inter auctores qui propugnant praedestinationem ad gloriam seorsum sumptam esse omnino gratuitam, reperire est bene multos qui haud gravate fateantur huic suae sententiae aperte adversari Patres graecos, immo et Patres latinos qui ante Augustinum scripserunt. Quare in hac quae de causis praedestinationis ad gloriam modo agitatur controversia unus pro omnibus Patribus ipsis est sanctus Augustinus. Ex cujus testimoniis ut invictum robur suae sententiae concilient, imprimis ultra modum in praesenti quaestione exaggerant auctoritatem sancti Doctoris. Eum in quaestionibus de gratia ac de praedestinatione ait Jansenius esse magistrum magistrorum, doctorem doctorum, lumen luminum, vere irrefragabilem, ineffabiliter mirabilem, in dissensu etiam ceterorum Patrum semper atque in omnibus sequendum, a cujus sententia vel in minimo discedere nemini fas sit, cujus opinionem aliquam qui impugnaverit, ille non privatam Augustini opinionem, sed fidei catholicae fundamenta concutiat (in opere inscripto : Augustinus, de ratione et auctoritate in rebus theologicis liber prooemialis, capp. X et seqq.). A qua Jansenianorum exaggeratione nonnulli etiam catholici adversae sententiae patroni se non satis discernunt. Nam et eorum quidam omnem in materia praedestinationis ab Augustino dissensum veluti fidei adversum traducunt. Quo autem probent jure meritoque in hac materia non solum ceteris praevalentem, sed plane irrefragabilem tribui s. Augustino auctoritatem, imprimis adducunt concilia Milevitanum, Carthaginense, Arausicanum ac Valentinum. Nam Patres

horum conciliorum doctrinam s. Augustini de gratia ac de praedestinatione tamquam inviolabilem fidei regulam universim sanxisse, id ex eo aiunt se perspectum habere, quod omnia eorumdem conciliorum decreta ex operibus Augustini tamquam ex purissimo fonte syllabatim atque ad litteram sint excerpta. Tum adducunt Romanos Pontifices, quos contendunt doctrinam s. Augustini non solum qualitercumque approbavisse, sed in omnibus amplexatos esse suamque fecisse. Citant Coelestinum (in Ep. ad Galliae episcopos) qui, postquam vocasset Augustinum « optimum magistrum, quem nunquam sinistrae famae vel rumor asperserit, » jubet silentium imponi atque plane resisti iis qui « piissimo disputatori obviare praesumunt, ac si *necessarium modum* in materiis contra Pelagianos ventilatis excesserit. » Quoque magis constet quantum Coelestinus hisce suis verbis auctoritatem s. Augustini commendare intendat, eis, ad instar commentarii, subnectunt testimonium s. Prosperi (in Libro contra Collatorem, in fine). « *Librorum*, inquit ille, qui errantibus displicebant, pietate laudata, *quid oporteat de eorum auctoritate sentiri*, sancto Coelestinus commendavit eloquio. » Citant deinde Hormisdam papam, qui in Ep. 70 ad Possessorem episcopum : « De arbitrio libero, inquit, et gratia Dei *quid Romana*, *hoc est catholica*, *sequatur et asseveret Ecclesia*, in variis libris s. Augustini et maxime [in libris scriptis] ad Hilarium et Prosperum potest cognosci. » Citant demum Joannem II pontificem, qui in Ep. 3 ad quosdam senatores : « *Doctrinam*, inquit, *s. Augustini*, secundum praedecessorum meorum statuta, *Romana sequitur et servat Ecclesia*. » His omnibus addunt testimonia Prosperi (in Ep. ad Rufinum, in fine), Fulgentii (in Libro de incarnatione et gratia Christi), Petri diaconi (in lib. de Incarn., c. 8), Joannis Maxentii (in Resp. ad ep. Hormisdae), tum etiam eorum Patrum qui saeculo IX in causa Gothescalci Hincmaro restiterunt, Remigii scilicet Lugdunensis (lib. de tribus epist.), Prudentii Trecensis, Lupi Serrati et Lupi Ferrariensis. Ab his doctrinam Augustini de gratia ac de praedestinatione aiunt depraedicari tamquam per omnia et in omnibus evangelicam, apostolicam, catholicam, tamquam talem a qua quicumque, ut Faustus Regiensis, vel in minimo discrepaverit, ille sub anathemate damnandus sit, etc. etc.

Tria pronuntiata partis adversae de doctrina gratuitae praedestinationis a s. Augustino defensa.

101. Sic constituta et firmata irrefragabili quam ipsi jactant s. Augustini auctoritate, adversarii tria perficere student. *Primo*, opponunt s. Augustinum Patribus qui ante ipsum de praedestinatione scripserunt, et sic praevalente s. Augustini auctoritate conantur evacuare vim testimoniorum quae ex hisce Patribus pro nostra sententia adduximus. *Secundo*, contendunt gratuitam praedestinationen quam veluti fide catholica certam Augustinus contra Massilienses propugnavit, esse gratuitam praedestinationem ad gloriam seorsum sumptam. Qui vero eorum eousque procedere non audent, hi saltem conantur ostendere *tertio*, Augustinum privata sententia tenuisse et docuisse gloriam praedestinari antecedenter ad praevisa merita. Quod etiam, duce Petavio, existimant nonnulli nostrae sententiae assertores, qui in hac re s. Augustinum deserendum esse putant.

Tria haec adversariorum asserta jam singillatim discutienda erunt.

Quaestio hic disceptanda.

102. Et primo quidem videndum erit utrum, uti jactitant adversarii, s. Augustinus suam de gratuitate praedestinationis doctrinam defenderit in oppositione ad doctrinam Patrum se antegressorum. Cujus disputationis quantum sit momentum, liquet ex eo quod ex ejus exitu quadantenus praejudicata relinquetur solutio duarum reliquarum quaestionum quae de sententia s. Doctoris deinceps disputandae erunt. Nam si s. Augustinus fassus sit se sua de gratuita praedestinatione doctrina dissentire ab antiquioribus Patribus, unanimi consensione profitentibus praedestinationem ad gloriam fieri secundum praescientiam, necessario dicendum erit ex mente s. Doctoris praedestinationem ad gloriam omnem praevisionem meritorum antecedere. Contra, si s. Doctor in materia praedestinationis nullum prorsus agnovit realem sui dissensum a Patribus se prioribus, necesse erit concludere ipsius sententia gloriam praedestinari consequenter ad praevisa merita gratiae.

Rationes quibus defenditur s. Augustinum in quaestione de praedestinatione realiter dissentire a Patribus se prioribus.

103. Ad adversarios itaque quod attinet, hi primum suum assertum maxime colligere satagunt ex ultima interrogatione Prosperi (in Epistola ad Augustinum, n. 8) atque ex responsione Augustini ad hanc interrogationem (in libro de Praedestinatione sanctorum, n. 27). Utrumque locum hic subjicimus.

S. Prosper, *Epistola ad Augustinum*, n. 8 : « Illud etiam qualiter diluatur, quaesumus, patienter ferendo insipientiam nostram, demonstres, quod, retractatis priorum de hac re opinionibus, paene omnium par invenitur et una sententia, qua propositum et praedestinationem Dei secundum praescientiam receperunt, ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliae fecerit, quia finem uniuscujusque praeviderit, et sub ipso gratiae adjutorio in qua futurus esset voluntate et actione praescierit. »

S. Augustinus, *De praedestinatione sanctorum*, n. 27 : « Certe enim, si de divinarum scripturarum tractatoribus qui fuerunt ante nos, proferrem defensionem hujusce sententiae, quam nunc solito diligentius atque copiosius contra novum Pelagianorum defendere urgemur errorem : hoc est,gratiam Dei non secundum merita nostra dari et gratis dari cui datur, quia neque volentis neque currentis sed miserentis est Dei ; justo autem judicio non dari cui non datur, quia non est iniquitas apud Deum : si hujus ergo sententiae defensionem ex divinorum eloquiorum nos praecedentibus catholicis tractatoribus promerem, profecto hi fratres, pro quibus nunc agimus, acquiescerent ; hoc enim significastis litteris vestris. Quid igitur opus est ut eorum scrutemur opuscula, qui prius quam ista haeresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quaestione versari? Quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur. Unde factum est ut de gratia Dei quid sentirent, breviter quibusdam scriptorum suorum locis et transeunter attingerent, immorarentur vero in eis quae adversus inimicos Ecclesiae disputabant, et in exhortationibus ad quasque virtutes quibus Deo vivo et vero pro adipiscenda vita aeterna et vera felicitate servitur. Frequentationibus autem orationum simpliciter apparebat Dei gratia quid valeret : non enim poscerentur de Deo quae praecipit fieri, nisi ab illo donaretur ut fierent. »

104. Ex his duo inferunt adversarii.

Conclusiones quas ex hoc dissidio a se asserto adversarii inferunt.

Primum est, *s. Augustinum in controversia contra Pelagianos ac Semipelagianos docuisse ac propugnasse gloriam praedestinari ante ulla merita praevisa*. Id perspicue concludi aiunt ex eo quod, uti refertur in epistola Prosperi, sententia s. Augustini de gratuito proposito praedestinationis erat contraria opinioni illi veterum, qua unanimi ferme

consensione docuerunt praedestinationem ad gloriam fieri ex praescientia meritorum. Testes scilicet talis dissonantiae s. Augustini a veterum sensu non esse solummodo *a)* Massilienses (in epistola Prosperi ad Augustinum, numero 4), quorum fides hac in re posset videri suspecta, verum *b)* testem hujusce rei omni exceptione majorem sese praebere ipsum Prosperum (ibidem, numero 8 supra recitato). Immo, quod amplius est, *c)* ipsum adeo Augustinum in suis libris De praedestinatione sanctorum et De dono perseverantiae, quibus epistolae Prosperi respondet, non solum nusquam reclamare contra talem sui a veteribus dissensum, ac si hic perperam ei imponeretur, verum tum asserendo Patres se antiquiores in hac controversia de praedestinatione consulendos non esse, tum eo eos excusando quod ante exortam haeresin Pelagii scripserunt, satis significare se ipsis contrariam sententiam iniisse (1).

(1) Mirum in modum hunc dissensum s. Augustini a Patribus qui ante ipsum floruerunt, exaggerat Jansenius, contendens (Libro VII de haeresi Pelag., c. XVII) omnes Patres ab Origene ad Augustinum, graecos praesertim, errore Semipelagianorum circa praedestinationem correptos fuisse. « Quotquot enim, sic ibi loquitur, Augustini aetatem antegressi sunt, videntur *praedestinationem hominum* non secundum illud beneplacitum voluntatis Dei, sed secundum praescientiam alicujus operis aut voluntatis ex parte hominis antecedentis, unanimi paene consensione docuisse. Quod quidem multipliciter Massilienses graviterque in epistolis Prosperi et Hilarii conqueruntur, ut facile pateat tanto justiorem istam eis visam fuisse querimoniam, quanto in hujusmodi rebus ad fidem pertinentibus humanae rationi auctoritas antecellit. *Contrarium putant*, inquit Prosper, *Patrum opinioni et ecclesiastico sensui quidquid in eis de vocatione electorum secundum propositum disputasti.* Ecce primum quod Massilienses in Augustini doctrina perturbavit, novitas fuit, et ab antiquorum sensu dissonantia : quam primo quoque suae relationis verbo Hilarius notat : *Novum*, inquit, *et inutile esse praedicationi quod quidam* SECUNDUM PROPOSITUM *eligendi dicantur.* Nec semel eis hunc scopulum detexisse sufficit, nisi itentidem eumdem tangerent et Augustino inculcarent. Hoc est enim quod iterum Prosper repetit : *Obstinationem suam vetustate defendunt, et ea quae de epistola apostoli Pauli ad Romanos scribentis ad manifestationem divinae gratiae praevenientis electorum merita proferuntur, a nullo unquam Ecclesiasticorum ita esse intellecta ut nunc sentiuntur, affirmant.* Hoc est item quod dicit Augustino Hilarius : *Hoc enim et illis locis tuorum opusculorum et aliorum quae prosequi longum est, se demonstrare testantur.* Hoc iterum quod paulo post : *Hoc etiam de aliorum libris, quorum est in Ecclesia auctoritas, faciunt; quod perspicit sanctitas tua non parum posse juvare contradictores, nisi majora aut certe paria*

Alterum quod concludunt, illud est, *nullam plane veteribus Patribus, qui ante Augustinum scripserunt, esse in hac controversia de praedestinatione tribuendam auctoritatem.* Quam quidem conclusionem eliciunt ex responsione Augustini (loco supra citato libri De praedestinatione sanctorum), ubi ait veteres illos Patres quaestionem hanc perdifficilem non satis accurate tractasse, sed incidenter solum et quasi per transitum eam attigisse. Et sic in hac sua secunda conclusione adversarii penitus evacuant vim argumenti quod ex consensu Patrum quatuor priorum saeculorum pro nostra sententia adduximus.

105. Quo jam verus sensus interrogationis Prosperi et responsionis s. Augustini patefiat, duo circa doctrinam Patrum, praesertim graecorum, qui ante Augustinum scripserunt, in antecessum animadvertenda sunt.

Sententia ponens praedictum dissidium esse mere apparens.

Animadvertendum est primo, quod attinet ad illud caput doctrinae quod est gloriam praedestinari ex praescientia meritorum, illud Patres graecos non breviter ac transeunter, sed copiose, diligenter ac data opera quam frequentissime in suis operibus inculcasse. At vero, quod attinet ad alterum illud caput doctrinae, quod est primam gratiam esse prorsus gratuitam, illud iidem ii Patres breviter solummodo et quasi aliud agentes attigerunt, immo plerique eorum illud nonnisi obscure et implicite insinuaverunt, atque adeo eorum quidam hoc magis praesupposuerunt, quam qualitercumque docuerunt. Hinc porro ansa praebebatur doctrinam eorum de praedestinatione sic interpretandi ac si docuissent praedestinationem ad gloriam *quoad primam suam radicem* esse ex praevisione meritorum naturalium.

Primum caput doctrinae veterum Patrum cui apparenter opponebatur doctrina gratuitae praedestinationis ab Augustino asserta.

proferantur a nobis. Quid quod non modo Massilienses. quorum in hac re potest esse suspecta fides. istam exaggerant querimoniam, sed etiam in se Prosper idem sensisse videatur. Sic enim in fine litterarum Augustino ex propria sententia videtur loqui : *Illud etiam qualiter diluatur, quaesumus, patienter nostram insipientiam ferendo, demonstres*, etc. Quae quidem Prosperi verba totaque Massiliensium de novitate querimonia, quanta veritate nitantur, ex iis utcumque aestimari potest quae de Origenis epistolam ad Romanos commentantis adeoque ipsius Augustini sententia ante susceptum episcopatum supra suis locis diximus. Utraque quippe, quantum ad hunc articulum, perfecte semipelagiana fuit, ut non mirum sit alios inferioris notae et perspicaciae scriptores, inter utriusque aetatem interjectos, ad eumdem scopulum impegisse. »

Alterum caput doctrinae veterum Patrum cui apparenter opponebatur eadem Augustini doctrina.

Animadvertendum est secundo, alio sensu s. Augustinum esse locutum de praedestinatione, alio vero sensu Patres illos graecos qui Augustinum praecesserunt. Nam, spectato usu loquendi Augustini, objectum per se ac primarium praedestinationis, etiamsi quandoque hanc Augustinus vocet «praedestinationem ad vitam aeternam,» semper atque ubique est *series gratiarum inchoata a prima gratia inclusive*. Unde in sensu s. Augustini haereticum est dicere praedestinationem ad gloriam non esse gratuitam. Contra, spectato usu plerorumque Patrum graecorum, objectum praedestinationis non est gratia, sed solummodo gloria. Unde ipsi de praedestinatione simpliciter sumpta asseruerunt eam non esse gratuitam, sed ex meritis. Hinc porro rursum inducebatur apparens contradictio inter doctrinam s. Augustini et doctrinam ceterorum Patrum.

Propter utramque itaque ex praedictis causis factum est ut Massilienses, ad infitiandam gratuitam illam praedestinationem quam defendebat s. Augustinus, provocaverint ad auctoritatem veterum Patrum, contendentes scilicet juxta horum sententiam tum praedestinationem ad gratiam quoad radicem hujus proximam, tum etiam praedestinationem ad gloriam quoad radicem hujus remotam, esse ex praevisis meritis naturalibus.

Non alio sensu quam qui modo explicatus est, s. Prosperum movisse quaestionem de dissidio inter Augustinum ac ceteros Patres, nec alio spectasse responsum ipsius Augustini, ex discussione textuum qui ex utrisque objiciuntur, jam ostendendum est.

Propositio.

Nec s. Prosperi interrogatio (in Epistola ad Augustinum, n. 8) nec s. Augustini responsio (in libro de Praedest. sanctorum, n. 27) procedunt de praedestinatione ad gloriam ante vel post praevisa merita gratiae. Ceterum nec s. Prosper interrogando existimavit, nec s. Augustinus respondendo confessus est reale aliquod vigere dissidium inter doctrinam praedestinationis a s. Augustino defensam ac doctrinam Patrum qui ante Augustinum floruerunt.

Rationes ostendentes interrogatio-

106. PROBATUR PRIMA PARS, nempe *interrogationem Prosperi non procedere de praedestinatione gloriae ante vel post*

praevisa merita gratiae. Et primo quidem animadvertendum est nihil interesse, quantum praecise attinet ad probationem hujus primae partis propositionis, utrum ex persona Massiliensium an vero potius ex propria sua persona Prosper dicatur movisse objectionem quam ejus interrogatio continet. Certum est enim, eatenus dumtaxat potuisse Prosperum ex seipso praedictam objectionem movere, quatenus de dissidio aliquo exstante inter doctrinam Augustini ac doctrinam ceterorum Patrum idem sensit quod Massilienses. Unde in utrovis casu, h. e. sive ex persona Massiliensium sive ex propria sua persona Prosper praedictam objectionem movit, oportet, ad determinandum sensum ejus interrogationis, inquirere in quemnam sensum Massilienses traherent illa verba « praedestinationem ad gloriam esse secundum praescientiam, » ut hanc tamquam Patrum doctrinam opponerent doctrinae praedestinationis a s. Augustino propugnatae. Id autem perspicue discere licet tum ex epistola Prosperi ad Augustinum, n. 3, ubi de sententia Massiliensium latius refert, tum etiam ex epistola Hilarii ad Augustinum, nn. 2 et 4.

Nem Prosperi non procedere de praedestinatione ad gloriam ante vel post praevisa merita gratiae.

107. En primo relationem Prosperi, loco citato : « Haec enim ipsorum definitio ac professio est : Omnem quidem hominem, Adamo peccante, peccasse. Et neminem per opera sua, sed per Dei gratiam regeneratione salvari. Universis tamen hominibus propitiationem, quae est in sacramento sanguinis Christi, sine exceptione esse propositam ; *ut quicumque ad fidem et ad baptismum accedere voluerint, salvi esse possint. Qui autem crediturі sunt, quive in ea fide, quae deinceps per gratiam sit juvanda, mansuri sunt, praescisse ante mundi constitutionem Deum*, et eos praedestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione et de vita bono fine excessuros esse praeviderit... Et quum contra eos scripta beatitudinis tuae validissimis et innumeris testimoniis divinarum scripturarum instructa proferimus, ac secundum formam disputationum tuarum aliquid etiam ipsi quo concludantur adstruimus, *obstinationem suam vetustate defendunt* : et ea quae de epistola apostoli Pauli Romanis scribentis, *ad manifestationem divinae gratiae praevenientis electorum merita proferuntur*, a nullo unquam Ecclesiasticorum ita esse intellecta ut nunc sentiuntur, affirmant. »

1. Relatio Prosperi de sensu ad quem trahebant Massilienses hoc Patrum effatum : Praedestinatio ad gloriam est secundum praescientiam.

En habes hic manifestissime expressum quid demum sibi vellet illa « praedestinatio gloriae secundum praescientiam » quam defendebant Massilienses quamque, ut eos in suam sententiam raperent, antiquis Patribus tribuebant. Est scilicet ea talis praedestinatio quae *a)* quoad primam suam radicem est ex praeviso merito fidei naturalis, h. e. quae est ex praeviso merito talis fidei quae non ipsa sit ex gratia, sed quae «DEINCEPS SOLUM SIT JUVANDA PER GRATIAM.» Sive aliter *b)* talem praedestinationem gloriae secundum praescientiam tribuebant Massilienses antiquis illis Patribus, ex qua consequens esset «DIVINAM GRATIAM NON PRAEVENIRE OMNIA ELECTORUM MERITA;» cujusmodi sane praedestinatio ad gloriam est solummodo ea quae quoad primam suam radicem est ex praevisis meritis naturalibus.

2. Relatio Hilarii de eadem re.

108. Accipe jam relationem Hilarii, epistola ad Augustinum, n 2 : « Haec sunt itaque quae Massiliae vel aliis etiam locis in Gallia ventilantur. *Novum* et inutile esse praedicationi *quod quidam secundum propositum eligendi dicantur*, ut id nec arripere valeant nec tenere, *nisi credendi voluntate donata*. Excludi putant omnem praedicandi vigorem, si nihil quod per eum excitetur in hominibus remansisse dicatur. Consentiunt omnem hominem in Adam periisse, nec inde quemquam posse proprio arbitrio liberari. Sed id conveniens asserunt veritati vel congruum praedicationi, ut, quum prostratis et nunquam suis viribus surrecturis annuntiatur obtinendae salutis occasio, *eo merito quo voluerint et crediderint a suo morbo se posse sanari, et ipsius fidei augmentum et totius sanitatis suae consequantur effectum*. Ceterum ad nullum *opus* vel incipiendum, nedum perficiendum, quemquam sibi sufficere posse consentiunt : neque enim alicui *operi* curationis eorum annumerandum putant exterrita et supplici voluntate unumquemque aegrotum velle sanari. Quod enim dicitur : Crede et salvus eris, unum horum exigi asserunt, aliud offerri; ut propter id quod exigitur, si redditum fuerit, id quod offertur deinceps tribuatur. Unde consequens putant, *exhibendam ab eo fidem cujus naturae id voluntate conditoris concessum est; et nullam ita depravatam vel extinctam putant, ut non debeat vel possit se velle sanari, propter quod vel sanetur quis a sua, vel si noluerit, cum sua aegritudine puniatur. Nec negari gratiam, si*

praecedere dicatur talis voluntas, quae tantum medicum quaerat, non autem quidquam ipsa jam valeat. Nam illa testimonia, ut est illud : Sicut unicuique partitur mensuram fidei, et similia, ad id volunt valere, *ut juvetur qui coeperit velle, non ut etiam donetur ut velit*, rejectis ab hoc dono aliis pariter reis et qui possent similiter liberari, si ea, quae pariter indignis praestatur credendi voluntas, etiam ipsis similiter praestaretur. *Si autem*, aiunt, *dicatur vel talem omnibus remansisse qua vel contemnere quis valeat vel obedire, de compendio putant rationem reddi electorum vel rejectorum, in eo quod unicuique meritum propriae voluntatis adjungitur...* » Ibidem, n. 4 : « Ceterum praescientiam et praedestinationem vel propositum ad id valere contendunt ut eos praescierit vel praedestinarit vel proposuerit eligere qui fuerant crediturі. *Nec de hac fide posse dici : Quid habes quod non accepisti?* quum in eadem natura remanserit, licet vitiata, quae prius sana ac perfecta donata sit. »

En rursum luculenter expressum qualis fuerit inter Massilienses atque Augustinum de praedestinatione controversia. Scilicet, si fides sit habenda Hilario, *a)* optime intellexerant Massilienses non eo sensu praedestinationem ad gloriam defendi ab Augustino esse gratuitam, ac si, etiam supposita gratia fidei, contenderet s. Doctor hominem « eam arripere, » h. e. eam mereri, non posse. Verum illud in doctrina Augustini querebantur esse « *novum* » sive ab antiquorum Patrum sententia dissonum, quod Augustinus, docendo « *ipsam fidem esse donum Dei*, » consequenter asserebat praedestinationem ad gloriam non esse *radicitus* ex ullis praevisis meritis liberi arbitrii naturalis. Unde *b)* Massilienses tamquam veterum sensui consonam propugnabant contra Augustinum eam doctrinam praedestinationis juxta quam *ratio praedestinationis ad gloriam radicitus reddenda est ex merito voluntatis sibi relictae;* quocirca toti erant in eo ut contra Augustinum ostenderent liberum arbitrium naturale « *non esse adeo depravatum et exstinctum* ut ex seipso non possit concipere bonam voluntatem salutis, » « voluntate conditoris hoc naturae humanae concessum esse ut ex se ipsa possit velle sanari, » « prius juxta Scripturas exigi fidem, ac deinde gratiam retribui, » « per gratiam juvari eum qui ex se ipso coeperit velle, » « propter hoc quod aliquis ex se

ipso vult sanari, eidem gratiam sanitatis conferri, » « eo merito quo aliquis ex se ipso et voluerit et crediderit se posse sanari, eumdem consequi et fidei augmentum et totius sanitatis effectum. » Quamobrem *c)* antiquorum Patrum doctrina de praedestinatione juxta Massilienses hac demum brevissima verborum formula continebatur : *Praedestinationem esse radicitus ex praescientia illius fidei de qua, utpote mere naturali, dici non possit : Quid habes quod non accepisti ?*

Verus sensus objectionis motae interrogatione Prosperi.

109. Ex toto hoc examine patet quis demum sit sensus interrogationis Prosperi (in Ep. ad Aug., n. 8), quantum attinet ad doctrinam veterum Patrum ibi paucis expressam. Scilicet *a)* revera veteres Patres unanimi ferme sententia docuerunt *propositum Dei sive praedestinationem esse secundum praescientiam ;* quia tamen non satis declaraverant utrum sit secundum praescientiam meritorum gratiae, an vero secundum praescientiam meritorum naturalium, hinc ansam arripuerunt Massilienses eos interpretandi in suam sententiam et sic eos opponendi s. Augustino. Similiter *b)*, et in idem recidit, veteres Patres docuerunt « ob hoc alios Deum fecisse vasa honoris, alios vasa contumeliae, quia finem [fidem?] uniuscujusque praeviderit et sub ipso gratiae adjutorio in qua futurus esset voluntate et actione praeviderit. » At rursum tum quia in obscuro reliquerunt utrum praevisa merita, quae ponebant esse rationem praedestinationis, inchoentur a fide naturali, tum quia per praedestinationem in vasa gloriae intelligebant praedestinationem ad gloriam seorsum, Augustinus vero per talem praedestinationem intelligebat praedestinationem simul ad gratiam et ad gloriam ; idcirco rursum ex tali Patrum doctrina occasionem nacti sunt Semipelagiani eam opponendi doctrinae s. Augustini.

Probatio ostendens responsionem s. Augustini non procedere de praedestinatione ad gloriam ante vel post praevisa merita gratiae.

110. PROBATUR SECUNDA PARS, nempe *responsionem s. Augustini non procedere de praedestinatione gloriae ante vel post praevisa merita gratiae.* Probatio sumitur 1° ex eo quod juxta Augustinum doctrina ipsius quam Massilienses querebantur esse Patrum sententiae adversam, haec erat : « gratiam Dei non secundum merita nostra dari, et gratis dari cui datur. » Exinde videlicet procul dubio est consequens eatenus solummodo in controversia cum Augustino ad doctrinam Patrum de praedestinatione gloriae provocasse Massili-

enses, quatenus praedestinationem a Patribus assertam ipsi interpretabantur esse praedestinationem quae radicitus fiat ex praevisis meritis naturalibus. — Probatio aeque manifesta sumitur 2° ex ratione quam affert Augustinus ad ostendendum inutile esse in quaestione inter ipsum ac Massilienses agitata recurrere ad auctoritatem Patrum qui ante exortum Pelagianismum scripserunt. Ratio ejus est quod, sicut Patres non habuerunt necessitatem versandi « in hac difficili ad solvendum quaestione, » sic nonnisi « breviter » et « transeunter » eam attigerunt. Ex quo rursum deducitur quaestionem quae inter Massilienses et Augustinum disceptabatur et pro cujus solutione Massilienses provocabant ad auctoritatem veterum Patrum, non fuisse de praedestinatione ad gloriam seorsum sumptam, utrum haec sit necne ex praevisis meritis gratiae, sed de praedestinatione ad gratiam et ad gloriam simul, utrum haec sit ex praevisis meritis naturalibus. Et ratio hujus conclusionis est perspicua : nam verum est quidem quaestionem de omnimoda gratuitate gratiae Patres nonnisi breviter ac transeunter attigisse, unde verum est etiam eos breviter solum ac transeunter attigisse quaestionem de dependentia vel independentia praedestinationis a praevisis meritis naturalibus, at vero praedestinationem ad gloriam esse ex meritis, non tamen clare determinato genere meritorum, hoc Patres non *breviter* ac *transeunter*, sed *diserte*, *data opera et frequentissime* inculcaverunt. Adde 3° ipsummet Augustinum apertis verbis edicere omnia quae in sua responsione supra allata affirmat de veteribus Patribus, pertinere ad quaestionem de gratuitate gratiae. « *De gratia Dei*, inquit, quid sentirent, breviter quibusdam scriptorum suorum locis et transeunter attigerunt. »

111. PROBATUR TERTIA PARS, nempe *s. Prosperum non sensisse reale aliquod dissidium vigere inter doctrinam praedestinationis a s. Augustino defensam ac doctrinam Patrum qui ante s. Augustinum floruerunt*. Et 1° quidem pro hac propositionis parte arguimus ex loci qui supra ex Prospero objectus est, contextu cum antecedentibus et consequentibus. Etenim *a*) in tota parte numeri octavi suae epistolae locum illum ab adversariis objectum antecedente Prosper *a*) primo proponit Augustino varias quaestiones quas ab eo solvi optat ad diluendas objectiones Massilien-

Rationes ostendentes s. Prosperum non sensisse doctrinam Augustini realiter dissidere a doctrina Patrum Augustino antiquiorum :

1. Adnumeratio ultimae quaestionis a Prospero propositae ad alias quaestiones quas censet solvi posse ab Augustino.

sium; deinde *b*) per particulam *etiam* adnectit ultimam suam interrogationem, eam videlicet ex qua arguunt adversarii, praecedentibus quaestionibus; ac tandem *c*) initio numeri noni manifestat omnes quaestiones numero octavo a se propositas pertinere ad causam Massiliensium. « Quibus omnibus, inquit, enodatis, et multis aliis quae altiore intuitu *ad causam hanc pertinentia* magis potes videre, discussis; credimus et speramus non solum tenuitatem nostram disputationum tuarum praesidio roborandam, sed etiam *ipsos, quos meritis atque honoribus claros caligo istius opinionis obscurat*, defaecatissimum lumen gratiae recepturos. » Sensit ergo s. Prosper objectionem quam movebant Massilienses ex dissensu s. Augustini a Patribus ipso prioribus, solvi posse ab Augustino; sive, quod idem est, ipse sensit nullum reale vigere dissidium inter doctrinam Augustini de praedestinatione et doctrinam Patrum Augustino priorum.

2. Verba quibus concipitur interrogatio Prosperi.

112. Quod idem arguitur 2° ex analysi interrogationis Prosperi. Scilicet duae quaestiones, quas videntur confundere adversarii, hic apprime distinguendae sunt. Prima est quaestio utrum Prosper ex propria sua sententia, an vero solummodo ex sententia Massiliensium, doctrinam de qua Augustinum interrogat, proponat tamquam germanam antiquorum Patrum doctrinam. Et de hac quidem quaestione patet ex verbis Prosperi eam quoad priorem suam partem esse solvendam affirmative. Non enim ait Prosper : « Massilienses perhibent sic sensisse Patres, » neque etiam utitur modo loquendi dubitativo, verum tamquam de re sibi omnino perspecta pronuntiat : « Omnium par invenitur atque una sententia. » Attamen hoc nullum plane facessit negotium: revera enim, uti dictum est supra, interrogatione Prosperi perhibetur genuina priscorum Patrum doctrina, sed indeterminata et propter hoc ancipitis atque in oppositas opiniones versatilis sensus. Altera vero est quaestio, utrum non solum Massilienses, de quibus res perspicue constat, verum etiam Prosper ipse existimaverit praedictam Patrum doctrinam adversari sententiae praedestinationis ab Augustino defensae. Porro de tali quaestione haud minus manifestum est attendenti ad verba quibus Prosper, interrogando Augustinum, utitur, eam esse solvendam negative. Etenim *a*) quaerit Prosper ab Augustino quomodo « dilui » queat atque « eno-

dari » objectio quae contra sententiam Augustini ex unanimi Patrum traditione a Massiliensibus movebatur. Jam vero in tantum objectio ejusmodi a doctore catholico diluitur, in quantum ab ipso valide ostenditur suam doctrinam non pugnare cum universali Patrum traditione. Credidit ergo Prosper sententiam de praedestinatione ab Augustino assertam non revera pugnare cum Patrum Augustino antiquiorum traditione, et hoc ab Augustino « demonstrari » posse. Immo *b*) incusat Prosper suam « insipientiam » in eo quod ipse per se non valeat doctrinam Augustini cum doctrina praecedentium Patrum in concordiam redigere. Credidit ergo a sapientiore Augustino posse talem concordiam ostendi. Et revera *c*) quis serio illud sibi in animum inducat, potuisse Prosperum, hominem scilicet regularum fidei catholicae non ignarum atque in prioribus Augustini scriptis apprime versatum; potuisse, inquam, talem virum propugnare ut veram sententiam Augustini de praedestinatione, quam certo sciret esse novam novitate non oriunda ex evolutione antiquae traditionis, sed *ex contradictione* ad antiquam traditionem? Quum ejusmodi novitas doctrinae semper habita sit in Ecclesia catholica tamquam nota minime dubia falsitatis! Quumque Augustinus in priore suo opere contra Julianum (Libris I et II) provocasset Julianum *ad tribunalia sanctorum Patrum qui praecesserant, tum latinorum tum graecorum*, eoque nomine Juliani doctrinam manifestae falsitatis convicisset quod sibi experiretur adversarios antiquos Patres, quorum ipse ibi catenam texit et verba recitat ad firmandam peccati originalis fidem!

Probatio ostendens ab Augustino nullum esse agnitum realem sui dissensum a Patribus ipsum antegressis.

113. Probatur quarta pars, scilicet ***Augustinum non esse confessum reale aliquod vigere dissidium inter suam de praedestinatione sententiam et doctrinam Patrum se antiquiorum***. Etenim *a)* in verbis supra citatis (libro de Praed. sanct., n. 27) edisserit Augustinus a se *solito diligentius atque copiosius* defendi eam sententiam quam Massilienses esse novam atque hactenus inauditam contendebant, Ergo, vi oppositionis comparativae quam involvunt haec verba : « diligentius » et « copiosius,» id quod Augustinus pergit dicere, « Patres scilicet qui ante se fuerunt nonnisi breviter et transeunter quaestionem inter se ac Pelagianos disceptatam attigisse, » hoc sic explicandum est ut eo intelligatur perhi-

beri Patres id ipsum asseruisse breviter ac transeunter quod Augustinus jam defendit copiosius ac diligentius. Ceterum non solummodo in illo numero 27 libri de Praedestinatione sanctorum quem adversarii citant, sed potissimum in numeris 48, 49 et 50 libri de Dono perseverantiae, respondet Augustinus ad interrogationem Prosperi, aperiendo verbis perspicuis suam mentem de praetensa illa pugna inter se ac Patres ipso antiquiores. Scilicet *b)* numero 48 hujus posterioris sui operis asserit Augustinus nihil prohibere quominus Patres illi qui docuerunt electionem gloriae esse secundum praescientiam, intelligantur esse locuti de tali praescientia quae sit *ipsamet haec praedestinatio gratiae a se defensa*, h. e. quae sit *praescientia meritorum gratiae*. Quo sensu asserit ipsorum sententiam non modo non repugnare, verum plane congruere veritati. En ipsa verba sancti Doctoris : « Quid ergo nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus Dei praescientiam, et agitur de *vocatione* electorum, eamdem *praedestinationem* intelligere. Magis enim fortasse voluerunt hoc verbo ea in re uti, quod et facilius intelligitur, *et non repugnat, immo et congruit veritati quae de praedestinatione gratiae praedicatur.* » Porro *c)* hanc interpretationem veterum Patrum quam Augustinus modo dixerat adhiberi posse, jam ostendit in sequentibus numeris 49 et 50 ejusdem operis necessario adhibendam esse. Quum enim, uti patet ex libro de Praedestinatione sanctorum, n. 27, et satis etiam elucet ex verbis modo adductis ex libro de Dono perseverantiae, n. 48, tota controversia de praedestinatione, quae Augustino intercessit cum Massiliensibus, ad hanc demum quaestionem reduceretur : utrum gratia omni ex parte sit gratuita necne; idcirco Augustinus, post verba proxime citata, illico aggreditur ostendere veteres illos Patres, quibuscum eum committebant Massilienses, *omnimodam gratuitatem* gratiae agnovisse, indeque concludit procul dubio eos etiam agnovisse eam praedestinationis rationem quam contra novos haereticos ipse modo *operosius diligentiusque* defendere cogebatur. En rursum ipsa verba s. Doctoris, libro de Dono perseverantiae, n. 49 : « Unde supradicti tractatores excellentissimi divinorum eloquiorum et gratiam Dei veram, sicut praedicanda est, praedicarunt, id est quam *nulla merita humana praecedunt*, et [nihilominus] ad facienda divina praecepta instanter hortati

sunt. » Et ibidem, n. 50 : « Numquid autem quisquam eos dicturus est ita confessos istam Dei gratiam, ut auderent negare ejus praescientiam, quam non solum docti, sed indocti etiam confitentur? Porro si haec ita Deum noverant dare, ut non ignorarent eum daturum se esse praescisse et quibus daturus esset non potuisse nescire ; *procul dubio noverant praedestinationem quam per apostolos praedicatam contra novos haereticos operosius diligentiusque defendimus.* »

Plenus consensus s. Augustini cum Patribus ipsum antegressis agnitus a romanis episcopis, conciliis et Patribus qui s. Doctoris doctrinam approbaverunt

114. Ad cumulandas hasce probationes illud demum adde, *d)* quod nullam pugnam inter Augustinum ac Patres ipsum antegressos agnoverunt summi illi pontifices, varia illa concilia atque Patres illi posteriores, in quorum testimoniis ad auctoritatem Augustini exaggerandam immodice se jactant Janseniani. Ex quo factum est ut iidem illi pontifices, illa concilia atque Patres illi subsequentes *non in divisione ac dissensu* s. Augustini a ceteris Patribus, *sed in ejusdem cum ipsis unitate ac consensu* doctrinam Augustinianam de gratia ac praedestinatione commendaverint. Sic Coelestinus papa (in Ep. ad episc. Galliae) acri censura perstringit eos qui « *piissimis disputatoribus* obviare praesumebant, et, tamquam *magistri nostri* necessarium modum excessissent, » obloquebantur. Agitur hic non de solo disputatore Augustino, ut fraudulenter citat Jansenius, sed de omnibus iis disputatoribus ac magistris qui Pelagio restiterunt, quorum numero non est dubium comprehendi imprimis Hieronymum, qui, ut ait Augustinus, contra Pelagium acerrime disputavit. Sic Gelasius papa in suo decreto, quum inter apocrypha recensuisset opera Cassiani et Fausti Regiensis, propterea quod contineant errorem semipelagianum, absolute recipi in Ecclesia et recipienda significat opuscula sanctorum Cypriani, Athanasii, Nazianzeni, Basilii, Chrysostomi, Theophili Alexandrini, Cyrilli Alexandrini, Hilarii, Ambrosii, Hieronymi, sicut et ipsius Augustini. Sic in concilio Arausicano ea quae ibi definiuntur « ab Apostolica Sede transmissa, » dicuntur « collecta esse ab antiquis Patribus de sanctarum Scripturarum voluminibus. » Sunt autem haec, uti aiunt Janseniani, verbatim ac syllabatim ex Augustino descripta. Ergo concilium Arausicanum censuit doctrinam s. Augustini de gratia ac de praedestinatione *non esse ei propriam*, sed cum ceteris Patribus communem. Et quia adversarii gloriantur, ut quam maxime,

auctoritate eorum conciliorum ac Patrum qui Hincmaro in causa Gotheschalci restiterunt, audiatur etiam concilium Valentinum ita pronuntians : « Indubitanter auctoribus piis et recte tractantibus verbum veritatis ipsisque sacrae Scripturae lucidissimis expositoribus, id est Cypriano, Hilario, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, ceterisque in catholica pace quiescentibus, reverenter auditum et obtemperanter submittimus, et pro viribus quae ad salutem nostram scripserunt, amplectimur. » Audiatur et Remigius, qui nomine Ecclesiae Lugdunensis, in libro De tribus epistolis, promittit se non « ex suo sensu sed ex Scripturarum sanctarum immobili veritate et beatissimorum ecclesiasticorum Patrum fundatissima auctoritate locuturum esse. » Atque in fine libri concludit, omnia quae scripsit de gratia ac praedestinatione, « ex fidelissimorum et clarissimorum Patrum disputationibus sumpta esse. » Patres autem, e quorum auctoritate disputaverat, sunt omnes illi graeci et latini jam supra saepius a nobis citati.

CAPUT X.

Num gratuita praedestinatio quae veluti fide certa a s. Augustino defenditur, sit praedestinatio ad gloriam seorsum sumptam.

—

115. Quod attinet ad duas reliquas quaestiones quae de doctrina Augustiniana jam deinceps disceptandae erunt, animadvertendum est in s. Augustino contra Pelagianos ac Semipelagianos disputante duplicem veluti personam secernendam esse, ideoque inter duas etiam qualitates ejus doctrinae sedulo distingui oportere. Est scilicet alia Augustini doctrina, quam ipse defendit veluti fidei catholicae testis, veluti publicus ejusdem assertor ac propugnator; ad hanc porro partem doctrinae sancti Doctoris indubium est pertinere gratuitam illam praedestinationem quam *data opera* in suis libris de Praedestinatione sanctorum et de Dono perseverantiae contra Massilienses defendit. De hac quippe sic loquitur in libro de Dono perseverantiae, n. 48 : « Hoc scio, neminem contra istam praedestinationem, quam secundum Scripturas sanctas defendimus, nisi errando, disputasse potuisse. » Et de eadem hac parte doctrinae s. Augustini est similiter indubium eam summorum pontificum ac conciliorum decretis tamquam ipsius fidei catholicae doctrinam confirmatam esse.

Duplex persona in s. Augustino distinguenda : *a)* persona publici testis fidei catholicae.

116. Est vero alia doctrina s. Augustini, quam ipse non asserit nisi *opinative*, ut *privatus solummodo doctor*, relicta sua cuique plena assentiendi dissentiendive libertate. Huc porro procul dubio pertinet sancti Doctoris sententia, quaecumque demum ea fuerit, de ordine inter praescientiam meritorum gratiae et praedestinationem gloriae. Nam, uti ex disputatione capite praecedente habita jam deducere licuit et uti ex disputatione hoc capite instituenda fiet adhuc magis manifestum, sola doctrina quam veluti fide certam Augustinus in materia

b) persona doctoris privati.

praedestinationis contra Massilienses propugnavit, est doctrina de gratuitate *praedestinationis gratiae*. Reliqua vero quae in eadem materia nonnisi secundario et incidenter asseruit, ipse s. Augustinus vult haberi ut omnium liberae disputationi permissa. Sic enim de his suis placitis profitetur libro de Dono perseverantiae (qui est secundus de praedestinatione), n. 55 : « Quamvis neminem velim sic amplecti omnia mea, ut me sequatur nisi in iis in quibus me non errasse perspexerit. Nam propterea nunc facio libros, in quibus opuscula mea retractanda suscepi, ut nec meipsum in omnibus me secutum esse demonstrem; sed proficienter me existimo, Deo miserante, scripsisse, non tamen a perfectione coepisse : *quandoquidem arrogantius loquor quam verius, si vel nunc dico me ad perfectionem sine ullo errore scribendi jam in ista aetate venisse.* »

Approbatio doctrinae s. Augustini litteris variorum Pontificum contenta, pertinens ad ea solummodo Augustini decreta quae necessario cohaerent cum doctrina de necessitate et gratuitate gratiae.

117. Ad hoc accedit auctoritas Coelestini papae, cujus verba truncant Janseniani ad auctoritatem Augustini immodice efferendam. In indiculo quippe capitulorum, qui subnectitur epistolae 21 ad episcopos Galliae, ipse, vel quicumque alius est auctor praedicti indiculi, imprimis quidem veluti doctrinam fidei catholicae sancit ea s. Augustini decreta quorum necessaria est colligatio cum doctrina de omnimoda necessitate ac vera *gratuitate gratiae*. At vero, quod attinet ad cetera sancti Doctoris placita huc nullatenus attinentia, idem ille Coelestinus jam deinceps significat ea, illaesa fide catholica, posse indifferenter a quolibet sive accipi sive repudiari. En ipsa verba Coelestini : « His ergo ecclesiasticis regulis et ex divina sumptis auctoritate documentis ita adjuvante Domino confirmati sumus, *ut omnium bonorum affectuum atque operum et omnium studiorum atque omnium virtutum quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profiteamur auctorem; et non dubitemus ab ipsius gratia omnia hominis merita praeveniri* per quem fit ut aliquid boni et velle incipiamus et facere... Profundiores vero difficilioresque partes incurrentium quaestionum quas latius pertractarunt qui haereticis restiterunt, *sicut non audemus contemnere*, ITA NEC NECESSE HABEMUS ADSTRUERE, *quia ad confitendam gratiam Dei, cujus operi ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus quidquid secundum praedictas regulas Apostolicae sedis nos scripta*

docuerunt. » Porro ad indiculum capitulorum e quibus verba modo citata excerpta sunt, respexerunt Hormisdas et Joannes II, quando professi sunt Ecclesiam sequi ac servare s. Augustini doctrinam. Haec scilicet sunt Hormisdae ad Possessorem scribentis verba in epistola 122 : « *De arbitrio tamen libero et gratia Dei* quid Romana, id est catholica sequatur et servet Ecclesia, licet in variis libris beati Augustini possit cognosci, et maxime ad Hilarium et Prosperum, *tamen et in scriniis Ecclesiasticis expressa capitula continentur.* » Ex quibus patet quam sublesta fide quae a Romanis Pontificibus in commendationem s. Augustini scripta comperiuntur, Janseniani adducant, ut inde adstruant eam, quam adeo jactant s. Augustini in omnibus quae qualitercumque docuit nec retractavit, irrefragabilem auctoritatem.

118. His praenotatis, ad examen secundae quaestionis ex tribus illis quas initio capitis superioris proposuimus, accedendum est.

Argumenta quibus defenditur gratuitam praedestinationem quam veluti fide certam s. Augustinus docuit, esse gratuitam praedestinationem ad gloriam seorsum sumptam :

Est itaque, uti ibidem monuimus, *secundum assertum* tum Jansenianorum tum etiam quorumdam catholicorum, gratuitam illam praedestinationem quam veluti fide certam in sua controversia cum Pelagianis ac Semipelagianis s. Augustinus asseruit ac propugnavit, esse gratuitam praedestinationem ad gloriam seorsum sumptam. Sive, quod idem est, secundum praedictos auctores doctrina Massiliensium, quam veluti fidei catholicae adversantem s. Augustinus, asserta gratuitate praedestinationis, excludere intendit, est doctrina qua perhibetur gloriam praedestinari *ex praevisis meritis gratiae.* Inducuntque ad id probandum duo potissimum argumenta. Primum argumentum ab eis sumitur ex iis quae de erroribus Massiliensium refert Prosper in sua epistola ad Augustinum quaeque de iisdem significat ipse Augustinus in libro de Praedestinatione sanctorum. Inde videlicet aiunt accipi fuisse duo Massiliensium genera diverso errore a fide catholica deviantia. Fuisse videlicet Massiliensium quosdam qui in eo errarent quod negarent gratiam supernaturalem, quae est gratia Christi, esse gratuitam. Et horum quidem errorem, tamquam longe maximum, aiunt perstringi a Prospero in citata epistola ad Augustinum, n. 4, hisce verbis : « *Quidam* vero *horum* in tantum a Pelagianis semitis non declinant, ut, quum ad confitendam eam Christi

1. Testificatio Prosperi et Augustini de quibusdam Massiliensibus tamquam non errantibns circa gratiam sed solummodo circa praedestinationem.

gratiam quae omnia praeveniat merita humana, cogantur, ne, si meritis redditur, frustra gratia nominetur, ad conditionem hanc velint uniuscujusque hominis pertinere, in qua eum nihil prius merentem, quia nec existentem, *liberi arbitrii et rationalem gratia creatoris instituat*, ut per discretionem boni ac mali et ad cognitionem Dei et ad obedientiam mandatorum ejus possit suam dirigere voluntatem, atque ad hanc gratiam qua in Christo renascimur, pervenire, per naturalem scilicet facultatem petendo, quaerendo, pulsando : ut ideo accipiat, ideo inveniat, ideo introeat, *quia bono naturae bene usus*, *ad istam salvantem gratiam initialis gratiae* [h. e. liberi arbitrii naturalis sibimet relicti] *ope meruerit pervenire.* » Praeter hos vero aiunt fuisse Massilienses alterius generis, qui circa praedestinationem erraverint, non quod negarent gratiam Christi esse vere gratuitam, sed *quia electionem ad gloriam contenderent esse factam ex meritis gratiae.* De hoc porro altero Massiliensium genere aiunt verba facere Prosperum versus initium suae epistolae, ubi ita refert : « Haec ipsorum definitio ac professio est... Neminem *per opera sua*, sed per Dei gratiam regeneratione salvari... Qui autem crediturі sunt quive in ea fide, quae deinceps per gratiam sit juvanda, mansuri sunt, praescisse ante mundi constitutionem Deum, et eos praedestinasse in regnum suum, *quos gratis vocatos*, *dignos futuros electione et de hac vita bono fine excessuros praeviderit.* » Ubi ab eo significari Semipelagianos secundi illius generis neutiquam male sensisse de gratia, sed eatenus solummodo eosdem circa praedestinationem gloriae errasse, quatenus eam ex meritis gratiae factam esse asserebant, id perspicue aiunt elucescere *a)* ex eo quod ipse testetur Semipelagianos illos confessos esse *nos gratis vocari ad fidem.* Ad quod accedit, inquiunt, *b)* quod progressu suae epistolae, loco superius adducto, Prosper eos Semipelagianos qui negabant gratuitatem gratiae, probe secernit ab iis de quibus principio suae epistolae, loco proxime adducto, locutus fuerat. Addunt denique, *c)* Massiliensium secundi illius generis doctrinam de gratia fuisse omnino catholicam, id ab ipso Augustino luculento testimonio edisseri in libro de Praedestinatione sanctorum, n. 2. Ibi enim eum de praedictis Massiliensibus ita loqui : « Adhuc quippe *in quaestione caligant de prae-*

destinatione sanctorum. Sed habent unde, si quid aliter in ea sapiunt, hoc quoque illis revelet Deus, si in eo ambulent in quod pervenerunt... Pervenerunt autem isti fratres nostri ut credant, cum Ecclesia Christi, peccato primi hominis obnoxium nasci genus humanum, nec ab isto malo nisi per justitiam secundi hominis aliquem liberari. *Pervenerunt etiam ut praeveniri voluntates hominum Dei gratia fateantur, atque ad nullum opus bonum vel incipiendum vel perficiendum sibi quemquam sufficere posse consentiant.* Retenta ergo ista in quae pervenerunt, plurimum eos a Pelagianorum errore discernunt. Proinde si in eis ambulent, et orent eum qui dat intellectum, *si quid de praedestinatione aliter sapiunt*, ipse illis hoc quoque revelabit. »

2. Characteres quibus praedestinatio contra Massilienses a s. Augustino defensa describitur et argumenta quibus impugnatur.

119. Alterum argumentum pro probatione sui asserti sumunt praedicti auctores ex eo quod ex relatione Prosperi in Epistola ad Augustinum apparet definitionem praedestinationis, quam veluti fide certam propugnabat Augustinus, eo solummodo nomine Massiliensibus secundi illius generis exosam fuisse, quod per eam docebatur fieri *antecedens* praedestinatio ad gloriam. Huc adducunt haec verba Prosperi in citata epistola, n. 3. « Hoc autem *propositum vocationis Dei* quo vel ante mundi initium vel in ipsa conditione generis humani *eligendorum et rejiciendorum dicitur facta discretio*, *ut*, *secundum quod placuit creatori*, *alii vasa honoris*, *alii vasa contumeliae sint creati*, et lapsis curam resurgendi adimere et sanctis occasionem teporis afferre : eo quod in utraque parte superfluus labor sit, *si neque rejectus ulla industria possit intrare*,*neque electus ulla negligentia possit excidere*. Quoquo enim modo se egerint, non posse aliud circa eos quam Deus definivit, accidere : et sub incerta spe cursum non posse esse constantem ; *quum, si aliud habeat praedestinantis electio, cassa sit adnitentis intentio.* Removeri itaque omnem industriam tollique virtutes, *si Dei constitutio humanas praeveniat voluntates* ; et sub hoc praedestinationis nomine fatalem quamdam induci necessitatem : aut diversarum naturarum dici Dominum conditorem, si nemo aliud possit esse quam factus est. » Dupliciter ex hisce verbis suum intentum concludunt. *Primo*, ex characteribus quibus praedestinatio a s. Augustino asserta in eis describitur, quos quidem characteres aiunt non posse competere nisi in

praedestinationem gloriae quae fiat antecedenter ad praevisa merita. Quippe praedestinationem qua secundum Augustinum eligendorum et rejiciendorum facta sit discretio, h. e. quae sit praedestinatio ad gloriam, loco citato perhiberi esse *a)* *propositum vocationis*, h. e. tale propositum eligendi ad gloriam ex quo profluxerint vocatio ad fidem et cetera dona quae a Deo conferuntur electis, de eademque praedestinatione ad gloriam sive proposito ibi dici *b)* vi ipsius non ex meritis sed « secundum quod placuit creatori, » hoc est gratis, fieri alios vasa honoris, alios vero vasa contumeliae, eamdemque ibi dici *c)* « praevenire humanas voluntates, » h. e. antecedere omnia merita, atque esse hujusmodi *d)* ut « neque rejectus ulla industria possit intrare, neque electus ulla negligentia excidere. » Quorum nihil sane, inquiunt, dici posset, si et electio ad gloriam fieret consequenter ad industriam electorum, et rejectio a gloria consequenter ad negligentiam rejectorum. *Secundo*, idem concludunt ex argumentis quibus Massilienses hoc « propositum praedestinationis » ab Augustino assertum impugnabant. Omnia nimirum haec argumenta aiunt esse plane eadem iis quibus et hodiedum ab assertoribus praedestinationis ad gloriam factae consequenter ad praevisa merita impugnatur sententia asserens gloriam praedestinari independenter ab ullis meritis praevisis. Sane ut haec sententia esse absurditatis plena ostendatur, dici solere ab ejus impugnatoribus id quod, teste Prospero, et Massilienses opponebant doctrinae praedestinationis a s. Augustino assertae, nempe per eam « sub nomine praedestinationis fatalem quamdam induci necessitatem » sive salutis pro electis, sive damnationis pro reprobis (ep. cit., n. 3), per eam « et lapsis curam resurgendi adimi et sanctis occasionem teporis afferri, eo quod in utramque partem superfluus labor sit » (ibid.), per eam denique removeri omnem vigorem exhortationis ad virtutes omnemque utilitatem correptionis vitiorum (ibid., n. 6). Quibus argumentis quum nullus possit esse locus in refutatione sententiae ponentis gloriam praedestinari ex praevisis meritis gratiae, perspicuum esse aiunt propterea doctrinam praedestinationis a s. Augustino assertam male audiisse apud Massilienses, quia per eam statuebatur salvandos eligi ad gloriam independenter ab ullis meritis praevisis.

120. Porro ad majorem vim hujus sui secundi argumenti addunt adversarii Augustinum in suis libris de Praedestinatione sanctorum et de Dono perseverantiae nunquam dixisse Massilienses non recte interpretatos esse suam de praedestinatione sententiam ; immo ipsum magis adhuc eos in hac sua interpretatione confirmasse, unde et factum sit ut post hos ipsius libros jam conscriptos atque editos Massilienses eodem modo atque antea ejus sententiam intellexerint atque impugnaverint. Ad quod confirmandum adducunt verba Fausti Regiensis, qui in libro I de Gratia Dei et libero arbitrio vocat propositum praedestinationis a s. Augustino assertum « fatale decretum » aitque per illud « subsidia orationis excludi. » « Quid enim ultra, inquit, speret, quem jam gratia suum fecit? In quo e contrario non desperet, quem praefinitio violenta damnavit?... Sed dicis : Ideo orare debet, quia ex qua parte sit nescit. Sed quid orare homini proderit in una harum duarum conditionum omnimodis constituto? Nam, etsi ad quam partem fuerit deputatus, ignorat, utramque tamen partem defixam esse et immutabilem non ignorat. Quid refert, si nondum novit locum suum, qui definitissime novit quia nullum jam recipiat vel dextra periculum vel sinistra profectum? » Et ibidem, paucis interjectis : « Si ergo unus, inquit, ad vitam, alter ad perditionem (ut asserunt) deputatus est (sicut quidam sanctorum dixit), non judicandi nascimur, sed judicati. »

3. Tacita confessio ipsius Augustini de sua sententia tamquam recte intellecta a Massiliensibus.

Tota haec adversariorum sententia et argumenta quibus fulcitur, jam apertissimae falsitatis convincenda sunt.

Propositio.

Gratuita praedestinatio de qua in controversia cum Pelagianis ac Semipelagianis asseruit s. Augustinus eam sine errore in fide negari non posse, non est praedestinatio ad gloriam seorsum sumptam, sed praedestinatio sive ad solam gratiam sive complexe simul ad gratiam et ad gloriam.

121. Probatio hujus propositionis hoc ineluctabili argumento conficitur : Gratuita praedestinatio quam veluti fide certam defendit s. Augustinus, ita juxta eumdem Augustinum indivisibiliter cohaeret cum omnimoda gratuitate gratiae, ut

Rationes ostendentes gratuitam praedestinationem quam

veluti fide certam s. Augustinus defendit, non esse nisi gratuitam praedestinationem gratiae :

negari nequeat dictam praedestinationem esse pure gratuitam, nisi asserendo etiam gratiam non esse pure gratuitam, sed eam secundum merita nostra dari. Atqui non ex negata gratuitate praedestinationis ad gloriam seorsum sumptam, sed solummodo ex negata gratuitate praedestinationis sive ad solam gratiam sive ad gratiam simul et ad gloriam consequens est gratiam non gratis sed secundum merita nostra dari. Ergo gratuita praedestinatio quam veluti fide certam defendit s. Augustinus, non est gratuita praedestinatio gloriae seorsum sumptae, sed solummodo gratuita praedestinatio sive solius gratiae sive gratiae simul et gloriae.

1. Diserta testimonia Augustini et Prosperi de necessario nexu inter fidem gratuitae praedestinationis a se defensam et fidem omnimodae gratuitatis gratiae.

122. Minor hujus argumenti per se manifesta est; Major vero ejus accipitur ex innumeris Augustini ejusque discipulorum testimoniis. Etenim 1° indolem gratuitae praedestinationis a se assertae esse talem, qualem modo perhibuimus, s. Augustinus ejusque discipuli expressis verbis declarant. Sic libro de Dono perseverantiae, n. 38 : « Sed aiunt, ut scribitis, inquit s. Doctor, neminem posse correptionis stimulis excitari, si dicatur in conventu ecclesiae, audientibus multis : Ita se habet de praedestinatione definita sententia voluntatis Dei, ut alii ex vobis de infidelitate, accepta obediendi voluntate, veneritis ad fidem, vel, accepta perseverantia, maneatis in fide, ceteri vero qui in peccatorum delectatione remoramini, ideo nondum surrexistis, quia necdum vos adjutorium gratiae miserantis erexit. Verumtamen, si qui estis nondum vocati, quos gratia sua praedestinaverit eligendos, accipietis eamdem gratiam qua velitis et sitis electi : et si qui obeditis, si praedestinati estis rejiciendi, subtrahentur obediendi vires, ut obedire cessetis. *Ista quum dicuntur, ita nos a confitenda vera Dei gratia, id est, quae non secundum merita nostra datur, et a confitenda secundum eam praedestinatione sanctorum deterrere non debent*, sicut non deterremur a confitenda praescientia Dei, » etc. Et ibidem, n. 41 : « Aut enim sic praedestinatio praedicanda est, quemadmodum eam sancta Scriptura evidenter eloquitur, ut in praedestinatis sine poenitentia sint dona et vocatio Dei; *aut gratiam Dei secundum merita nostra dari confitendum, quod sapiunt Pelagiani.* » Et ibidem, n. 42 : « Videant impediri atque subverti hac praedestinationis praedicatione illum TANTUMMODO perniciosissimum errorem

quo dicitur gratiam Dei secundum merita nostra dari : ut qui gloriatur, non in Domino, sed in seipso glorietur. » Et ibidem, n. 53 : « Quid autem coegit loca Scripturarum quibus praedestinatio commendata est, copiosius et enucleatius isto nostro labore defendi, *nisi quod Pelagiani dicunt gratiam Dei secundum merita nostra dari : quod quid est aliud quam gratiae omnino negatio?* » Et ibidem, n. 54 : « Haec ergo ut ingrata Deo sententia [h. e. Pelagii sententia] destruatur, gratuitis Dei beneficiis, quibus liberamur, inimica, et initium fidei et in ea usque in finem perseverantiam secundum Scripturas, unde jam multa diximus, dona Dei esse defendimus... Si autem utrumque Dei donum est, et haec Deus dona sua (quod negare quis potest?) daturum se esse praescivit, *praedestinatio praedicanda est, ut possit vera Dei gratia, hoc est, quae non secundum merita nostra datur, insuperabili munitione defendi.* » Itidem Prosper, in Responsionibus ad excerpta Genuensium, cap. 8, respondens ad eam Genuensium objectionem qua veluti absurdam traducebant definitionem praedestinationis a s. Augustino libro de Dono perseverantiae, n. 35, traditam, non aliter hanc objectionem retundit quam ostendendo gratuitam praedestinationem a s. Augustino depraedicatam negari non posse nisi ab iis qui cum Pelagio sentiunt gratiam non esse donum Dei omnino gratuitum. « Qui istis resistunt, inquit, hoc sentire apertissime probantur, quod fides non sit donum Dei; et quod gratia non praeveniat liberum arbitrium, sed sequatur; et quod gratia Dei secundum merita nostra detur. »

2. Ratio qua ostendit Augustinus veteres Patres agnovisse gratuitam praedestinationem a se assertam.

123. Hinc 2° veteres Patres agnovisse gratuitam illam praedestinationem a se assertam, non aliunde probat Augustinus nisi ex eo quod ipsi agnoverunt *gratiam Dei esse vere gratuitam*. Nam in libro de Dono perseverantiae, n. 50 : « Numquid autem, inquit, quisquam eos [h. e. veteres Scripturae tractatores] dicturus est *ita confessos istam Dei gratiam* ut auderent negare ejus praescientiam, quam non solum docti, sed indocti etiam confitentur? Porro si haec ita Deum noverant dare, ut non ignorarent eum daturum se esse praescisse et quibus daturus esset non potuisse nescire; procul dubio noverant praedestinationem quam per apostolos praedicatam contra novos haereticos operosius diligentiusque defendimus. »

3. Ratio qua ostendit ab ipsomet jam ante exortum Pelagianismum eamdem gratuitam praedestinationem agnitam esse.

124. Eademque ratione 3° probat s. Augustinus a seipso jam dudum ante exortam haeresin Pelagii fuisse agnitam illam praedestinationis rationem quam postea diligentius contra Pelagianos defendit. Nam de Dono perseverantiae, n. 52 : « Quod autem dicunt, inquit, non opus fuisse hujuscemodi disputationis incerto minus intelligentium tot corda turbari : quoniam non minus utiliter sine hac definitione praedestinationis per tot annos defensa est catholica fides, tum contra alios, tum maxime contra Pelagianos, tot catholicorum et aliorum et nostris praecedentibus libris : multum miror eos dicere ; nec attendere, ut de aliis hic taceam, ipsos libros nostros et antequam Pelagiani apparere coepissent, conscriptos et editos, et videre quam multis eorum locis futuram nescientes Pelagianam haeresin caedebamus, PRAEDICANDO GRATIAM, *qua nos Deus liberat a malis erroribus et moribus nostris, non praecedentibus bonis meritis nostris, faciens hoc secundum gratuitam misericordiam suam.* »

4. Ratio qua ostendit eamdem gratuitam praedestinationem semper fuisse in fide Ecclesiae.

125. Denique 4° eodem etiam argumento probat s. Augustinus praedestinationem a se assertam semper fuisse in fide Ecclesiae. Sic in libro de Dono perseverantiae, n. 65 : « Ille itaque dicat, inquit, Ecclesiam aliquando in fide sua non habuisse veritatem praedestinationis hujus et gratiae quae nunc contra novos haereticos cura diligentiore defenditur : ille, inquam, hoc dicat, qui dicere audet aliquando eam non orasse vel non veraciter orasse sive ut crederent infideles sive ut perseverarent fideles. Quae bona si semper oravit, semper ea Dei dona esse utique credidit ; nec ab illo esse praecognita unquam ei negare fas fuit. *Ac per hoc praedestinationis hujus fidem, quae contra novos haereticos nova sollicitudine nunc defenditur, nunquam Ecclesia Christi non habuit.* »

126. Restat ut solvantur duo adversariorum argumenta quae initio sunt proposita.

Solutio primi argumenti ab adversariis inducti.

Ad primum eorum argumentum RESPONDETUR, inter duo illa Massiliensium genera, de quibus Prosper in sua epistola, non fuisse differentiam quoad rem ipsam, sed quoad modum loquendi dumtaxat. Utrique enim in eo conveniebant quod gratiam supernaturalem, quae est gratia Christi, intuitu fidei naturalis praecedentis conferri ac praedestinari asserebant. Dissidebant vero in modo conciliandi hoc suum dogma

cum definitione veritatis catholicae qua contra Pelagium assertum fuerat gratiam non secundum merita nostra dari et per eam omne bonum opus nostrum omnemque bonam voluntatem nostram praeveniri. Alii scilicet eorum confugerunt idcirco ad gratiam aliquam quae, sicut omne opus bonum, sic etiam omnem gratiam supernaturalem praevenit, ad gratiam scilicet naturalem creationis sive liberi arbitrii in creatione donati. Alii vero ne, dum in uno se removent a Pelagio, in alio ad ejus dogmata accederent, maluerunt comminisci fidem illam naturalem praecedentem, cujus intuitu aiebant praedestinari ac conferri gratiam, non esse de condigno meritoriam gratiae, ideoque talem fidem non esse adnumerandam bono operi sive qualicumque boni operis initio. Et secundum talem sensum asseruerunt homines « gratis vocari ad fidem » atque « gratia omne opus bonum praeveniri. »

Hanc fuisse mentem posterioris hujus generis Massiliensium, patet 1° ex verbis Prosperi, qui eos docuisse perhibet electos praedestinari ex praescientia fidei quae solummodo « sit deinceps juvanda per gratiam, » quique in fine addit eos negasse (ad rem scilicet quod attinet) « gratia omnia electorum merita praeveniri. » Patet idem 2° ex s. Augustino, qui post verba ab adversariis adducta ex numero 2 libri de Praedestinatione sanctorum illico addit se jam Massiliensibus hujus secundi generis « ministerium sermonis impensurum esse. » Illico autem aggreditur contra eos demonstrare FIDEM *non esse ex nobis, sed esse donum Dei*, quod argumentum usque ad finem hujus libri pertractat. Et libro de Dono perseverantiae, n. 41, contradictionis arguit eosdem Massilienses, quod, quum faterentur « gratia omnem bonam voluntatem hominis praeveniri, » nihilominus asserent gratia non praeveniri fidem, sed fide gratiam. Patet demum idem 3° ex relatione Hilarii in sua ad Augustinum epistola, n. 2, sic de Massiliensibus hujus secundi generis perhibentis : « Novum et inutile esse [aiunt] praedicationi, quod quidam secundum propositum eligendi dicantur, ut id nec arripere valeant, nec tenere, *nisi credendi voluntate donata*. Excludi putant omnem praedicandi vigorem, *si nihil quod per eum excitetur in hominibus remansisse dicatur... Ceterum ad nullum* OPUS *vel incipiendum, nedum perficien-*

dum, quemquam sibi sufficere posse consentiunt : neque enim alicui OPERI *curationis eorum adnumerandum putant, exterrita et supplici voluntate unumquemque aegrotum velle sanari.* Quod enim dicitur : Crede, et salvus eris, unum horum exigi asserunt, aliud offerri ; *ut propter id quod exigitur, si redditum fuerit, id quod offertur deinceps tribuatur.* »

Solutio secundi argumenti ab adversariis inducti.

127. *Ad secundum argumentum* RESPONDETUR, praedestinationem in libro de Correptione et gratia ab Augustino assertam, de qua agit Prosper in numero illo 3° suae epistolae ad Augustinum ab adversariis adducto, non esse praedestinationem ad gloriam seorsum, sed praedestinationem completam simul ad gratiam et ad gloriam. Patet veritas hujus responsionis — tum *a)* ex verbis insequentibus Prosperi, qui videlicet numero 3° suae epistolae, mox post verba ab adversariis adducta, diserte testatur Massilienses, eo quod praedestinationem ab Augustino assertam negarent, consequenter etiam negasse « gratia Dei praeveniri electorum merita, » — tum 2° ex relatione Hilarii, qui verbis supra citatis ex numero secundo ejus ad Augustinum epistolae asserit eo nomine praedestinationem Augustinianam fuisse Massiliensibus odiosam quod per eam perhiberetur « ipsa fides donari, » — tum 3° ex Fausto Regiensi, cujus verba praecipua omittunt citare adversarii. Sic scilicet in libro I de Gratia et libero arbitrio, capite illo quarto ab adversariis citato, loquitur is Semipelagianismi defensor de praedestinatione Augustiniana : « Intra *gratiae* vocabulum absconditum erit fatale decretum. » Et ejusdem libri capite tertio, ubi incipit disputationem instituere contra praedestinationem Augustinianam : « Nunc veniendum est, inquit, ad illos [h. e. ad Augustinum ejusque discipulos] qui dum gratiam aliis dari, aliis negari asserunt, *munus gratiae* cum Pelagio perdiderunt. » Ex quibus ejus verbis perspicue elucet ipsum aliosque Massilienses probe intellexisse gratuitam praedestinationem, qualis haec ab Augustino asserebatur, esse praedestinationem simul ad gratiam et ad gloriam.

Hinc facile evacuatur tota adversariorum argumentatio. Dicendum est scilicet idcirco definitionem praedestinationis quam defendebat Augustinus, fuisse Massiliensibus odiosam, quia per eam asserebatur praedestinationem completam ad

gratiam simul et ad gloriam non esse ex praevisis meritis naturalibus, sed prorsus gratuitam.

Nec valet prima ratio in oppositum facta ab adversariis. In praedestinationem quippe completam apprime quadrant omnes characteres praedestinationis Augustinianae a Prospero in sua epistola recensiti. Nam α) ea est ratio tum efficacis vocationis tum ceterorum beneficiorum quae electis in tempore conferuntur, et β) eadem, utpote pure gratuita, profluxit ex mero beneplacito Dei, et γ) ea praevenit omnem humanam voluntatem omneque meritum. — Quod vero addunt ex Prospero adversarii δ) praedestinationem Augustinianam esse hujusmodi ut neque rejectus ulla sua industria possit intrare neque electus ulla sua incuria excidere, hoc non refertur a Prospero uti character praedestinationis Augustinianae, sed uti objectio Massiliensium. Hi videlicet falso arbitrabantur hoc esse consequens ex eo quod secundum Augustinum sine ullo respectu ad industriam vel ad incuriam quae totalem effectum praedestinationis praecedat, facta sit per praedestinationem discretio eligendorum ac rejiciendorum.

Neque etiam valet secunda ratio in oppositum facta ab adversariis. Nam *a*) uti patet ex Fausto Regiensi, de Gratia et libero arbitrio, libro I, capitibus 3 et 4, libro II, capite 6, et vel ex ipsis verbis Prosperi, quas objectiones movebant Massilienses contra doctrinam Augustini de gratuita praedestinatione, easdem movebant etiam contra doctrinam sancti Doctoris de gratia omnia merita humana praeveniente. Unde Faustus ait sub nomine gratuitae gratiae ab Augustino defensae abscondi « fatale decretum. » Quocirca *b*) omnes hae objectiones non procedunt contra gratuitam praedestinationem ab Augustino assertam, nisi supposita praejudicata illa opinione qua laborabant Massilienses, libertatem scilicet tolli omnibusque non praedestinatis viam ad salutem intercludi, nisi dicatur *collationem primae gratiae* pendere a merito naturali praecedente.

CAPUT XI.

Num privata saltem sententia s. Augustinus docuerit praedestinationem gloriae seorsum sumptae esse pure gratuitam.

—

Quaedam attendenda ne erretur in indaganda privata Augustini sententia de ordine inter praescientiam meritorum et electionem ad gloriam :

128. Uti, exponendo controversiam quae de mente sancti Augustini super praedestinatione agitatur, jam supra, capite IX, praefati sumus, sunt inter assertores antecedentis praedestinationis qui cum Bellarmino (De gratia et libero arbitrio, libro II, capite 15) et Suarez (De praedestinatione, libro I, cap. 8; De auxiliis, libro III, capp. 16 et 17), eatenus solum pro hac sua assertione ad auctoritatem s. Augustini provocant, quatenus autumant s. Doctorem *privata sententia* tenuisse ac docuisse gloriam praedestinari ante praevisa merita gratiae. In qua sua opinatione, uti ibidem monuimus, habent sibi consentientem Petavium (De Deo, libro IX, capp. 6 et seqq), qui ceteroquin nobiscum defendit sententiam de praedestinatione gloriae post praevisa merita gratiae (ibidem, libro X, capp. 1 et seqq.). Et sane sunt multa in Augustino quae, si non considerentur ejus scopus et modus loquendi ei proprius, huic opinioni omnino favere videntur. Quamobrem ad solvendam perdifficilem quaestionem quae in praesentiarum tractanda venit, praemittendae sunt nonnullae animadversiones quae genuinae Augustini menti introspiciendae facem praeferant.

1. Hanc ejus privatam sententiam non esse colligendam ex characteribus gratuitae praedestinationis data opera ab

129. *Animadvertendum est* igitur 1° fieri profecto potuisse ut Augustinus, defendendo contra Pelagianos ac Semipelagianos gratuitam praedestinationem gratiae, vel incidenter assereret vel ipsa forma quorumdam suorum argumentorum insinuaret quaenam sibi mente haereret sententia de ordine inter praescientiam meritorum gratiae et praedestinationem gloriae. Quare si, uti opinantur adversarii, ipsi in hac

re se probabat sententia nostrae contraria, nihil sane obstat quominus in suis operibus contra Pelagianos ac Semipelagianos conscriptis, ipse simul cum gratuita praedestinatione gratiae docuerit praedicta ratione gratuitam praedestinationem gloriae. Illud tamen oportet ratum fixumque manere, s. Augustinum in sua controversia cum Pelagianis ac Semipelagianis non aliam *data opera* docuisse gratuitam praedestinationem praeter solam gratuitam praedestinationem gratiae. Proindeque ea cautio hic praescribitur adversariis quibuscum in praesentiarum nobis res est, ut ne pro conclusione a se intenta arguant ex characteribus illius praedestinationis quam veluti fide certam s. Augustinus data opera contra Pelagianos propugnat. Nam si tali ratione argumentandi uterentur, jam cogerentur sentire cum auctoribus quos duobus capitibus superioribus refutavimus. Ad quod non satis attendit Petavius, qui in discutienda privata s. Augustini sententia plurima argumenta attulit ex indole illius praedestinationis cujus professionem veluti in fide Ecclesiae catholicae contentam s. Augustinus a suis adversariis omnino postulat.

eo defensae, sed vel ex iis quae de ea incidenter asserit vel ex forma argumentorum quibus ad eam probandam utitur.

130. *Animadvertendum est* 2° Augustino non aliam fuisse notam «praedestinationem,» praeter *praedestinationem solius gratiae*. Quod quidem probari potest innumeris sancti Doctoris testimoniis quae passim occurrunt in ejus operibus de Praedestinatione sanctorum et de Dono perseverantiae. Sufficiant sequentia. De praedestinatione sanct., n. 19 : « Inter gratiam porro et praedestinationem HOC TANTUM INTEREST, quod praedestinatio est gratiae praeparatio, gratia vero jam est ipsa donatio. » Et ibidem, paulo posterius, in eo quod ait Apostolus : *In operibus bonis*, QUAE PRAEPARAVIT DEUS ut in illis ambulemus,« Praedestinatio est,» ait s. Augustinus. Et iterum : « Quocirca praedestinatio Dei, quae in bono est, gratiae est, ut dixi, praeparatio, gratia vero est hujus praedestinationis effectus. » De dono perseverantiae, n. 15 : « Deus convertit ad fidem... Deus donat perseverantiam usque in finem. Haec Deus facturum se esse praescivit. *Ipsa est praedestinatio sanctorum* » [h. e. completa]. Quumque Massilienses, numero 34, opposuissent « praedestinationis definitionem utilitati praedicationis adversam, » respondet Augustinus, numero 35 : « An quisquam dicere

2. Augustino non fuisse notam nisi praedestinationem solius gratiae, proindeque ex eo quod ipse sentit omnem praedestinationem esse gratuitam, non posse colligi praedestinationem ad gloriam seorsum esse ex ejus mente gratuitam.

audebit Deum non praescisse quibus daturus esset *ut crederent*, aut quos daturus esset Filio suo ut ex eis non perderet quemquam? Quae utique si praescivit, profecto beneficia sua, quibus nos dignatur liberare, praescivit. Haec est praedestinatio sanctorum, NIHIL ALIUD : praescientia scilicet et praeparatio beneficiorum Dei quibus certissime liberantur quicumque liberantur. Ceteri autem ubi nisi in massa perditionis justo divino judicio relinquuntur?... Dei altiore judicio non sunt a perditionis massa *gratiae praedestinatione* discreti. » Et iterum, in eodem opere, n. 41 : « Ista igitur sua dona [fidem, obedientiam, charitatem, perseverantiam usque in finem], quibuscumque Deus donat, procul dubio se donaturum esse praescivit, et in sua praescientia praeparavit... In sua quae falli mutarique non potest praescientia, opera sua futura [h. e. fidem et alia supra dicta] disponere, ID OMNINO, NEC ALIUD QUIDQUAM EST PRAEDESTINARE. » Et iterum ibidem, n. 53 : « Omnia itaque Dei dona [h. e. ab initio fidei usque ad perseverantiam inclusive]... quis non dicam negare sed dubitare saltem audeat Deum daturum se esse praescisse, et quibus daturus fuerat, nunquam potuisse nescire? *Haec est praedestinatio manifesta et certa sanctorum.* »

Tali porro suo usu loquendi s. Augustinus severius sane inhaesit proprietati verborum quam recentiores qui solent distinguere inter praedestinationem gratiae et praedestinationem solius gloriae. Est enim praedestinatio pars providentiae ; quocirca, sicut providentia praesupponit quidem intentionem finis, verum ipsa non est de fine sed de mediis ad finem ; sic etiam praedestinatio praesupponit quidem intentionem gloriae, verum ipsa non est nisi de mediis gloriae, h. e. de gratia. Hinc apparet frustra esse adversarios, quum eam quam s. Augustinus vocat « praedestinationem in regnum et gloriam » (de Dono perseverant, nn. 57, 58, 61) et « ordinationem ad regnandum cum Christo » (de Corrept. et gratia, nn. 10, 14) interpretantur de praedestinatione gloriae seorsum sumptae.

3. Praedestinationem sanctorum vocari ab Augustino

131. *Animadvertendum est* 3° praedestinationem gratiae, quam solam cognovit s. Augustinus, si minus signate saltem exercite duplicem ab eodem distingui, *praedestinationem* scilicet *secundum quid* sive *incompletam* (de Praedest.

sanct., n. 19), quae saltem praecisione mentis non se extendat usque ad perseverantiam finalem, et *praedestinationem simpliciter* sive *completam*, quae, praeter vocationem ac justificationem, ipsam etiam gratiam perseverantiae finalis objective complectatur. Unde proprius effectus talis praedestinationis completae est ipsi *vocatio immobiliter perdurans*, de qua vocatione (de Praedest. sanct., n. 33 et alibi) interpretatur textum Apostoli in Epistola ad Romanos, XI, 29 : « Sine poenitentia sunt dona et vocatio Dei. » Et quidem de hac altera praedestinatione, h. e. de completa illa, tantum non unice agit, quando contra Pelagianos ac Semipelagianos de praedestinatione disputat. Hoc enim postulabat scopus controversiae, quae, quantum attinet ad praedestinationem, haec ei erat cum Pelagianis ac Semipelagianis, utrum scilicet discretio eligendorum a rejiciendis sit facta radicitus ex praevisis meritis naturalibus, an vero ea *in prima sua radice* spectata sit prorsus gratuita. Vocat autem praedestinationem hanc completam gratiae *praedestinationem sanctorum*, vel etiam, accepto genere pro specie nobiliore, simpliciter et sine addito *praedestinationem*. De ea etiam sola intelligendus est loqui, quotiescumque nominat *praedestinationem ad regnum* vel *praedestinationem ad vitam aeternam*, vel quoties alias hisce similes locutiones adhibet ad connotandum finem gloriae in quem praedestinatus dirigitur. Et ratio cur tali sensu accipiendae sint praedictae ejus locutiones manifesta est : praedestinatio enim secundum omne id quod vel dicit in recto vel connotat in obliquo importat voluntatem Dei absolutam atque efficacem.

praedestinationem ad regnum, non quod descendat ex antecedente electione ad gloriam, sed quod sit praedestinatio completa gratiae.

132. *Animadvertendum est* 4° nomine «propositi,» quam vocem semper usurpat s. Augustinus de solis electis, venire ex ejus usu *completam praedestinationem gratiae*, non vero, quae est falsa adversariorum interpretatio, *intentionem antecedentem atque absolutam dandi gloriam*. Quodsi quandoque penes usum s. Doctoris aliqualiter distinguatur inter haec duo quae sunt praedestinatio et propositum, differentia est solummodo in eo quod *propositum* dicit solum actum voluntatis divinae inclusum in praedestinatione, praedestinatio vero importat de formali actum intellectus divini. Probari haec possunt ex innumeris s. Augustini testimoniis. Adduxisse sufficiat sequentia. Libro de Corre-

4. « Propositum » illud secundum quod s. Augustinus ponit electos peculiariter vocatos esse, non esse ex ejus mente antecedentem electionem ad gloriam, sed praedestinationem completam gratiae.

ptione et gratia, n. 23 : « Ostendens Apostolus *quid sit secundum propositum vocari*, mox addidit ea quae jam supra posui : quoniam quos ante praescivit, *eos et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui*, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. *Quos autem praedestinavit, illos et vocavit*, scilicet secundum propositum. » De Praedest. sanct., n. 32 : « Sic enim ait Apostolus : Ipsis autem vocatis, ut illos [justos non perseveraturos] ostenderet non vocatos : sciens esse quamdam certam vocationem eorum qui secundum propositum vocati sunt, *quos ante praescivit et praedestinavit conformes imaginis Filii sui.* »

Disputationis hic habendae ad artiores terminos reductio.

133. Hinc quaestio quae hic tractanda venit, ad hosce tandem terminos reducitur : Utrum absoluta intentio dandi gloriam quam in obliquo connotant praedestinatio sanctorum, sive propositum, antecedat ex mente s. Augustini omnem omnino praevisionem meritorum gratiae, an vero ipsa aliquo modo consequatur praevisionem meritorum gratiae. Sive aliis verbis, quaeritur hic utrum absoluta Dei intentio dandi gloriam, quam in obliquo connotant praedestinatio sanctorum, praedestinatio ad regnum et propositum, pertineat ex mente s. Augustini ad voluntatem Dei antecedentem, an vero ad voluntatem Dei consequentem. Si de primo constiterit, consequens fuerit ex mente s. Augustini gratiam ac gloriam diverso ordine praeparari in aeternitate atque in tempore conferuntur; quae adversariorum est sententia. Si vero de secundo constiterit, consequens fuerit ex mente s. Augustini eumdem esse ordinem gratiae ac gloriae in aeterna Dei praeparatione atque in temporali earumdem collatione, quae est sententia quam ut probabiliorem hic defendimus.

Omnia vero adversariorum argumenta quibus termini quaestionis, qualis haec modo definita est, transiliuntur, jam in antecessum praeviis nostris animadversionibus disjecta relinquuntur.

Propositio.

Nulla suppetunt argumenta ad persuadendum idonea s. Augustinum privata saltem sententia tenuisse ac docuisse gloriam praedestinari antecedenter ad merita gratiae ; immo longe probabilius statuitur juxta s. Doctorem eumdem esse ordinem donorum Dei in praedestinatione atque in executione.

134. PROBATUR PRIMA PARS, refellendo praecipua adversariorum argumenta. Varia Augustini testimonia de electorum vocatione secundum propositum.

Primum eorum argumentum ducitur ex eo quod juxta s. Augustinum omnes et soli electi sunt *vocati secundum propositum*, uti accipitur ex libris de Praedest. sanct., nn. 32-37, de Dono persev., n. 21, et de Correptione et gratia, nn. 13-16. En locum ex libro de Praedest. sanct. : « Vocat enim Deus praedestinatos multos filios suos, ut eos faciat membra praedestinati unici Filii sui, non ea vocatione qua vocati sunt et qui noluerunt venire ad nuptias: illa quippe vocatione et Judaei vocati sunt, quibus Christus crucifixus scandalum est, et gentes, quibus crucifixus stultitia est : sed ea vocatione praedestinatos vocat quam distinxit Apostolus dicens, ipsis vocatis Judaeis et Graecis praedicare se Christum Dei virtutem et Dei sapientiam. Sic enim ait : *Ipsis autem vocatis*, ut illos ostenderet non vocatos, *sciens esse quamdam certam vocationem eorum qui secundum propositum vocati sunt*, quos ante praescivit et praedestinavit conformes imaginis Filii sui.Quam vocationem significans ait : Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei : quia major serviet minori. Numquid ait, *non ex operibus*, *sed ex credente?* Prorsus etiam hoc abstulit homini, ut totum daret Deo. Dixit ergo : sed ex vocante : non quacumque vocatione, sed qua vocatione fit credens. Hanc intuebatur etiam, quum diceret : *Sine poenitentia sunt dona et vocatio Dei*... Id est, sine mutatione stabiliter fixa sunt. Ad hanc vocationem qui pertinent, omnes sunt docibiles Dei : nec potest eorum quisquam dicere : Credidi, ut sic vocarer; praevenit eum quippe misericordia Dei, quia sic est vocatus ut crederet. Omnes enim docibiles Dei veniunt ad Filium, quoniam audierunt et didicerunt a Patre per Filium, qui evidentissime dicit : Omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me. Istorum

autem nemo perit, quia omne quod dedit ei Pater, non perdet ex eo quidquam. Quisquis ergo inde est, omnino non perit : nec erat inde qui perit. Propter quod dictum est : Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum... Quos enim praedestinavit, ipsos et vocavit, illa scilicet vocatione secundum propositum : non ergo alios, sed quos praedestinavit, ipsos et vocavit : nec alios, sed quos ita vocavit, ipsos et justificavit : nec alios, sed quos praedestinavit, vocavit, justificavit, ipsos et glorificavit, illo utique fine qui non habet finem... Fecit autem hoc secundum placitum voluntatis suae, ut nemo de sua sed de illius erga se voluntate glorietur : fecit hoc secundum divitias gratiae suae, secundum bonam voluntatem suam, quam proposuit in dilecto Filio suo, in quo sortem consecuti sumus, praedestinati secundum propositum, non nostrum sed ejus qui universa operatur, usque adeo ut ipse in nobis operetur et velle. Operatur autem secundum consilium voluntatis suae, ut simus in laudem gloriae ejus. Hinc est quod clamamus ut nemo glorietur in homine, ac per hoc nec in se ipso; sed qui gloriatur, in Domino glorietur, ut simus in laudem gloriae ejus. Ipse quippe operatur secundum propositum voluntatis suae, ut simus in laudem gloriae ejus, utique sancti et immaculati, propter quod nos vocavit, praedestinans ante mundi constitutionem. Ex hoc proposito ejus est illa *electorum propria vocatio*, quibus omnia cooperantur in bonum, *quia secundum propositum vocati sunt, et sine poenitentia sunt dona ac vocatio Dei.* »

Argumentum quod inde conficiunt adversarii.

135. Hinc adversarii tale conficiunt argumentum : Juxta s. Augustinum *vocari secundum propositum* convenit omnibus ac solis electis; proindeque juxta ipsum vocatio electorum procedit tamquam effectus ex gratuito aliquo atque absoluto proposito quod Deus habet circa solos electos. Atqui gratuitum atque absolutum propositum quod pertineat ad solos electos cujusque effectus sit vocatio, nequit esse nisi antecedens electio ad gloriam. Quod *primo* quidem patet via exclusionis. Non enim potest dici tale propositum esse electio ad gloriam quae sit consequens, quia ejusmodi electio, propter hoc ipsum quod ponitur esse consequens, ponitur procedere ex praeviso effectu vocationis atque ceterarum gratiarum quae in ordine executionis gloriam praecedunt;

proindeque ipsa non potest esse causa vocationis, quia contradictorium est dicere propositum ex quo tamquam effectu procedat vocatio, esse aliquid quod hunc effectum vocationis jam praesupponat. Neque etiam dici potest praedictum propositum esse praedestinationem completam gratiae quae non descendat ex antecedente electione ad gloriam, quia et ejusmodi praedestinatio completa gratiae, propter hoc ipsum quod supponitur non procedere ex antecedente electione ad gloriam, ponitur non nancisci rationem praedestinationis completae per praedestinationem ultimae gratiae, nisi dependenter a praeviso effectu vocationis atque aliarum gratiarum ultimam gratiam praecedentium. Idem patet *secundo* ex eo quod in testimonio citato s. Augustinus expressis verbis edicit electos non solum vocari secundum propositum, sed etiam praedestinari secundum idem propositum. « Praedestinati, inquit, secundum propositum non nostrum, sed ejus. » Inde videlicet est manifeste consequens propositum de quo loquitur s. Doctor, esse antecedentem electionem ad gloriam ; non enim ex alio proposito quod pertineat ad solos electos, possibile est procedere ipsammet praedestinationem gratiae.

136. Respondetur *concedendo Majorem*, sed *negando Minorem*. *Ad primam probationem Minoris*, transmisso (non vero simpliciter concesso) propositum de quo loquitur s. Augustinus, non posse esse secundum aliquem considerationis modum electionem ad gloriam quae sit consequens, *simpliciter negatur* idem propositum non posse esse ex ejus mente praedestinationem completam gratiae. Ratio vero qua talis ejus verborum interpretatio excludi intenditur, *sic distinguitur* : In nostra sententia ad praedestinationem ultimae gratiae, ex qua praedestinatione praedestinatio completa ultimato nanciscitur rationem praedestinationis completae, praesupponitur praevisio vocationis efficacis, secundum quod haec accipitur solummodo pro primo effectu praedestinationis, *Conc.* Secundum quod haec accipitur pro vocatione immutabiliter perseverante, et sic pro *totali effectu praedestinationis*, cujusmodi est vocatio quam s. Augustinus vocat vocationem secundum propositum, *Neg.* Notandum est videlicet « vocationem secundum propositum » esse juxta s. Augustinum vocationem sine poenitentia, hanc autem ab

Ejus dilutio.

ipso explicari esse *vocationem sine mutatione sitabliter fixam*. Cujusmodi certe vocatio complectitur totalem effectum praedestinationis gratiae, proindeque ea nequit provenire ex praedestinatione gratiae, nisi prouti est ultimato completa.

Ad secundam probationem Minoris dici posset, etiamsi verum esset id quod assumunt adversarii, nempe s. Augustinum hac appellatione complexa : *praedestinati secundum propositum*, significare praedestinationem niti in proposito aliquo Dei quod sit prius quam praedestinatio, non tamen inde esse consequens hoc propositum ex ejus mente esse antecedentem electionem ad gloriam. Dici enim posset electos ab eo vocari praedestinatos secundum propositum, quia ex ejus mente propositum est *actus voluntatis praeparantis gratiam*, praedestinatio vero sequens propositum eidemque innixa est absoluta praescientia seu potius practica ordinatio ab intellectu divino intimata quam de formali importat haec vox praedestinationis. At vero nihil opus est tali responsione: revera enim loco citato nullum prorsus discrimen interponitur ab Augustino inter propositum et praedestinationem. Verborum quippe objectorum, si in contextu considerentur, hic apparet esse genuinus sensus : Quod nobis competat denominatio *praedestinatorum*, hujus causa unica est gratuita voluntas Dei praedestinantis, non vero aliqua nostra voluntas quae Deum moverit ad nos praedestinandum. « *Praedestinati*, inquit, secundum propositum *non nostrum*, *sed ejus*, qui universa operatur, usque adeo *ut ipse in nobis operetur et velle.* » Unde paulo superius vocatos secundum propositum Augustinus dixerat esse eos quos ante vocationem *Deus praescivit ac praedestinavit*.

Testimonium Augustini de gratuitate illius electionis quam Pelagius asserebat esse ex meritis.

137. **Secundum argumentum** accipitur ex libro de Praedest. sanct., n. 36 ; qui locus sic habet : « Praesciebat ergo Deus, ait Pelagius, qui futuri essent sancti et immaculati per liberae voluntatis arbitrium : et ideo eos ante mundi constitutionem in ipsa sua praescientia qua tales futuros esse praescivit, elegit. Elegit ergo, inquit, antequam essent, praedestinans filios, quos futuros sanctos immaculatosque praescivit : utique ipse non fecit, nec se facturum, sed illos futuros esse praevidit. Intueamur ergo verba Apostoli, atque videamus utrum propterea nos elegerit ante mundi constitutionem, quia sancti et immaculati futuri era-

mus, an ut essemus. Benedictus, inquit, Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in coelestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ut essemus sancti et immaculati. Non ergo quia futuri eramus, sed ut essemus. Nempe certum est, nempe manifestum est : ideo quippe tales futuri eramus, quia elegit ipse, praedestinans ut tales per gratiam ejus essemus. »

Argumentum quod inde conficiunt adversarii.

138. Hinc tale conficiunt argumentum adversarii. Electio quam hic s. Augustinus affirmat esse gratuitam, est eadem de qua Pelagius affirmabat eam esse ex meritis. Atqui electio quam Pelagius affirmabat esse ex meritis, est electio ad solam gloriam. Ergo electio quam s. Augustinus affirmat esse gratuitam est electio ad gloriam seorsum, ex qua proinde tamquam priore profluxerit electio atque praedestinatio gratiae.

Majorem hujus argumenti aiunt patescere ex eo quod si electio cujus gratuitatem demonstrat Augustinus, non esset eadem atque ea de qua loquebatur Pelagius, ipse esset ineptus ratiocinator, quippe qui ad refellendum Pelagium affirmaret de uno id quod Pelagius negabat de altero. Minorem vero probant ex eo quod Pelagius loquebatur de electione ac praedestinatione quae facta sit consequenter ad praevisam nostram sanctitatem ; de tali enim electione manifestum esse eam non posse esse aliam quam electionem ad gloriam seorsum. Ita inter alios Petavius, de Praedestinatione, libro IX, cap. 6.

Ejus dilutio.

139. Respondetur, *sic distinguendo Majorem argumenti facti* : Electio quam s. Augustinus affirmat esse gratuitam, est eatenus eadem electio quam Pelagius affirmabat esse ex meritis, quatenus uterque, tum Augustinus scilicet tum Pelagius, loquebantur de totali Dei electione, *Conc. Maj.* Quatenus uterque idem sentiebat de objectiva amplitudine hujus totalis Dei electionis, *Neg. Maj.*, et, *concessa Minore, nego consequens.* Ad probationem factam pro Majore dicitur Augustinum fore quidem ineptum disputatorem, si quoad id *de quo* ei erat controversia cum Pelagio, de alio concluderet atque Pelagius, non vero si quoad id *quod* controvertebatur cum Pelagio, aliud concluderet atque Pelagius. Quare, quia in nostra interpretatione non prius

horum, sed solummodo posterius verificatur, ratio qua hanc nostram interpretationem absurditatis arguere nituntur adversarii, est invalida.

Sciendum est videlicet quaestionem quam loco citato disputat Augustinus, hanc fuisse, utrum, uti affirmabat Pelagius, omnia merita quibus acquiritur gloria, sint opera nostra, non vero opera Dei, et sic sola collatio gloriae sit opus Dei, et propter hoc praedestinatio sive electio totaliter sumpta sit ex meritis; an vero, uti affirmabat Augustinus, omnia omnino merita, quibus acquiritur gloria, sint merita gratiae, et sic haec ipsa merita sint opera Dei, et propter hoc praedestinatio sive electio totaliter sumpta sit prorsus gratuita. Talem fuisse statum quaestionis patet manifeste ex verbis adductis : « Elegit Deus, inquit Pelagius, quos futuros sanctos immaculatosque praescivit. *Utique ipse non fecit, nec se facturum, sed illos futuros esse praevidit.* » En, nulla omnino fuisset Augustino controversia cum Pelagio, si haec ipsa merita, propter quae dicebat Pelagius nos eligi ad gloriam, ipse confessus fuisset esse *opera Dei*. Unde pergit Augustinus, sic proponendo quaestionem : « Intueamur ergo verba Apostoli, atque videamus utrum propterea nos elegerit, quia sancti et immaculati futuri eramus, *an ut essemus.* » Hoc est, videamus an ipsa haec sanctitas sit objectum electionis et sic electio adaequate sumpta sit gratuita.— Sane, quomodo Augustinus esset ineptus disputator, quando sic disputat contra Pelagium : Fatearis electionem totaliter sumptam esse gratuitam, quandoquidem omnia haec, ex quibus tu dicis praedictam electionem processisse, sunt effectus hujus electionis et sic non possunt esse ejus causa ?

Varia Augustini testimonia de invincibilitate voluntatis qua Deus vult salutem electorum.

140. Tertium argumentum accipitur ex libro de Correptione et gratia, nn. 43, 44, 45; ex libro I contra Julianum, cap. 8; ex epistola 216; ex Civitate Dei, libro XIII, c. 23; et ex Enchiridio, cap. 103. En locum ex libro de Correptione et gratia : « Quum autem homines per correptionem in viam justitiae seu veniunt seu revertuntur, *quis operatur in cordibus eorum salutem*, nisi ille qui, quolibet plantante atque rigante, et quolibet in agris vel arbustulis operante, dat incrementum Deus; cui volenti salvum facere nullum hominum resistit arbitrium ? Sic enim velle seu nolle in volentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat,

nec superet potestatem. Etiam de his enim qui faciunt quae non vult, facit ipse quae vult. Et quod scriptum est, quod vult omnes homines salvos fieri, nec tamen omnes salvi fiunt, multis quidem modis intelligi potest, ex quibus in aliis opusculis nostris aliquos commemoravimus, sed hic unum dicam. Ita dictum est : Omnes homines vult salvos fieri, ut intelligantur omnes praedestinati, quia omne genus hominum in eis est... Non est itaque dubitandum voluntati Dei, qui in coelis et in terra omnia quaecumque voluit fecit, et qui etiam illa quae futura sunt fecit, humanas voluntates non posse resistere, quominus faciat ipse quod vult : quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus quod vult, quum vult, facit. Nisi forte, (ut ex multis aliqua commemorem) quando Deus voluit Sauli regnum dare, sic erat in potestate Israelitarum subdere se memorato viro, sive non subdere, quod utique in eorum erat positum voluntate, ut etiam Deo valerent resistere. Qui tamen hoc non fecit nisi per ipsorum hominum voluntates, sine dubio habens humanorum cordium, quo placeret, inclinandorum omnipotentissimam potestatem. » Ac subinde illustrat hoc s. Augustinus etiam exemplo Davidis, quem quum Deus vellet constituere regem, id perfecit per voluntates Judaeorum.

Argumentum quod inde conficiunt adversarii.

141. Hinc tale conficiunt argumentum : Quoquo modo explicari velit sententia Augustini asserentis Deum non velle omnes homines salvos fieri atque idcirco contendentis testimonium Apostoli 1 Tim. II, 4, pertinere ad solos praedestinatos, illud certe ex hac ejus sententia evidentissime claret, ex mente scilicet ipsius Deum longe disparem habere voluntatem salutis erga praedestinatos atque erga reprobos. Nam hanc suam sententiam exponens, asserit voluntatem qua Deus vult salutem electorum, esse invincibilem, h. e. talem cui voluntas humana resistere non possit, sed quam Deus per ipsas hominum voluntates infallibiliter exsequatur. Ex quo est utique consequens secundum ipsum Deum non modo absoluta voluntate velle salutem electorum, sed etiam ex absoluta hac voluntate eorum salutis et ejus implendae causa eum moveri ad decernendum electis gratias efficaces. Quia ergo absoluta voluntas salutis ex qua Deus moveatur ad dandum electis gratias efficaces, est voluntas antecedens praevisionem meritorum, manifestum est ex

mente s. Augustini praedestinationem gloriae seorsum sumptae esse antecedentem. Ita Petavius, de Praedestinatione, l, IX, c. 6, n. 6, et c. 7 nn. 2, 9-13.

Ejus dilutio.

142. RESPONDETUR, *distinguendo Antecedens* hoc modo : Juxta s. Augustinum voluntas quam Deus habet de salute praedestinatorum, est per hoc diversa a voluntate quam idem Deus habet de salute reproborum, quod circa praedestinatos haec ejus voluntas salutis est consequenter absoluta, circa reprobos vero ea nullo modo est absoluta, *Conc. Antec.* Secundum s. Doctorem eo Dei voluntas aliter fertur in salutem praedestinatorum atque in salutem reproborum, quod circa salutem praedestinatorum Dei voluntas est antecedenter absoluta, circa salutem vero solorum reproborum ea antecedenter est mere conditionata, *Neg. Antec.*, ideoque *neg. tam primum quam secundum Consequens.* Ad rationem additam pro Antecedente sensu adversariorum intellecto conceditur quidem locis citatis agi a s. Augustino de voluntate salutis quae sit voluntas Omnipotentis, cui resisti nequeat, h. e. de voluntate salutis absoluta et efficaci; sed negatur ex eo quod ea voluntas ponitur a s. Doctore esse irresistibilis, concludi posse ex ejus mente eam omnimodis antecedere praevisionem bonorum operum. Nam, etiamsi haec voluntas consequatur praevisionem bonorum operum, ea propter hoc ipsum erit irresistibilis quod voluntas qua Deus vult fieri bona opera, est irresistibilis.

Instantia contra solutionem modo datam.

143. Sed contra talem responsionem INSTATUR ab adversariis hunc in modum : Juxta s. Augustinum quo modo voluntas qua Deus Saulem destinavit ad regnandum, vinci non potuit per voluntates Israelitarum, sic eodem plane modo voluntas qua Deus vult salvare suos electos, nequit vinci per voluntates electorum. Atqui, uti loco citato diserte explicat s. Doctor, non per hoc quod Deus consequenter ad praevisas voluntates Israelitarum de eligendo Saulem in regem destinavit et ipse Saulem ad regnandum, sed contra, per hoc quod Deus ex antecedente atque absoluto decreto extollendi Saulem ad regnum voluntates Israelitarum efficaciter movit ad volendum Saulem in regem, voluntas Dei de evehendo Saulem ad regnum vinci non potuit per voluntates Israelitarum. Ergo secundum s. Augustinum non per hoc quod Deus consequenter ad praevisas electorum voluntates

suam salutem operandi, vult et ipse electos salvare, sed contra, per hoc quod Deus ex antecedente atque absoluto decreto salvandi electos movet electos ad volendum suam salutem, voluntas Dei de salvandis electis vinci nequit. Et *confirmatur hoc argumentum* ex eo quod Augustinus loco citato vult ostendere unde fiat ut voluntas qua Deus vult salutem electorum, sit invincibilis atque irresistibilis. Ridiculum enim foret dicere propterea voluntatem Dei esse invincibilem atque irresistibilem, quia Deus voluntatem suam conformat voluntati eorum qui dicuntur ei resistere non posse. Quod enim dicitur esse invincibile et irresistibile, id oportet ut praecedat operationem illius respectu cujus dicitur esse invincibile et irresistibile. Proindeque non de voluntate absoluta salutis quae sit consequens, sed de voluntate absoluta salutis quae sit antecedens, loco citato agit s. Augustinus. Ita Petavius, de Praedestinatione, libro IX, c. 6.

144. Respondetur, *negando omnino Majorem*. Ratio negationis est quod voluntas Dei decernentis Sauli regnum et voluntas Dei decernentis electis salutem non comparantur inter se ab Augustino *quoad illum modum antecedentiae quem fingit Petavius*, sed solummodo quoad utriusque invincibilem efficacitatem. Immo nulla, proprie loquendo, instituitur loco citato ab Augustino comparatio inter utramque Dei voluntatem ; verum hanc suam propositionem particularem : « Deo volenti salvum facere nullum hominum resistit arbitrium, » ipse probat *hac propositione generali*, quod voluntas humana, licet sit libera, penitus tamen est subdita voluntati divinae, ita ut Deus, quidquid ipse vult, eam faciat velle. Hanc vero secundam suam propositionem jam *omnino generalem* probat s. Doctor exemplo illius voluntatis qua Deus regnum destinavit Sauli ; quam scilicet suam voluntatem Deus efficacissime exsecutus est per liberas voluntates Judaeorum. Unde ex hoc exemplo directe solummodo concludit s. Augustinus Deum per liberas nostras voluntates potentissime exsequi illam suam voluntatem *qua decrevit a nobis fieri opera salutis ;* inde vero concludit ulterius indirecte, tamquam aliquid scilicet quod cum hoc primo necessario connectitur, Deum per electorum voluntates potentissime perficere illam suam voluntatem qua ipsis destinat salutem. *Utrum vero praesuppositive an vero consecutive dumtaxat*

Ejus repulsio.

voluntas qua Deus electis destinat salutem, necessario cohaereat cum illa Dei voluntate qua Deus electis destinat bona opera, neque edicit s. Augustinus neque ex ejus ratiocinio eruere licet. Utrumvis enim horum dixeris, stat conclusio Augustini, ex eo scilicet quod vinci nequit ea Dei voluntas qua Deus praedestinat bona opera electorum, consequens esse ut neque vinci queat illa Dei voluntas qua Deus praedestinat salutem electorum. En verba conclusionis Augustini manifesto ostendentia nihil aliud ab eo intendi concludi nisi illud quod modo diximus : « Si ergo, quum voluerit reges in terra Deus constituere, magis habet in potestate voluntates hominum quam ipsi suas, quis alius facit *ut salubris sit correptio et fiat in correpti corde correctio*, ut coelesti constituatur in regno? »

Unde *ad confirmationem dicitur*, non sequi in nostra interpretatione illud absurdum quod ex ea infert Petavius. Licet enim voluntas qua Deus suis electis decernit salutem seorsum sumptam, praevisas bonas voluntates electorum non omnimodis praeveniat, sed aliquo modo sequatur; attamen voluntas qua Deus praedestinat unamquamque bonam voluntatem electorum, praevisionem hujus eorum bonae voluntatis omnino praevenit. Quare, si falli posset scientia Dei conditionata, qua dirigente, Deus praedestinavit bona opera electorum et si, per consequens, vinci posset voluntas Dei praedestinantis bona opera, procul dubio etiam vinceretur Dei voluntas qua consequenter ad bona opera praedestinata Deus ab aeterno suis electis dare gloriam decrevit. Quo sensu alibi Augustinus, de Correptione et gratia, n. 14 : « Horum si quisquam perit, inquit, *fallitur Deus* ; sed nemo eorum perit, *quia non fallitur Deus*. Horum si quisquam perit, *vitio humano vincitur Deus* ; sed nemo eorum perit, *quia nulla re vincitur Deus*. »

Varia Augustini testimonia de discretione solorum electorum a massa originalis damnationis.

145. Quartum Argumentum accipitur ex libro de Correptione et gratia, cap. 7, nn. 12-14, ex Enchiridio ad Laurentium, capitibus 98 et 99, ex libro de Dono perseverantiae, cap. 14, n. 35, ex ep. 186 ad Paulinum (alias 106) et ex ep. 194 ad Sixtum (alias 105). En locum ex libro de Corrept. et gratia : « Ac per hoc et qui evangelium non audierunt, et qui, eo audito, in melius commutati perseverantiam non acceperunt, et qui, evangelio audito, venire ad Christum,

hoc est, in eum credere noluerunt, quoniam ipse dixit : Nemo venit ad me, nisi ei datum fuerit a Patre meo (Jo. VI, 66), et qui per aetatem parvulam nec credere potuerunt, sed ab originali noxa solo possent lavacro regenerationis absolvi, quo tamen non accepto, mortui perierunt, *non sunt ab illa conspersione discreti quam constat esse damnatam, euntibus omnibus ex uno in condemnationem.* Discernuntur autem non meritis suis, sed per gratiam Salvatoris, hoc est, in sanguine secundi Adam justificati gratis. Itaque, quum audimus : Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem et accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis (I Cor. IV, 7)? ab illa perditionis massa quae facta est per primum Adam, debemus intelligere neminem posse discerni, nisi qui hoc donum habet, quisquis habet, quod gratia Salvatoris accepit. Hoc autem apostolicum testimonium tam magnum est, ut beatus Cyprianus ad Quirinum scribens, ipsum subjecerit illi titulo in quo ait, in nullo esse gloriandum, quando nostrum nihil sit. — *Quicumque ergo ab illa originali damnatione ista divinae gratiae largitate discreti sunt*, non est dubium quod et procuratur eis audiendum Evangelium ; et quum audiunt, credunt; et in fide, quae per dilectionem operatur, usque in finem perseverant; et si quando exorbitant, correpti emendantur ; et quidam eorum, etsi ab hominibus non corripiantur, in viam quam reliquerant redeunt; et nonnulli, accepta gratia in qualibet aetate, periculis hujus vitae mortis celeritate subtrahuntur. Haec enim omnia operatur in eis, qui vasa misericordiae operatus est eos, qui et elegit eos in Filio suo ante constitutionem mundi per electionem gratiae. Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia (Rom. XI, 6). Non enim sic sunt vocati ut non essent electi ; propter quod dictum est : Multi enim vocati, pauci vero electi (Matth. XX, 16) : sed quoniam secundum propositum vocati sunt, profecto et electi sunt, per electionem, ut dictum est, gratiae, non praecedentium meritorum suorum ; quia gratia illis est omne meritum. De talibus dicit Apostolus : Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt : quoniam quos ante praescivit, et praedestinavit conformes imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus : quos autem praedestinavit,

illos et vocavit; quos autem vocavit, ipsos et justificavit; quos autem justificavit, ipsos et glorificavit (Rom. VIII, 28-30). Ex istis nullus perit, quia omnes electi sunt. Electi sunt autem, quia secundum propositum vocati sunt : propositum autem, non suum, sed Dei; de quo alibi dicit, Ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei : quia major serviet minori (Ibid. IX, 11-13); et alibi : Non secundum opera nostra, inquit, sed secundum suum propositum et gratiam (2 Tim. I, 9). Quum ergo audimus : Quos autem praedestinavit, illos et vocavit; secundum propositum vocatos debemus agnoscere, quoniam inde coepit, dicens : Omnia cooperantur in bonum his qui secundum propositum vocati sunt; ac deinde subjunxit : Quoniam quos ante praescivit, et praedestinavit conformes imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus; atque, his praemissis, subdidit : Quos autem praedestinavit, illos et vocavit. Eos itaque vult intelligi quos secundum propositum vocavit, ne putentur in eis esse aliqui vocati et non electi, propter illam dominicam sententiam : Multi vocati, pauci electi. Quicumque enim electi, sine dubio etiam vocati : non autem quicumque vocati, consequenter electi. Illi ergo electi, ut saepe dictum est, qui secundum propositum vocati, qui etiam praedestinati atque praesciti. Horum si quisquam perit, fallitur Deus : sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus : sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus. Electi autem sunt ad regnandum cum Christo; non quomodo electus est Judas ad opus cui congruebat... Isti significati sunt ad Timotheum, ubi quum dictum fuisset, Hymenaeum et Philetum fidem quorumdam subvertere; mox additum est : Firmum autem fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc : Scivit Dominus qui sunt ejus (2 Tim. II, 9). Horum fides, quae per dilectionem operatur, profecto aut omnino non deficit, aut si qui sunt quorum deficit, reparatur antequam vita ista finiatur, et, deleta quae intercurrerat iniquitate, usque in finem perseverantia deputatur. Qui vero perseveraturi non sunt, ac sic a fide christiana et conversatione lapsuri sunt, ut tales eos vitae hujus finis inveniat; procul dubio nec illo tempore quo bene pieque vivunt, in istorum numero computandi sunt. *Non*

enim sunt a massa illa perditionis praescientia Dei et praedestinatione discreti; et ideo nec secundum propositum vocati, ac per hoc nec electi ; sed in eis vocati de quibus dictum est : Multi vocati ; non in eis de quibus dictum est : Pauci vero electi. Et tamen quis neget eos electos, quum credunt et baptizantur et secundum Deum vivunt? Plane dicuntur electi a nescientibus quid futuri sint, non ab illo qui eos novit non habere perseverantiam quae ad beatam vitam perducit electos, scitque illos ita stare, ut praescierit esse casuros. »

146. Hinc tale conficitur argumentum, qui est adversariorum Achilles : Auctor est s. Augustinus loco citato eorum qui discreti sunt a massa originalis damnationis, neminem perire; qui vero discreti non sunt, omnes perire; proindeque ex sententia s. Augustini discretio a massa originalis damnationis fit per electionem ad gloriam. Atqui ex sententia ejusdem Augustini, quam eodem loco citato disertissime inculcat, discretio a massa originalis damnationis non est ex ullis praecedentibus meritis, sed prorsus gratuita. Ergo juxta s. Augustinum etiam electio ad gloriam non est ex ullis praecedentibus meritis, sed prorsus gratuita. Argumentum quod inde conficiunt adversarii.

147. Respondetur *concedendo Antecedens*, *sed distinguendo primum Consequens* quod inde nectitur, hoc modo : Ergo ex sententia s. Augustini discretio a massa originalis damnationis fit primario per praedestinationem completam gratiae et consequenter per electionem ad gloriam, *Conc. Conseq.* Ex sententia s. Doctoris ea discretio fit primario per electionem ad gloriam seorsum, *Neg. Conseq.*, et, *concessa Minore quae sub primo Consequente subsumitur*, *sic distinguitur secundum Consequens* : Juxta s. Augustinum electio ad gloriam seorsum sumptam hoc sensu est gratuita quod non est ex ullis meritis naturalibus quodque proinde quoad primam suam radicem est gratuita, *Conc. Conseq.* Juxta s. Doctorem ea electio eo etiam sensu est gratuita quod non est ex ullis meritis gratiae, *Neg. Conseq.* Ejus dilutio.

Sicut ad veritatem eorum quae ex Augustino ab adversariis recitantur, sufficit, sic ex aliis quae addit Augustinus, perspicuum est ex ejus mente discretionem a massa originalis perditionis fieri primario *per completam praedestinationem gratiae.* « Non enim [sic s. Doctor in loco citato, loquens de non perseveraturis] sunt a massa illa perditionis

praescientia Dei et praedestinatione discreti. » Et in libro de Dono perseverantiae, n. 35 : « Si Dei altiore judicio non sunt a perditionis massa *gratiae praedestinatione discreti.* » In eodemque libro, ibidem, praedestinatio sanctorum quae, uti antea in perspicuo posuimus, est ex ejus mente praedestinatio completa gratiae, ita ab eo definitur ut per eam perhibeatur fieri liberatio a massa perditionis : « Haec est praedestinatio Sanctorum, inquit, nihil aliud : *praescientia ac praeparatio beneficiorum Dei quibus certissime liberantur quicumque liberantur.* » Unde in loco objecto ex libro de Correptione et gratia dicitur etiam haec discretio fieri *per gratiam Salvatoris nos justificantem*, *per largitatem gratiae divinae.* Et in Enchiridio, capite 98, dicitur discretio a massa originali pertinere ad *commendationem gratiae*, *ad impenetrabilem altitudinem gratiae.* Quod ibidem, capite 99, luculentissime edicitur hisce verbis : « *Sola enim gratia* redemptos discernit a perditis, quos in unam perditionis concreverat massam ab origine ducta causa communis. »

De electione vero, quatenus loco ab adversariis objecto aliquo modo importat absolutam intentionem *gloriae*, plane eodem modo atque in libro I ad Simplicianum, q. 2, asserit s. Augustinus eam esse ex praevisis meritis gratiae. De discretis enim per gratiae largitatem sic ibi loquitur : « Elegit eos in Filio suo ante constitutionem mundi *per electionem gratiae*... Quoniam enim secundum propositum vocati sunt, profecto et electi sunt, *per electionem*, *ut dictum est*, *gratiae*, *non praecedentium meritorum suorum*, *quia gratia illis est omne meritum.* » Quo loco electio vocatur ab Augustino *electio gratiae*, non solum quia gratia per eam primum datur, sed etiam quia, prouti aliquo modo importat absolutam intentionem gloriae, praesupponit circa electos praedestinationem gratiae ; diserte quippe significat s. Doctor ad talem electionem praesupponi in electis vocationem secundum propositum, h. e. hujus vocationis praescientiam. Sensus proinde verborum ejus talis est : gratia, h. e. merita ex gratia acquisita, est id quod in electis eligitur ad gloriam. Qui quidem sensus patet etiam ex antithesi qua subinde utitur Augustinus. « Per electionem, inquit, non praecedentium operum suorum, sed gratiae, » hoc est meritorum gratiae, nam sic illico suam mentem explicat hisce verbis : « Quia gratia illis est omne

meritum.» Unde postea, rursum significans quis sit ordo inter praedestinationem gratiae atque electionem, prouti aliquo modo importat absolutam intentionem gloriae, sic loquitur de electis : « Electi sunt, inquit, *quia secundum propositum vocati sunt.* » De non electis vero : « Non enim sunt a massa illa perditionis *praescientia Dei et praedestinatione* discreti, *et ideo* nec secundum propositum vocati, ac *per hoc* nec electi. » Denique electionem ad regnum inniti praescientiae meritorum, clarissime significat s. Doctor, quando rationem reddens cur justi qui perseveraturi non sunt, non sint electi, ita perhibet : « Plane dicuntur electi a nescientibus quid futuri sint, *non ab illo qui eos novit non habere perseverantiam quae ad beatam vitam perducit electos, scitque illos ita stare ut praescierit esse casuros.*

Sed contra talem responsionem multipliciter instatur ab adversariis.

148. INSTANT videlicet 1° sic arguendo : Asserit s. Augustinus loco citato discretionem electorum a perituris factam esse in massa originalis damnationis, a qua scilicet soli electi liberati sint, ceteris omnibus in eadem relictis. Atqui hoc ejus assertum falsissimum esset, si discretio electorum a perituris primo fieret per praedestinationem gratiae, non vero per antecedentem electionem ad gloriam. Nam si primo praedestinetur gratia, et solummodo consequenter ad gratiam praedestinetur gloria ; priusquam voluntate divina facta fuerit discretio inter electos ac reprobos, jam multi etiam reprobi per gratiam justificationis, quam ad tempus recipiunt, intelligentur esse soluti reatu originalis peccati. Ergo secundum talem modum explicationis falsum esset dicere discretionem electorum a reprobis fieri in massa originalis perditionis. Prima instantia.

149. RESPONDETUR *concedendo Majorem* sed *negando Minorem*. Ad probationem Minoris *conceditur* quidem *Antecedens*, sed *distinguitur Consequens* hunc in modum : Cum sententia perhibente discretionem electorum a reprobis primo fieri per praedestinationem gratiae, stare nequit id quod dicit Augustinus, praedictam discretionem fieri in massa originalis damnationis, si sensu Augustiniano per massam originalis damnationis intelligendi sint omnes ac sóli illi qui reatu peccati originalis tenentur obstricti, *Conc. Conseq.* Si, Ejus repulsio.

quae est genuina mens s. Augustini, per massam originalis damnationis intelligendi sint etiam illi qui, licet sint soluti reatu originalis peccati et ad tempus justificati, rursum tamen permittuntur incidere sub tyrannidem ignorantiae et concupiscentiae, quae sunt effectus peccati originalis; unde iidem ratione talium effectuum peccati originalis tandem perducuntur ad perditionem, *Neg. Conseq.*

Juxta doctrinam s. Augustini baptizati non perseveraturi discreti quidem sunt a massa perditionis Adae quantum ad formale peccati originalis, h. e. quantum ad reatum in baptismo dimissum, non vero omnino quantum ad materiale peccati originalis, h. e. quantum ad concupiscentiam quae connexa est cum ignorantia. Atque eatenus verum est dicere juxta sententiam s. Augustini baptizatos non perseveraturos reprobari propter originale eosque non esse complete discretos a massa damnationis quae facta est in Adam. Secundum talem sensum dixit Augustinus in Enchiridio, c. 24 : « Hoc [peccatum scilicet originale] primum est creaturae rationalis malum, id est prima privatio boni : deinde jam etiam nolentibus subintravit ignorantia rerum agendarum et concupiscentia noxiarum. Ex his morborum, non ubertatis sed indigentiae, tamquam fontibus, *omnis miseria naturae rationalis emanat.* »

Secunda instantia.

150. INSTANT 2°, sic ulterius contra arguendo : Discretio electorum a massa perditionis nequit reponi in eo quod ex tali discretione tamquam ex ratione provenit. Atqui juxta Augustinum praedestinatio tam fidei quam ceterarum gratiarum quae conferuntur electis, provenit tamquam ex ratione ex discretione electorum a massa damnata. Quod quidem patet ex hisce ejus verbis quae ponit in loco libri de Correptione et gratia superius citato : « Quicumque ergo ab illa originali damnatione ista divinae gratiae largitate discreti sunt, non est dubium quod eis procuretur audiendum Evangelium ; et quum audiunt, credunt ; et in fide quae per dilectionem operetur, usque in finem perseverant ; et si quando exorbitant, correpti emendantur ; et quidam eorum, etsi ab hominibus non corripiantur, in viam quam reliquerant redeunt ; et nonnulli, accepta gratia in qualibet aetate, periculis hujus vitae mortis celeritate subtrahuntur. Haec enim omnia operatur in eis qui vasa misericordiae operatus est eos, qui et

elegit eos in Filio suo ante constitutionem mundi per electionem gratiae.» Necesse est ergo dicere secundum s. Augustinum discretionem electorum a massa perditionis non fieri per praedestinationem gratiae, sed per antecedentem electionem ad gloriam.

151. Respondetur *concedendo Majorem*, *sed sic distinguendo Minorem* : Juxta Augustinum fides sumpta complexive cum ceteris beneficiis quae electis in tempore conferuntur, sunt effectus eorumdem discretionis a massa originalis damnationis, *Conc. Min.* Juxta Augustinum etiam praedestinatio fidei ceterarumque gratiarum quae electis conferuntur, proveniunt tamquam ex ratione a priori ex discretione electorum a massa originalis damnationis, *Neg. Min.* — Loco citato asserit solummodo s. Augustinus fidem sumptam complexive cum ceteris gratiis efficacibus usque ad perseverantiam finalem inclusive esse effectus discretionis electorum a massa damnata; hoc autem ejus assertum non obstat quominus secundum ipsum discretio electorum a massa originalis damnationis fiat per praedestinationem completam gratiae; omnes enim illae gratiae quas ipse ponit descendere tamquam effectus ex discretione electorum a massa originalis damnationis, descendunt etiam tamquam effectus ex praedestinatione completa gratiae.

Ejus repulsio.

152. **Quintum argumentum** accipitur ex hisce verbis quae ponit s. Augustinus in libro de Correptione et gratia, cap. 13, n. 40 : « Quis ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero praedestinatorum se esse praesumat? Quia id occultari opus est in hoc loco, ubi sic cavenda est elatio, ut etiam per Satanae angelum, ne extolleretur, tantus colaphizaretur Apostolus (2 Cor. XII, 7)... Nam propter hujus utilitatem secreti, ne forte quis extollatur, sed omnes etiam qui bene currunt timeant, dum occultum est qui perveniant : propter hujus ergo utilitatem secreti credendum est quosdam de filiis perditionis, non accepto dono perseverandi usque in finem, in fide quae per dilectionem operatur incipere vivere, et aliquamdiu fideliter ac juste vivere, et postea cadere, neque de hac vita priusquam hoc eis contingat, auferri... Numerus ergo sanctorum per Dei gratiam Dei regno praedestinatus, donata sibi etiam in finem perseverantia, illuc integer perducetur et illic integerrimus jam sine

Testimonium s. Augustini de fine ad quem Deus ordinat finalem lapsum eorum qui in accepta justitia perseveraturi non sunt.

fine beatissimus servabitur, adhaerente sibi misericordia Salvatoris sui, sive quum convertuntur, sive quum praeliantur, sive quum coronantur. »

Argumentum quod inde conficiunt adversarii.

153. Inde sic arguunt adversarii : Ille numerus electorum discretus est ante omnem praedestinationem gratiae, cujus occultandi utilitas est ratio decernendi gratiam etiam reprobis quibusdam et cujus immutabilitas est ratio non auferendi eosdem reprobos de hac vita priusquam a justitia deficiant. Atqui juxta Augustinum utilitas occultandi numerum electorum est ratio decernendi gratiam etiam reprobis quibusdam, et immutabilitas ejusdem numeri electorum est ratio non auferendi eosdem reprobos de hac vita priusquam a justitia deficiant. Ergo secundum s. Augustinum numerus electorum discretus est a massa originalis damnationis ante omnem praedestinationem gratiae et, per consequens, juxta s. Doctorem discretio electorum a massa originalis damnationis non fit primario per completam praedestinationem gratiae sed per antecedentem electionem ad gloriam.

Ejus dilutio.

154. Respondetur *concedendo Majorem* sed *negando Minorem*, *ideoque negando etiam Consequens*.

Ad percipiendum nihil asseri ab Augustino loco ab adversariis citato quod nostrae sententiae adversetur, ita considerandum est. Sententia qua defenditur gloriam praedestinari post praevisa merita gratiae,eo tandem redit ut dicatur Deum ex antecedente et conditionata voluntate salutis omnium hominum ita praesentem gratiarum ordinem elegisse, ut, etiamsi per scientiam mediam praevidisset fore ut in hoc ordine praeter eos qui nunc salvantur vel adeo loco nonnullorum qui nunc salvantur, alii quidam salvarentur, nihilominus hunc gratiarum ordinem electurus fuisset. Stat autem cum tali sententia Deum antecedenter ad omne suum decretum per scientiam suam conditionatam praescivisse quisnam futurus esset exitus praesentis ordinis, ex hypothesi quod talem ordinem eligere vellet, et, per consequens, stat cum praedicta sententia Deum antecedenter ad omne suum decretum etiam praevidisse fore ut, si praesentem ordinem ipse eligeret, plures pervenirent quidem ad justitiam, nec tamen in ea perseverarent. Quia ergo defectus perseverantiae in justitia habet rationem mali, Deus autem mala permittere non potest, nisi eliciendo ex eis bona; stat cum sententia

quam de praedestinatione defendimus, Deum sub praescientia conditionata exitus praesentis ordinis, defectum perseverantiae aliquorum in justitia ordinasse tum in alios fines se dignos tum etiam in eum finem ut hominibus adhuc mortalem vitam agentibus occultus maneret numerus electorum. Non ergo loco ab adversariis citato nostrae sententiae de praedestinatione adversatur s. Augustinus ; nihil enim eo loci ibi asserit nisi hoc tantummodo, nempe finalem deficientiam quorumdam a justitia prius accepta ordinari a Deo tamquam in finem in occultationem numeri electorum. Quod quidem ibi asserit consentanee ad hanc suam verissimam doctrinam quam ubique in suis operibus inculcat, nempe ex una parte « Deum non esse auctorem malorum, » ex alia vero parte « nullo pacto Deum permissurum esse mala, nisi etiam de malis ipse nosset facere bona. » Sane non praesupponi loco citato a s. Doctore numerum electorum esse praedefinitum decreto simpliciter et omnimodis antecedente, patet tum ex iis quae huic loco praemittit tum ex iis quae eidem mox subjungit. Nam paulo superius, capite 13, numero 30, clare expresserat Augustinus nonnisi consequenter ad praevisam perseverantiam finalem omnium qui perseveraturi sunt, numerum electorum esse absolute certum. Interpretans scilicet hunc locum Apocalypsis III, 11 : « Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam, » sic inde concluserat : « Si alius non est accepturus, *nisi iste perdiderit*, certus est numerus. » Atque infra, continuo post verba unde arguunt adversarii, eamdem sententiam expresserat dicendo « numerum sanctorum *per Dei gratiam* esse Dei regno praedestinatum, donata sibi etiam usque in finem perseverantia. »

Testimonium s. Augustini de magno numero reproborum tamquam ordinato ad commendandam misericordiam Dei circa electos.

155. Sextum argumentum accipitur ex Enchiridio ad Laurentium, cap. 99, ubi haec verba ponuntur a s. Augustino : « Videt enim, si capit [homo], universum genus humanum tam justo judicio divino in apostatica radice damnatum, ut, etiamsi nullus inde liberaretur, nemo recte posset Dei vituperare justitiam ; et qui liberantur, *sic oportuisse liberari*, ut ex pluribus non liberatis atque in damnatione justissima derelictis, ostenderetur quid meruisset universa conspersio, et quo etiam istos debitum judicium Dei duceret, nisi eis indebita misericordia subveniret : ut volentium de suis meritis gloriari, omne os obstruatur, et qui gloriatur, in Domino glorietur. »

Argumentum quod inde conficiunt adversarii.

156. Inde videlicet sic arguunt : Quod est de absoluta necessitate finis, illius intentio ex parte voluntatis divinae praecedit omnem praevisum usum vel abusum gratiae. Atqui numerum reproborum esse comparative magnum, sive, quod idem est, definitum esse parvum numerum electorum, hoc juxta Augustinum est de absoluta necessitate finis. Ergo secundum Augustinum voluntas Dei absoluta intentione praedefinientis numerum electorum praecedit omnem praevisum usum vel abusum gratiae ; sive, quod idem est, secundum s. Doctorem praedestinatio ad gloriam simpliciter et omnimodis praecedit praedestinationem gratiae.

Ejus dilutio.

157. Respondetur *distinguendo Majorem* : Quod necessitate antecedente est de absoluta necessitate finis, hoc ex parte intentionis voluntatis divinae, praecedit omnem praevisum usum vel abusum gratiae, *Conc. Maj.* Quod necessitate solummodo consequente est de necessitate finis, hoc similiter ex parte intentionis voluntatis divinae praecedit omnem praevisum usum vel abusum gratiae, *Subd. Maj.* : Hoc praecedit absolutam praevisionem usus vel abusus gratiae, *Conc.* Hoc praecedit etiam conditionatam praevisionem usus vel abusus gratiae, *Neg.*, et, *contradistincta Minore*, *Nego consequens et consequentiam.*

Sane, priusquam ullum concipiat decretum de tali vel tali ordine gratiarum a se eligendo, Deus beneficio suae scientiae mediae certo praevidet futurum esse ut, facta hypothesi talis determinati ordinis gratiarum a se eligendi, pleraeque gratiae culpa hominum reddantur saltem finaliter ineffícaces, et ut sic plerique homines finaliter reprobentur. Quocirca absoluta electio talis ordinis gratiarum includit ex parte voluntatis divinae permissionem sive perpetuae permansionis plurimorum hominum in statu damnationis sive saltem finalis reincidentiae eorum in talem statum. Unde, quia Deus nequit permittere malum nisi efficaciter illud ordinando in bonum, talis electio ex parte voluntatis divinae includit etiam intentionem ordinandi ipsum finalem statum injustitiae reproborum in majorem manifestationem suae gratuitae misericordiae erga electos, quibus scilicet Deus in hoc ordine suae providentiae praedestinavit gratias efficaces, quas, instituendo alium modum distributionis gratiarum, ipse potuisset dare non iis qui nunc sunt electi, sed iis qui nunc

fiunt reprobi. Porro haec et non alia est doctrina quam in verbis objectis tradit s. Augustinus. Quod videlicet ibi dicit s. Doctor, oportuisse ex massa damnationis plures non liberari, ut ostenderetur iis qui liberantur ex indebita misericordia subveniri, id ex ejus mente non esse intelligendum nisi de necessitate consequente abusum gratiae conditionate praevisum, manifestissime patet ex nexu horum ejus verborum cum capitibus proxime praecedentibus. « Nec utique [sic dixerat s. Doctor capite 95] Deus injuste noluit salvos fieri, *quum possent salvi esse, si vellent.* » En, juxta s. Augustinum, nolitio Dei ut quidam sint salvi praesupponit praevisionem conditionatam eorum finalis impoenitentiae, non culpa Dei, sed culpa ipsorum accidentis. Esse autem hanc Dei nolitionem salutis quorumdam meram permissionem finalis eorum impoenitentiae, quae optime stet cum Dei voluntate antecedente salutis omnium hominum, explicaverat s. Augustinus capite 96 mox sequente : « Non dubitandum est, dixerat ibi, Deum facere bene, *etiam sinendo fieri quaecumque fiunt male. Non enim hoc nisi justo judicio sinit* ; et profecto bonum est omne quod justum est. Quamvis ergo ea quae mala sunt, in quantum mala sunt, non sint bona : tamen ut non solum bona, sed etiam sint mala, bonum est. Nam nisi esset hoc bonum, ut essent et mala, *nullo modo esse sinerentur ab omnipotente Bono* : cui procul dubio quam facile est quod vult facere, tam facile est quod non vult esse non sinere. » Quodnam vero sit illud bonum ad quod, supposita permissione impoenitentiae finalis quorumdam, oporteat a Deo ordinari hoc malum impoenitentiae finalis, jam declaraverat s. Augustinus in capitibus sui Enchiridii 94 et 95, explicato deinde genuino doctrinae ibi ab eo traditae sensu per ea quae proxime ex eo retulimus. En verba quae praedictis capitibus ponit s. Doctor, quae sunt simillima iis quae ex capite 99 ejusdem operis ab adversariis objecta sunt. « Remanentibus itaque angelis et hominibus reprobis in aeterna poena, *tunc sancti scient plenius quid boni eis contulerit gratia.* Tunc non latebit quod nunc latet, quum de duobus parvulis unus esset assumendus per misericordiam, alius per judicium relinquendus, *in quo is qui assumeretur, agnosceret quid sibi per judicium deberetur, nisi misericordia subveniret*, cur ille potius quam

iste fuerit assumptus, quum causa una esset ambobus; cur apud quosdam non sint factae virtutes, quae si factae fuissent, egissent illi homines poenitentiam, et factae sunt apud eos qui non fuerant crediturі, » etc.

Rationes ostendentes juxta s. Augustinum dona Dei quo ordine in executione conferuntur, eodem etiam praedestinari : 1. Ex doctrina tradita ab Augustino in libro I ad Simplicianum, q. 2.

PROBATUR SECUNDA PARS, scilicet *longe probabilius statui secundum s. Augustinum eumdem esse ordinem donorum Dei in praedestinatione atque in executione.*

158. Primum argumentum id ostendens accipitur ex doctrina quam de ordine inter praedestinationem gratiae et electionem ad gloriam tradit s. Augustinus in libro I ad Simplicianum, q. II, n. 6. Ibi exponens haec Apostoli verba ad Rom. IX, 11 : *Quum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret*, etc. : « Non ergo, inquit s. Augustinus, secundum electionem propositum Dei manet, sed ex proposito electio : id est, non quia invenit Deus opera bona in hominibus quae eligat, ideo manet propositum justificationis ipsius : sed quia illud manet ut justificet credentes, *ideo invenit opera quae jam eligat ad regnum coelorum*. Nam nisi esset electio, non essent electi, nec recte diceretur : Quis accusabit adversus electos Dei (Rom. VIII, 33)? *Non tamen electio praecedit justificationem, sed electionem justificatio*. Nemo enim eligitur, nisi jam distans ab eo qui rejicitur. Unde quod dictum est : Quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem (Eph. I, 4), *non video quomodo sit dictum, nisi praescientia*. Hic autem quod ait : Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, Quia major serviet minori : non electione meritorum, quae post justificationem gratiae proveniunt, sed liberalitate donorum Dei voluit intelligi, ne quis de operibus extollatur. Gratia enim Dei salvi facti sumus; et hoc non ex nobis, sed Dei donum est; non ex operibus, ne forte quis extollatur (Eph. II, 8, 9). »

Hisce suis verbis perspicue distinguit s. Augustinus inter *propositum*, cujus objectum ibi ponit esse solam gratiam, et *electionem*, cujus objectum ibi ponit esse solam gloriam. Affirmat autem id quod in voluntate divina est prius, esse propositum conferendi gratiam, et solummodo consequenter ad praevisa merita gratiae succedere in voluntate divina electionem ad gloriam. Ne quis autem putet ipsum loqui solummodo de electione temporali ad gloriam, quae est col-

latio gloriae, non vero de electione aeterna ad gloriam, quae est praeparatio gloriae, addit s. Doctor : « Unde quod dictum est, quia elegit nos Deus *ante mundi constitutionem*, nescio quomodo dictum sit, nisi praescientia. » Ubi plane decernit ipsum aeternum decretum quo Deus nos elegit ad gloriam, esse consequens ad praevisionem meritorum, non quidem naturae, sed gratiae.

Vana sunt autem effugia quae ad vim hujus testimonii elidendam comminiscuntur adversarii.

Prius adversariorum effugium.

159. PRIMUM eorum EFFUGIUM est, juvenem fuisse Augustinum ac parum versatum in quaestione de praedestinatione, quum haec scriberet; at deinceps, quum aetate ac scientia jam provectior contra Pelagianos decertaret, eumdem sententiam mutasse. Ita praeter alios quosdam Bellarminus, de Gratia et libero arbitrio, libro II, cap. 15.

Ejus praeclusio.

160. Talis tamen evasionis modus ab ipso Augustino apertissime praecluditur. Licet enim junior et vixdum ad episcopatum evectus s. Doctor duos suos libros ad Simplicianum conscripserit, sine ulla tamen retractatione vel restrictione jam senex factus hoc suum opus laudavit et commendavit in ultimis suis operibus Retractationum, libro II, cap. 1, de Praedestinatione sanctorum, cap. 4, et de Dono perseverantiae, capp. 20 et 21. Et quidem in duobus posterioribus hisce libris simpliciter remittit s. Doctor Semipelagianos ad suos ad Simplicianum libros, ut inde discant ipsum jam dudum ante exortam Pelagianam haeresin eam de gratia divina et *de praedestinatione sanctorum ad regnum coelorum* esse professum sententiam quam postea contra Pelagium propugnavit. Quod nec fecisset s. Doctor nec facere potuisset, si ibi de electione ad gloriam docuisset oppositum illius quod de hac electione in suis libris contra Pelagianos ac Semipelagianos elucubratis deinde defendit.

Alterum adversariorum effugium.

161. ALTERUM adversariorum EFFUGIUM est, s. Augustinum agnovisse duplicem electionem ad gloriam, quae aeternaliter temporalem gloriae executionem praecesserit. Aliquam videlicet aiunt esse aeternam electionem ad gloriam quae ex mente s. Doctoris pertineat ad ordinem intentionis praecedatque praedestinationem gratiae quaeque idcirco secundum ipsum sit prorsus gratuita. Alteram vero esse aiunt aeternam electionem ad gloriam quae ex ejus mente pertineat ad

ordinem executionis, prouti hic aeternaliter praedisponitur in voluntate divina, quaeque idcirco secundum ipsum consequatur ad praevisa merita gratiae. Porro de hac altera aeterna ad gloriam electione aiunt solummodo loqui s. Augustinum in libro I ad Simplicianum, q. 2, quando ibi ait propositum justificationis esse prius in Deo quam electionem ad gloriam. Et quidem propterea ibi solummodo decretum executivum gloriae ab eo hoc nomine electionis vocatum esse, quia, quando suos libros ad Simplicianum scribebat, nondum, quantum praecise attinet ad modum loquendi, aliam intellexerat electionem praeter eam quae fit praemisso examine operum sive meritorum. Nempe eam tunc temporis opinionem ejus animo insedisse, de ratione esse electionis ut is qui eligitur jam distet ab eo qui rejicitur. At vero, licet propter talem causam soli decreto quod sit executivum gloriae quodque idcirco innitatur meritorum praevisioni, ipse, quum suos ad Simplicianum libros exarabat, convenire judicaverit rationem electionis, non tamen in hisce suis libris ipsum tacuisse de altero Dei absoluto decreto quod sit intentivum gloriae quodque omnem praevisionem meritorum antegrediatur : tale quippe gratuitum Dei decretum circa gloriam ibi ab eo significatum esse nomine *propositi*. Nam objectum gratuiti propositi de quo ibi loquitur, esse ex ejus mente primario gloriam, et nonnisi consequenter justificationem, id duplici ratione aiunt invicte probari. *Primo* quidem tali ratione : Asserit s. Augustinus in libro I ad Simplicianum, q. 2, gratuito proposito quod Deus habuit circa Jacob et exclusione Esau ab ejusdemmodi proposito effectum esse ut Jacob evaderet in vas honoris, Esau vero in vas contumeliae utque Jacob liberaretur a massa originalis damnationis, Esau vero in ea massa relinqueretur. Sed cum tali ejus asserto non stat *a)* objectum gratuiti propositi de quo eo loci loquitur, esse solummodo gratiam, nempe fidem et justificationem, talia siquidem dona conceduntur secundum ipsum et secundum rei veritatem etiam nonnullis qui fiunt finaliter reprobi, quum tamen secundum ipsum solorum sit electorum evadere in vasa honoris et liberari a massa originalis damnationis. Itidem cum praedicto ejus asserto non stat *b)* objectum gratuiti propositi de quo loco citato loquitur, esse primario gratiam fidei et justificationis et nonnisi con-

sequenter gloriam : ipse enim eo loci diserte docet gloriam, prouti decernitur consequenter ad justificationem, non esse objectum gratuiti propositi, sed electionis. Restat ergo *c)* ut objectum gratuiti propositi de quo loco citato agit s. Doctor, sit ex ejus mente primario gloria, et nonnisi consequenter gratia, utque, per consequens, secundum ipsum gloria in ordine intentionis praeparetur iis qui salvantur, omnino gratis, h. e. independenter ab omni praevisione meritorum, etiam gratiae. *Secundo* aiunt idem invicte probari tali ratione : Postquam, jam exorta contentione Pelagiana, s. Augustinus agnovit praeter electionem quae sit ex meritis, esse etiam aliam electionem quae sit prorsus gratuita, ipse, explicando haec Apostoli verba, Rom. IX, 10 : « Quum enim nondum nati essent, » etc., constanter defendit hac pericope : « Ut secundum electionem propositum Dei maneret, » significatum esse ab Apostolo Jacob prae Esau esse aeterno Dei decreto gratis electum et ex hac gratuita ejus electione profluxisse aeternum Dei propositum ei gratiam fidei et justificationis impertiendi. Ita, v. g., hanc pericopen interpretatur s. Doctor in libris de Correptione et gratia, cap. 7, de Praedestinatione sanctorum, cap. 19, de Dono perseverantiae, cap. 8, in epistola 186 ad Paulinum, cap. 5, et in epistola 194 ad Sixtum, cap. 6. Admisit ergo s. Doctor in hisce suis posterioribus scriptis electionem ad gloriam esse prorsus gratuitam, quandoquidem gratuita electio ex qua procedat propositum impertiendi gratiam, nequit respicere tamquam objectum nisi solam gloriam.

162. Ad haec respondetur in totis s. Augustini operibus ne vestigium quidem exstare duplicis illius aeterni et absoluti Dei decreti circa gloriam quod comminiscuntur adversarii, unius videlicet decreti quod sit solummodo intentivum gloriae quodque omnem meritorum praevisionem antecedat, alterius vero decreti quod sit executivum gloriae quodque jam meritorum praevisioni innitatur. Sane, ut speciatim hic dicamus de eo s. Doctoris loco de cujus sensu hic controvertitur, h. e. de loco quem ex libro I ad Simplicianum, q. 2, supra adduximus, falsum est ibi s. Doctorem nomine illius electionis quam ait inniti meritorum praesensioni, intendisse significare solum decretum executivum gloriae, nomine vero *propositi* ipsum ibidem significasse aliud decretum illudque

Ejus praeclusio.

prorsus gratuitum, quod sit intentivum gloriae. Hoc falsum est, inquam; non enim aliud sanctus Doctor ibi assignat objectum circa quod versetur propositum Dei gratuitum, nisi solam gratiam : unde et diserte illud propositum appellat *propositum justificationis*. Ex eoque ibi arguit illud propositum ad differentiam electionis esse gratuitum, quod objectum propositi sit gratia, quam nulla merita praecedant, objectum vero electionis sit gloria, quae intuitu meritorum conferatur. Qua sua ratione arguendi aperte excludit gloriam ab objecto propositi : non enim tenet probatio quam pro conclusione a se intenta affert, nisi supponendo ea sola Dei dona quae omnino gratis in tempore conferuntur, etiam omnino gratis ab aeterno praeparari.

Usus s. Augustini usurpandi tamquam aequipollentia nomina propositi et praedestinationis.

163. Nec valent rationes quae in oppositum afferuntur ab adversariis. *Ad primam dicitur*, gratiam, prouti nominat seriem aliquam gratiarum se extendentem a prima voluntate credendi usque ad perseverantiam finalem inclusive, esse donum proprium solorum electorum; jam vero gratiam tali sensu acceptam esse id quod s. Augustinus loco citato ponit esse objectum propositi. Nempe, uti principio hujus capitis ostendimus, ex perpetuo usu s. Augustini hoc nomen *propositi*, sicuti et hoc nomen praedestinationis sanctorum, idem sonat atque id quod hodie vocamus *praedestinationem completam gratiae*. Quia ergo cum praedestinatione completa gratiae necessario cohaeret electio ad gloriam, non quidem tamquam aliquid quod praevisa merita gratiae omnimodis praeveniat, sed tamquam aliquid quod haec praevisa merita aliquo modo sequatur, idcirco cum hoc quod objectum gratuiti propositi de quo loco citato tractat s. Augustinus, sit sola gratia sensu quem diximus accepta, omnino stat id quod ibidem asserit s. Doctor, nempe gratuito proposito quod Deus habuit circa Jacob et exclusione Esau ab ejusdemmodi proposito effectum esse ut Jacob evaderet in vas honoris, Esau vero in vas contumeliae, utque Jacob, non vero Esau, a massa originalis damnationis discerneretur.

Usus s. Augustini usurpandi nomen electionis gratuitae non pro electione ad

164. *Ad secundam rationem* ab adversariis factam *dicitur*, gratuitam illam electionem quam, ad modum loquendi quod attinet, s. Augustinus prius negavit et postea admisit, non esse electionem ad gloriam seorsum, sed electionem ad gratiam. Nempe locum illum Apostoli in Epistola ad Rom. IX,

11-13, in quo agitur de gratuita illa electione, s. Doctor constanter intellexit non de praedestinatione ad gloriam seorsum, uti contendunt adversarii, sed de praedestinatione ad gratiam. Indeque factum est ut quum, nondum exorta tempestate Pelagiana, arbitraretur praedestinationem ad gratiam, eo quod sit gratuita, non posse habere rationem electionis, ipse in libro I ad Simplicianum, quaestione 2ª, haec memorati loci Apostolici verba : « ut secundum electionem propositum Dei maneret, » censuerit esse connectenda cum verbis praecedentibus, ita ut electio maneret negata. Ita videlicet in eo libro locum Apostoli enarravit : Quum gemelli illi, Esau et Jacob, nondum nati essent, neque aliquid egissent boni aut mali, quumque proinde nullus esse posset locus electioni secundum quam maneret propositum Dei de justificando Jacob; non ex operibus, sed ex vocante, id est ex eo qui vocando ad fidem gratis justificat impium, dictum est Rebeccae : Quia major serviet minori. Quum vero, jam fervente contentione Pelagiana, agnovisset praedestinationem ad gratiam, utut sit gratuita, posse habere rationem electionis, eadem illa memorati loci Apostolici verba censuit esse adnectenda verbis sequentibus, ita ut electio maneret affirmata. Ita videlicet in suis libris contra Pelagianos editis locum Apostoli jam deinde interpretatus est : Quum gemelli illi, Esau et Jacob, nondum nati essent, neque aliquid egissent boni aut mali; tunc eum in finem ut secundum gratuitam Dei electionem propositum Dei de justificando Jacob permaneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est Rebeccae : Quia major serviet minori.

gloriam seorsum, sed pro electione gratiae.

165. Falsissimum est autem quod hic dicunt adversarii, nempe a s. Doctore in suis operibus contra Pelagianos scriptis doceri ex gratuita illa electione qua electus est Jacob, profluxisse propositum de justificando Jacob; proindeque ex ejus mente objectum gratuitae electionis non esse primario gratiam sed gloriam. Hoc falsissimum est, inquam; nihil enim in libris suis quos contra Pelagianos scripsit, s. Doctor distinxit inter gratuitam electionem et propositum. Sive, quod idem est, in hisce suis libris, sicuti objectum propositi posuit esse solam gratiam, ita et objectum gratuitae electionis posuit esse solam gratiam. Quod primo quidem patet ex eo quod semper gratuitam illam electionem ibi appellavit *electionem gratiae*. Sic

Hujus probatio ex libris s. Augustini contra Pelagianos scriptis.

v. g. in epistola 186 ad Paulinum, enarrans haec Apostoli verba, Quum nondum nati essent, etc. : « Non enim dicit, inquit, electionem voluntatis humanae, quum par esset in utroque mortis damnationisque conditio, sed *electionem procul dubio gratiae*, quae non invenit eligendos, sed facit. » Et in epistola 194 ad Sixtum : « Qui enim sunt isti, inquit, qui respondeant Deo, quandoquidem ille Rebeccae habenti geminos ex uno concubitu Isaac patris nostri, quum illi nondum nati nihil egissent boni vel mali, ut secundum electionem propositum ejus maneret, *electionem scilicet gratiae, non debiti*, electionem qua eligendos facit ipse, non invenit, non ex operibus, sed ex vocante dicit minori serviturum esse majorem. » Itidem in libro V ad Julianum, capp. 3 et 4 : « Nullum elegit dignum, sed eligendo effecit dignum... Ipsi ergo electi, et hoc ante constitutionem mundi, sed electi *per electionem gratiae*. » Tandem in libro de Correptione et gratia, cap. 7 : « Haec omnia operatur in eis qui vasa misericordiae operatus est eos, qui et elegit eos in Filio suo ante constitutionem mundi *per electionem gratiae*. Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia. » Idem adhuc manifestus patet *secundo* ex eo quod ex quo agnovit gratuitam electionem, s. Doctor eam perpetuo identificavit cum praedestinatione, cujus objectum, uti principio hujus capitis a nobis ostensum est, ipse ponit esse solam gratiam. Sic in libro de Praedestinatione sanctorum, cap. 17 : « Electi sunt ante mundi constitutionem *ea praedestinatione* in qua Deus sua facta futura praescivit : electi sunt autem de mundo ea vocatione qua Deus id quod praedestinavit, implevit. Et ibidem, cap. 18 : « Elegit Deus in Christo ante mundi constitutionem membra ejus, *et quomodo eligeret eos qui nondum nati erant, nisi praedestinando ?*... Nempe certum est, nempe manifestum est, ideo quippe tales eramus futuri, quia elegit ipse, *praedestinans ut tales per gratiam ejus essemus*. »

Quodsi quandoque penes usum loquendi frequentatum a s. Doctore in posterioribus suis scriptis qualitercumque distinguatur inter propositum sive praedestinationem ex una parte et electionem ex alia parte, differentia ex ejus mente est solummodo in eo quod electio, secundum quod connotat absolutam intentionem gloriae, est posterior quam propositum et praedestinatio. Ad quod probandum sufficiat

haec adduxisse ex libro de Correptione et gratia, cap. 7, n. 14 : « Electi sunt, *quia secundum propositum vocati sunt.* » Et ibidem, n. 16, de non perseveraturis : « Non enim sunt a massa illa perditionis praescientia Dei et praedestinatione discreti : et ideo nec secundum propositum vocati : ac *per hoc* nec electi. »

166. **Secundum argumentum** ducitur *ex indole disputationis Augustinianae contra Semipelagianos*. *a*) In sua adversus Semipelagianos concertatione, sicut ex eo quod collatio gratiae est gratuita, colligit s. Augustinus etiam praedestinationem gratiae esse gratuitam, ita vicissim ex eo quod praedestinatio gratiae est gratuita, colligit etiam collationem gratiae esse gratuitam. Sic v. g. in libro de Praedestinatione sanctorum, capp. 17 et 18, ex eo quod Apostolus in Epistola ad Eph. I, 4, docet Deum ante constitutionem mundi nos elegisse ad gratiam omnino gratis, h. e. nos elegisse ad gratiam, non quia eramus sancti, sed ut essemus, colligit etiam in tempore gratiam nullis nostris praecedentibus meritis nobis a Deo conferri. « Cernitis procul dubio, inquit ibi, n. 37, cernitis quanta manifestatione apostolici eloquii *defendatur haec gratia contra quam merita extolluntur humana, tamquam homo aliquid prior det ut retribuatur ei*. Elegit ergo nos Deus ante constitutionem mundi, praedestinans nos ante constitutionem mundi, non quia per nos sancti et immaculati futuri eramus, sed elegit praedestinavitque ut essemus. » Non autem tenet talis argumentandi ratio, si non obstante hoc quod collatio alicujus doni fiat propter merita, praedestinatio sive praeparatio ejusdem doni possit esse prorsus gratuita. Nisi ergo dici velit s. Doctorem inepte argumentatum esse, necesse est concedere secundum ipsum gloriam, propter hoc ipsum quod in tempore confertur a Deo propter merita gratiae, etiam ab aeterno praeparari sive praedestinari ab eodem propter merita gratiae.

2. Ex indole disputationis Augustinianae contra Semipelagianos.

b) Massilienses in ea erant sententia, initium fidei non esse donum Dei, sed nobis esse ex nobis : propter meritum porro hujus incipientis fidei nobis retribui gratiam qua augeatur fides et perveniatur ad justitiam ; propter ipsa vero opera in statu justitiae facta nobis ultimato retribui gloriam. Inde porro consequens esse putabant ut propter meritum initialis fidei, quod ipsum non praedestinetur, nobis praedestinetur

gratia, propter merita vero ipsius gratiae eligamur ad gloriam. Sive, quod idem est, quia ipsi uti rem ab omnibus concessam assumebant eodem modo eodemque ordine quo dona Dei in tempore conferuntur, ea dona etiam ab aeterno praedestinari a Deo; idcirco, sicuti statuebant gloriam proxime quidem nobis retribui propter merita gratiae, radicitus vero propter meritum naturale incipientis fidei, ita etiam aiebant ad gloriam nos ab aeterno eligi proxime quidem propter praevisa merita gratiae, radicitus vero propter praevisum meritum fidei initialis. Diserte ita de eorum doctrina testantur tum s. Prosper et Hilarius tum ipse etiam s. Augustinus. Nam Prosper, in epistola ad Augustinum, n. 3 : « Qui autem crediturі sunt [propriis viribus naturalibus], inquit, quique in ea fide, quae deinceps per gratiam sit juvanda, mansuri sunt, *praescisse* [*aiunt*] *ante mundi constitutionem Deum, et eos praedestinasse in regnum suum quos gratis vocatos, dignos futuros electione et de hac vita bono fine excessuros esse praeviderit.* » Itidem Hilarius, in sua ad Augustinum epistola, n. 4 : « Ceterum praescientiam, et praedestinationem et propositum ad id valere contendunt, *ut eos praescierit vel praedestinaverit vel proposuerit eligere qui fuerant crediturі.* » Ipse denique Augustinus, in libro de Praedestinatione sanctorum, cap. 19, ita inducit Massilienses suam sententiam exponentes : « Nos autem dicimus, inquiunt, nostram Deum non praescisse nisi fidem, qua credere incipimus, et ideo nos elegisse ante mundi constitutionem ac praedestinasse, ut etiam sancti et immaculati gratia atque opere ejus essemus. » Porro s. Augustinus in suis libris de Praedestinatione sanctorum et de Dono perseverantiae non solum nihil aliud agit quam ut ostendat etiam fidem in eaque usque ad finem perseverantiam esse dona Dei aeque ac bona opera cetera quae Massilienses fatebantur esse ex gratia ideoque et praedestinari, sed diserte etiam asserit omnem inter se ac Massilienses rationem dissentiendi sublatum iri, modo Massilienses faterentur *hoc unum*, scilicet initium fidei non esse ex libero arbitrio naturali nude sumpto, sed esse donum Dei. « Fateantur, inquit libro de Praedestinatione sanctorum, cap. 21, num. 43, etiam initium fidei, sicut continentiam, patientiam, justitiam, pietatem et cetera, *de quibus cum his nulla contentio est*, donum

Dei esse. » Perspicue ergo significat s. Doctor sibi eatenus convenire cum Massiliensibus, quatenus et ipse sentit electionem ad gloriam inniti praescientiae meritorum, et hoc solummodo se in sententia Massiliensium improbare quod per eam asserebatur merita illa ex quibus praevisis Deus nos eligat ad gloriam, esse radicitus non merita gratiae, sed merita liberi arbitrii naturalis.

c) De initio fidei salutaris s. Augustinus, quum adhuc esset simplex presbyter, idem opinatus fuerat quod postea de eodem Semipelagiani tuiti sunt, « uti satis indicant, inquit s. Doctor in libro de Praedestinatione sanctorum, cap. 3, nonnulla opuscula mea ante episcopatum meum scripta. » Sane in Expositione quarumdam propositionum ex epistola ad Romanos, num. 60, ita tunc temporis locutus fuerat : « Non ergo elegit Deus opera cujusquam in praescientia quae ipse daturus est ; *sed fidem elegit in praescientia, ut quem sibi crediturum esse praesciverit, ipsum elegerit cui Spiritum sanctum daret ut, bona operando, etiam vitam aeternam consequeretur*. Dicit enim idem Apostolus, Idem Deus qui operatur omnia in omnibus. Nusquam autem dictum est, Deus credit omnia in omnibus. *Quod ergo credimus, nostrum est* : quod autem bonum operamur, illius qui credentibus in se dat Spiritum sanctum. » Porro haec sua verba recognoscens in libro I Retractationum, cap. 23, nn. 2 et 3, illud quidem in eis improbat, quod eis statuebatur fidem non esse donum Dei ideoque nec electionem ad gratiam esse gratuitam. « Nondum diligenter quaesiveram, inquit, nec adhuc inveneram, qualis sit electio *gratiae* ; de qua idem dicit Apostolus, Reliquiae per electionem gratiae salvae factae sunt (Rom. XI, 5) : *quae utique non est gratia, si eam merita ulla praecedant*. » Et ibidem, paulo inferius : « Profecto non dicerem [hoc quod est credere esse unice nostrum], si jam scirem etiam ipsam fidem inter Dei munera reperiri quae dantur in eodem Spiritu. » Tum in libro de Praedestinatione sanctorum, cap. 3, postquam ex libro I Retractationum, praeter alia quaedam, etiam ea retulerat quae modo ex eo libro citavimus : « Videtis certe, inquit, quid tunc [quum essem presbyter] *de fide atque operibus sentiebam*,... in qua sententia istos fratres nostros [h. e. Massilienses] esse nunc video. » At vero aliud quod,

praeter illud primum, verbis supra adductis ex Expositione quarumdam propositionum ex epistola ad Romanos, s. Doctor itidem docuerat, nempe eodem ordine sese excipere dona Dei in praedestinatione atque in executione, ipse neutiquam improbat, quum tamen et illud procul dubio improbasset, si, quando scribebat suos libros Retractationum, existimasset electionem ad gloriam omnimodis praecedere praescientiam meritorum. Illud quippe in capite supra citato libri I hujus sui operis agebat ut minutatim indicaret quaenam in iis suis dictis quae ibi recenset, aut plane falsa essent aut saltem minus probabilia. Manifestum est ergo s. Doctorem non minus post exortam contentionem cum Pelagianis quam ante illam censuisse electionem adultorum ad gloriam non fieri nisi ex praevisione meritorum.

3. Ex judicio s. Augustini de doctrina Patrum qui ipsum praecesserunt.

167. **Tertium argumentum** ducitur *ex judicio s. Augustini de doctrina Patrum qui ipsum praecesserunt. a)* Interrogaverat Prosper s. Augustinum quanam ratione definitio gratuitae praedestinationis quam sanctus episcopus defendebat, conciliari posset cum doctrina Patrum praecedentium, qui unanimiter asseruerant praedestinationem inniti praescientiae meritorum. « Illud etiam, inquit in sua epistola ad Augustinum, n. 8, qualiter diluatur, quaesumus patienter nostram insipientiam ferendo demonstres, quod retractatis priorum de hac re opinionibus, pene omnium par invenitur et una sententia *qua propositum et praedestinationem Dei secundum praescientiam receperunt, ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliae fecerit, quia finem uniuscujusque praeviderit, et sub ipso gratiae adjutorio in qua futurus esset voluntate et actione praescierit.* » Est porro responsio s. Augustini in libro de Dono perseverantiae, cap. 19 : « Quid ergo nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei tractatores *legimus Dei praescientiam et agitur de vocatione electorum, eamdem praedestinationem intelligere?* Magis enim fortasse voluerunt hoc verbo uti, *quod non repugnat*, IMMO ET CONGRUIT VERITATI QUAE DE PRAEDESTINATIONE GRATIAE PRAEDICATUR. »

Ex quibus s. Doctoris verbis illud deducitur evidentissimum argumentum : Uti liquet tum ex ipsis testimoniis Patrum Augustino priorum, quae longo ordine capite VII, nn. 65 et 66, produximus, tum ex aperta confessione Pro-

speri in loco proxime citato, Patres illi Augustino priores uno ore docuerunt gloriam non praedestinari nisi consequenter ad praescientiam meritorum. Atqui s. Augustinus in citata responsione testatur doctrinam illam Patrum non solum qualitercumque tolerari posse, sed esse omnino veritati congruam, modo intelligatur praescientia illa meritorum cui inniti dicebant Patres praedestinationem gloriae, esse gratuita praedestinatio a se depraedicata, h. e. praescientia solorum meritorum gratiae. Ergo in citata responsione s. Augustinus approbat ut omnino veram proindeque ut omnino conformem propriae suae sententiae doctrinam qua statuitur gloriam non praedestinari nisi consequenter ad praevisa merita gratiae. Nempe juxta s. Augustinum ut sententia Patrum se priorum intelligatur nihil prorsus differre a sententia ipsius propria, admittendum est solummodo praedestinationem illam quam Patres asserebant esse subnixam praescientiae meritorum praecedentium, esse ex eorum mente praedestinationem gloriae, non vero etiam completam praedestinationem gratiae, uti contendebant Massilienses, qui ex tali verborum Patrum interpretatione deducebant Patres, sicuti ipsos, docuisse initium salutis nobis esse ex nobis, et solummodo ejus incrementum nobis donari a Deo.

Porro *b*) praedictae sancti Doctoris testificationi plane concordat id quod libro de Dono perseverantiae, cap. 15, ipse jam prius asseruerat, per eam scilicet praedestinationem quam ipse defendebat, non magis induci fatalem necessitatem quam per praescientiam Dei. Esset quippe hoc ejus assertum falsissimum, si ex ejus mente electio ad gloriam vel rejectio ab eadem nullo pacto praesupponeret praescientiam meritorum vel demeritorum.

Huc accedit *c*) quod, quoties incidit in quaestionem unde Deus cognoscat alios esse electos ad gloriam, alios vero non esse ad eam electos, non recurrit s. Augustinus ad omnimodis illam antecedentem sive electionem ad gloriam sive exclusionem a gloria quam adversarii fingunt, sed plane ad mentem veterum Patrum recurrit ad praescientiam meritorum vel demeritorum, nempe ad hoc quod Deus alios praescierit esse perseveraturos, alios vero praescierit non esse perseveraturos. Sic v. g. in libro de Correptione et gratia, cap. 7, n. 16 : « Plane dicuntur electi [ii scilicet justi qui

non sunt perseveraturi usque in finem] a nescientibus quid futuri sint, *non ab illo qui eos novit non habere perseverantiam quae ad beatam vitam perducit electos*, scitque illos ita stare *ut praescierit esse casuros.* » Et ibidem, cap. 9, n. 20: « Isti [h. e. justi non perseveraturi], quum pie vivunt, dicuntur filii Dei : sed *quoniam* victuri sunt impie et in eadem impietate morituri, non eos dicit filios Dei *praescientia Dei.* »

4. Ex identitate a s. Augustino asserta inter ordinem donorum in temporali eorum collatione et ordinem eorumdem donorum in aeterna eorum praeparatione.

168. **Quartum argumentum** accipitur *ex eo quod s. Augustinus diserte asserit eumdem esse ordinem donorum Dei in aeterna eorum praeparatione atque in temporali eorumdem collatione.* Sic in libro de Dono perseverantiae, cap. 22, n. 60 : « Fortassis, inquit, [ii qui nondum sunt vocati] *sic* praedestinati sunt ut nostris orationibus concedantur. » Et ibidem, cap. 16, num. 16 : « Constat alia Deum danda etiam non orantibus, sicut initium fidei, alia nonnisi orantibus PRAEPARASSE, sicut usque in finem perseverantiam. » Hoc posteriore loco sine ulla ambiguitate loquitur s. Doctor de ordine quo quaedam Dei dona *praeparantur*, h. e. in aeterna Dei praedestinatione disponuntur; docet porro hunc ordinem esse eumdem atque illum qui servatur in eorumdem donorum executione : nam dicendo quaedam sua dona, inter quae est perseverantia finalis, Deum nonnisi orantibus praeparasse, diserte significat, sicuti ea Dei dona non conferuntur in tempore, nisi praecedente oratione quae ea impetrat, ita etiam ea non praedestinari in aeternitate, nisi praecedente praevisione orationis impetrantis, quae et ipsa est donum Dei. Deficit autem omnis ratio pro tali sancti Doctoris asserto, nisi generatim asseratur omne donum Dei quod in tempore confertur propter meritum gratiae praecedentis, etiam in aeternitate non praedestinari nisi propter praevisum meritum gratiae praecedentis. Quia ergo hoc donum Dei quod est gloria, non confertur in tempore adultis nisi propter merita gratiarum praecedentium, necesse est concludere ex mente s. Doctoris idem illud donum Dei etiam in aeternitate non praedestinari adultis, nisi consequenter ad praevisa merita gratiae.

5. Ex sententia s. Augustini de eo in quo proprie repo-

169. **Quintum argumentum** *accipitur ex sententia s. Augustini de eo in quo proprie reponendum sit inscrutabile mysterium praedestinationis.* Argumentum est hujusmodi :

nendum sit inscrutabile mysterium praedestinationis.

In sententia ponentium gloriam praedestinari ex praevisis meritis gratiae, ipsam vero gratiam praedestinari omnino gratis, illud in negotio praedestinationis est inscrutabile, cur Deus uni praeparet vocationem efficacem ad fidem, alii vero talem vocationem non praeparet, curque itidem uni praeparet donum perseverantiae finalis, alii vero, etiam efficaciter vocato ad fidem et ad justificationem, tale donum non praeparet. Non vero idem illud est inscrutabile in sententia asserentium praedestinationem ad gloriam seorsum sumptam esse prorsus gratuitam : in tali quippe sententia cur Deus uni praeparet seriem gratiarum quae conjunctae sint cum consecutione salutis, alii vero talem gratiarum seriem non praeparet, ratio manifesta ex eo redditur quod Deus unum antecedenter ad gloriam elegerit, alium vero antecedenter a gloria rejecerit. Quapropter in tali sententia inscrutabile mysterium praedestinationis unice reponendum est in eo quod Deus unum potius quam alium independenter ab omni meritorum praevisione ad gloriam elegerit. Non ergo s. Augustinus sentit gloriam seorsum sumptam praedestinari independenter a praevisis meritis, si agatur de adultis, vel independenter a praeviso statu justitiae, si agatur de parvulis : ipse enim inscrutabile mysterium praedestinationis non in eo collocat quod alii sint antecedenter electi ad gloriam, alii vero antecedenter rejecti a gloria, quod tamen, uti modo ostensum est, ei asserendum fuisset, si adversariorum sententiam teneret, verum, quemadmodum oportet dicere in nostra sententia, inscrutabile illud mysterium unice reponit in modo distributionis gratiarum, sive in eo quod Deus uni praeparat vocationem efficacem ad fidem, alii talem vocationem non praeparat, quod uni praeparat perseverantiam finalem, alii vero, etiam vocato ad fidem, tale donum non praeparat. Sic v. g. in libro de Correptione et gratia, cap. 8, n. 17 : « Hic si a me quaeratur, cur eis Deus perseverantiam non dederit, quibus eam qua christiane viverent, dilectionem dedit, me ignorare respondeo. Non enim arroganter, sed agnoscens modulum meum, audio dicentem Apostolum, O homo, tu quis es qui respondeas Deo (Rom. IX, 20)? et, O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei! quam inscrutabilia sunt judicia ejus et investigabiles viae ejus (Ibid. XI, 33)!... Tu autem quisquis inimicus ejus gra-

tiae sic interrogas, ipse quid dicis? Bene quod te non negas esse christianum et catholicum jactas. Si ergo confiteris donum Dei esse perseverare usque in finem ; cur hoc donum ille accipiat, ille non accipiat, puto quod mecum pariter nescis, et ambo hic inscrutabilia judicia Dei penetrare non possumus. » Et libro de Dono perseverantiae, cap. 9, n. 21 : « Ex duobus itaque parvulis originali peccato pariter obstrictis, cur iste assumatur, et ille relinquatur; et ex duobus aetate jam grandibus impiis, cur iste ita vocetur ut vocantem sequatur, ille autem aut non vocetur aut non ita vocetur, inscrutabilia sunt judicia Dei. Ex duobus autem justis, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi non donetur, inscrutabiliora sunt judicia Dei. »

6. Ex asserta a s. Augustino potestate per gratiam divinam nobis concessa efficiendi ut simus praedestinati.

170. Sextum argumentum accipitur *ex eo quod secundum S. Augustinum est in potestate hominis gratia divina praeventi efficere ut praedestinetur praedestinatione completa gratiae, utque sic eligatur ad gloriam.* Priusquam hoc argumentum proponatur, haec circa efficaciam medii probationis quod in eo adhibetur, advertenda sunt.

Non est in potestate nostra nisi id quod aliquali saltem ratione pendet ab usu liberi arbitrii nostri, nullo autem pacto potest ab usu liberi arbitrii nostri pendere id quod omnem bonum vel malum usum liberi arbitrii nostri omnemque praevisionem talis usus antevertit; proindeque si, uti statuitur in sententia adversariorum, electio ad gloriam vel rejectio ab eadem omnem omnino praevisionem boni vel mali usus liberi nostri arbitrii antecedit, necesse est asserere non esse in potestate nostra efficere sive ut eligamur ad gloriam sive ut rejiciamur ab eadem. Et quia electio ad gloriam, si sit antecedens, necessario post se trahit praedestinationem completam gratiae, duorum autem quorum unum de necessitate consequitur ex altero, nequit id quod est consequens, esse in nostra potestate, si illud quod est antecedens, non sit in nostra potestate, idcirco in sententia ponente electionem ad gloriam esse simpliciter antecedentem, necessario etiam dicendum est non esse in nostra potestate efficere ut praedestinemur a Deo praedestinatione completa gratiae.

Illud quidem fatendum est, eos electionis antecedentis tutores qui, uti Suarez et Didacus Ruiz, nobiscum consentiunt in defendendis systemate scientiae mediae et doctrina

gratiae non ab intrinseco sed ab extrinseco efficacis, consequenter nobiscum etiam asserere, a libera hominis cum gratia cooperatione repetendam esse rationem cur talis quidem vel talis ratio ordinis mediorum salutis in mente divina existens, si accesserit voluntas divina talem mediorum ordinem respectu talis vel talis determinati hominis executioni mandandi, habitura sit rationem praedestinationis potius quam rationem communis providentiae supernaturalis, alia vero ratio ordinis mediorum salutis in mente divina existens, si itidem accesserit voluntas divina eum ordinem respectu ejusdem hominis executioni mandandi, habitura sit rationem communis providentiae supernaturalis potius quam rationem praedestinationis. At inde non est consequens secundum sententiam praedictorum auctorum in nostra potestate esse positum efficere ut a Deo praedestinemur. Nempe ut hoc in nostra sit positum potestate, non satis est nos nostra libera cum gratia cooperatione efficere posse ut Deus per scientiam suam mediam ab aeterno praeviderit fore ut talis vel talis determinata series gratiarum, si ea nobis gratuito ejus beneficio conferretur, conjungeretur cum effectu salutis, sed ad hoc insuper requiritur nos, pro nostra libera voluntate non quidem nude sumpta sed auxiliis gratiae divinae praeventa, efficere posse ut voluntas qua Deus ab aeterno decrevit nobis conferre auxilia gratiae, sit potius voluntas complens rationem praedestinationis quam voluntas complens rationem communis providentiae supernaturalis. Jam vero haec altera conditio non verificatur in sententia praedictorum auctorum. Ipsi enim perhibent Deum decreto illo suo absoluto et antecedente quo alios ad gloriam elegit, alios vero a gloria rejecit, independenter ab omni conditionate praeviso usu vel abusu gratiarum a se concedendarum, determinari ad decernendum iis quidem quos elegit, gratias quas per scientiam suam mediam praeviderit conjunctum iri cum consecutione salutis, iis vero quos non elegit, gratias quas per eamdem suam scientiam mediam praeviderit conjunctum iri cum non-consecutione salutis. Sive, quod idem est, secundum praedictos auctores si Deus per scientiam suam mediam praevidisset fore ut eae gratiae quae modo conferuntur electis, carerent effectu finali salutis, ipse vi decreti quo tales antecedenter elegit ad gloriam, non hasce easdem gratias sed alias quas praevidisset

fore finaliter efficaces, eis ab aeterno praeparasset; itidemque, si Deus per scientiam suam mediam praenovisset fore ut eae gratiae quae modo conferuntur reprobis, conjungerentur cum effectu finali salutis, ipse vi decreti quo tales antecedenter exclusit a gloria, non hasce easdem gratias, sed alias, quas praesciisset fore finaliter inefficaces, eis ab aeterno statuisset conferre. Et sic, si stet sententia praedictorum auctorum, quod voluntas qua Deus unicuique homini providet auxilia salutis, sit potius voluntas dandi auxilia finaliter efficacia quam voluntas dandi auxilia finaliter inefficacia, hoc nullo pacto pendet a cooperatione liberi arbitrii cum gratia. Ad tuendum itaque in nostra potestate esse efficere ut ab aeterno simus praedestinati, nihil juvat doctrina scientiae mediae, si una cum hac doctrina defendatur electionem ad gloriam esse simpliciter antecedentem.

At hujus oppositum contingit in nostra sententia. Nos enim sentimus non ex absoluta et antecedente intentione quosdam assumendi ad gloriam, alios vero ab eadem excludendi, sed ex seria, licet conditionata, intentione salutis omnium hominum Deum moveri ad conferendum omnibus et singulis hominibus eas gratias quas revera omnibus et singulis confert. Ex quo est omnino consequens ut secundum nos, si Deus per scientiam suam mediam praevidisset fore ut eae gratiae quas in praesenti ordine reprobis confert, conjungerentur cum finali effectu salutis, utque contra, quaedam ex iis gratiis quas in praesenti ordine electis confert, non conjungerentur cum finali effectu salutis, nihilominus hasce easdem gratias et non alias eisdem statuisset conferre. Et sic, stante nostra sententia, sicuti libera sua cum gratiis ei praestitis cooperatione efficit aliquis homo ut Deus per scientiam suam mediam ab aeterna praeviderit fore ut earumdem gratiarum series, ex hypothesi quod ea huic homini adhiberetur, conjungeretur cum consecutione salutis, ita eadem illa sua cooperatione cum gratiis sibi praestitis efficit idem homo ut voluntas qua Deus ei ab aeterno providet media sufficientia salutis, sit potius voluntas complens rationem praedestinationis quam voluntas complens rationem communis providentiae supernaturalis. Et quia nos ponimus electionem ad gloriam esse aliquid quod, attento ordine causalitatis meritoriae, de necessitate consequatur praede-

stinationem completam gratiae, idcirco in nostra sententia, sicuti sub auxiliis gratiae divinae praevenientis potest homo efficere ut ab aeterno fuerit praedestinatus praedestinatione completa gratiae, ita et sub iisdem auxiliis gratiae divinae praevenientis potest homo efficere ut ab aeterno fuerit electus ad gloriam.

Nec dici potest, ex talibus nostrae sententiae consectariis elucescere eam esse manifesto falsam : ex eo enim quod ponitur hominem, bene utendo gratiis sibi praestitis, posse efficere ut ab aeterno fuerit praedestinatus, consequens esse ut praedestinatio, ut est formaliter praedestinatio, etiam quoad primam suam inchoationem, h. e. quoad praeparationem primae gratiae efficacis, sit ex meritis, non quidem gratiam praecedentibus, sed eam consequentibus ; talem porro consequentiam manifesto pugnare cum omnimoda praedestinationis gratuitate. — *Hoc dici non potest*, inquam : nam ex nostra sententia habetur quidem praedestinationem primae gratiae efficacis non fieri sine respectu ad futurum bonum usum gratiae conditionate secuturum, non tamen ex ea habetur praedestinationem primae gratiae efficacis fieri propter praevisum futurum bonum usum gratiae, *tamquam meritum* : jamvero hoc posterius solummodo, non vero etiam illud prius, pugnat cum omnimoda gratuitate praedestinationis. Quod quidem postea ostendetur, quando solventur rationes theologicae quae fieri solent pro sententia nostrae adversa ; modo vero ei quod agere coepimus, insistendum est.

Suppositis videlicet iis quae praemissa sunt, jam ita argumentamur : Nonnisi in sententia ponente electionem ad gloriam fieri consequenter ad praevisa merita gratiae, asseri potest in nostra esse potestate efficere ut praedestinemur praedestinatione completa gratiae utque eligamur ad gloriam. Sentit ergo s. Augustinus electionem ad gloriam fieri ex praevisis meritis gratiae : ipse enim pluribus suorum operum locis docet in nostra esse potestate efficere ut praedestinemur utque eligamur ad gloriam. Nam in enarratione in Ps. LXXXIII, postquam numero 1 dixerat filios Core esse « homines quos praedestinavit Deus conformes fieri imaginis Filii sui, » sic perhibet numero 5 : « Talis est qui cantat in hoc psalmo. Quis est? Corpus Christi. Quis est iste? *Vos, si vultis, nos omnes, si volumus, omnes filii Core.* » Quibus suis

verbis diserte significat in potestate nostrae voluntatis esse efficere ut simus de numero praedestinatorum. Itidem in Ps. CXX, num. 11 : « Jacob dilexi, Esau autem odio habui... Esau omnes carnales, Jacob autem omnes spirituales; *minores electi*, majores illi reprobati. VULT ET IPSE ELIGI, *fiat minor.* » Ubi clare asserit s. Doctor in nostra potestate esse positum ut simus de numero electorum. Tandem in Ps. CXXVI, n. 5, explicans haec verba Christi apud Matth. XX, 23 : « Quibus paratum est a Patre meo » : « Aliis, inquit, paratum est regnum a Patre meo [nempe humilibus, non superbis]... *et vos alii estote, et vobis paratum est.* » Ubi significat s. Doctor, sicut in nostra est potestate esse humiles, quod utique est in nostra potestate, ita etiam dependenter ab hoc quod simus humiles, esse in nostra potestate efficere ut regnum aeternum nobis paratum sit, h. e. ut ab aeterno simus electi ad gloriam.

7. Ex sensu in quem doctrinam s. Augustini explicaverunt s. Prosper et s. Fulgentius.

171. Septimum argumentum accipitur *ex sensu in quem doctrinam Augustinianam praedestinationis explicaverunt duo praecipui s. Augustini discipuli, s. Prosper, inquam, et s. Fulgentius.*

A. Mox post obitum s. Augustini presbyteri quidam galli loca nonnulla, ex ultimis praesertim ejus operibus excerpta et in unum collecta, publicaverunt, in indiculis, quibus singulis singula loca praenotarunt, illud apprime contendentes, secundum s. Augustinum eos qui a justitia deficiunt et pereunt, propterea a justitia deficere et perire, quia praedestinati non sunt. Quod idem postea contendit Vincentius quidam in Objectionibus quae ab ejus nomine dictae sunt Vincentianae. Ad utrosque porro respondit s. Prosper, a s. Augustino prorsus oppositum doceri illius quod censores illi in ejus scriptis sibi reperisse videbantur ; nempe ex mente s. Doctoris eos qui a justitia deficiunt et pereunt, non propterea a justitia deficere et perire, quia praedestinati non sunt; sed contra, secundum ipsum propterea tales praedestinatos non esse, quia Deus eos a justitia recessuros esse praevidit. Sic in Responsionibus ad capitula gallorum, postquam in hujus sui operis prologo protestatus fuerat se fideliter definitionibus s. Augustini esse inhaesurum, ita respondet ad capitulum II : « Qui recedit a Christo et alienus a gratia finit hanc vitam, quid nisi in perditionem cadat?...

Quod QUIA DEI PRAESCIENTIAM NON LATUIT, *nec fefellit, sine dubio talem numquam elegit, numquam praedestinavit, et periturum numquam ab aeterna perditione discrevit.* » Et ibidem, in responsione ad capitulum III : « Quod ergo hujusmodi, inquit, in haec prolapsi mala (h. e. a sanctitate ad immunditiam, a justitia ad iniquitatem, a fide ad impietatem conversi), sine correctione paenitentiae defecerunt, *non ex eo pereundi necessitatem habuerunt, quia praedestinati non sunt, sed* IDEO *praedestinati non sunt, quia tales futuri ex propria praevaricatione praevisi sunt...* Non enim relicti sunt a Deo ut relinquerent Deum, sed reliquerunt et relicti sunt, et ex bono in malum propria voluntate mutati sunt : *atque* OB HOC, *licet fuerint renati, fuerint justificati, ab eo tamen qui illos tales praescivit, non sunt praedestinati.* » Itidem, in responsione ad capitulum VII : « Horum [qui a bono in malum conversi vitam finiunt] lapsum Deo adscribere, inquit, immodicae pravitatis est, quasi ideo ruinae ipsorum impulsor atque auctor sit, *quia illos ruituros propria ipsorum voluntate praescivit, et* OB HOC *a filiis perditionis nulla praedestinatione discrevit.* » Haud secus in responsione ad capitulum XII : « Vires obedientiae, inquit, non ideo cuiquam subtraxit, quia eum non praedestinavit ; sed IDEO *eum non praedestinavit, quia recessurum ab ipsa obedientia esse praescivit.* » Denique in Responsionibus ad capitula objectionum Vincentianarum, capitulo XII : « Hi de quibus dicitur, inquit, ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis, si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum (1 Jo. II, 9), voluntate exierunt, voluntate ceciderunt. ET QUIA PRAESCITI SUNT CASURI, *non sunt praedestinati. Essent autem praedestinati, si essent reversuri, et in sanctitate ac veritate mansuri. Ac* PER HOC *praedestinatio Dei multis est causa standi, nemini est causa labendi.* »

Porro quum variis hisce locis s. Prosper profert velut Augustinianam hanc propositionem causalem : « Qui non sunt praedestinati, propterea non sunt praedestinati, quia Deus eos sua voluntate ruituros esse praevidit, » eam doctrinae Augustinianae interpretationem confirmat quam nos defendimus, eam vero hujus doctrinae interpretationem quam adversarii tuentur, omnino explodit. Etenim a) si non est in potestate hominis gratia divina praeventi efficere ut sit

praedestinatus, falsum est dicere propterea aliquem non esse praedestinatum, quia Deus praevidit eum esse ruiturum; falsificatur ergo in sententia adversariorum propositio causalis a Prospero asserta; in tali quippe sententia, uti supra ostensum est, necesse est dicere non esse in potestate hominis gratia divina praeventi efficere ut sit praedestinatus. Sane b) quando Prosper dicit propterea eum qui non est praedestinatus, non esse praedestinatum, quia Deus praevidit eum non esse cooperaturum « viribus obedientiae, » h. e. gratiis ei in tempore concedendis, perspicue edisserit, non sine respectu habito ad abusum gratiarum, iis qui non sunt praedestinati in tempore concedendarum, Deum tales non praedestinasse. Et, per consequens, veluti falsam damnat sententiam ponentem electionem ad gloriam fieri antecedenter ad praevisa merita gratiae : in tali quippe sententia necesse est dicere Deum ante omnem praevisionem meritorum vel demeritorum vi antecedentis illius electionis manere determinatum ad non praedestinandum eos quos non elegerit ad gloriam; hoc porro quid est aliud quam dicere Deum in non praedestinando eos quos non praedestinavit, nullum prorsus respectum habuisse ad abusum gratiarum iisdem in tempore conferendarum? Insuper c) etiamsi dandum esset, quod tamen falsum est, in propositione causali a Prospero asserta nomen praedestinationis improprie intelligendum esse non de ipsa praedestinatione, sed de effectu totali praedestinationis; adhuc tamen necesse esset fateri hac propositione decerni defectum cooperationis cum gratiis in tempore dandis, a Deo praevisum, esse impedimento quominus respectu quorumdam hominum ponatur a Deo effectus totalis praedestinationis. Jam vero, ne possibile est quidem talem intelligentiam propositionis illius causalis in sententia adversariorum verificari. Et hoc propterea, quia non dicitur esse impedimento alicui effectui ponendo nisi illud tantum, antecedenter ad quod causa effectus, quantum est ex se, determinata est ad ponendum effectum; in sententia autem adversariorum tantum abest ut antecedenter ad praevisum defectum cooperationis reproborum cum gratiis ipsis dandis, Deus sit determinatus, quantum est ex se, ad ponendum respectu talium effectum totalem praedestinationis, ut contra, in praedicta sententia, antecedenter ad prae-

visum defectum cooperationis eorum cum gratiis eisdem dandis, ipse vi antecedentis decreti quo tales saltem virtualiter removit a gloria, determinatus sit ad non ponendum respectu ipsorum effectum totalem praedestinationis. Omnimodis ergo cum interpretatione ad quam trahit Prosper doctrinam Augustinianam praedestinationis, pugnat ea hujus doctrinae interpretatio quam fautores antecedentis electionis adstruere nituntur.

B. Secundum s. Prosperum maxime enituit in illustranda doctrina Augustiniana praedestinationis in eademque a falsis quorumdam interpretationibus vindicanda s. Fulgentius, Ruspensis in Africa episcopus, qui in duplici praesertim opere hoc argumentum versat, nempe in primo duorum librorum quos scripsit ad Monimum et in tribus libris quos scripsit de veritate praedestinationis. In utroque porro hoc suo opere multifariam significat gloriam non praedestinari nisi consequenter ad praevisa merita gratiae. Nam a) in libro primo ad Monimum, qui est de duplici praedestinatione, diserte asserit eumdem esse ordinem donorum Dei in aeterna eorum praedestinatione atque in temporali eorumdem collatione. Sic v. g., quum capite 8 hujus libri asseruisset Deum primum quidem inchoare in homine voluntatem bonam, deinde hanc bonam voluntatem a se inchoatam continuo adjuvare, ac tandem meritis bonae voluntatis a se inchoatae et a se continuo adjutae praemium gloriae retribuere, sic continenter pergit dicere : « Haec autem Deus, sicut in praedestinatione semper habuit, *sic per gratiam*, SICUT PRAEDESTINAVIT, *implevit*. » Et adhuc clarius, in eodem libro, capite 11 : « Haec autem omnia, inquit, i. e. et vocationis nostrae initia, et justificationis augmenta, et glorificationis praemia, in praedestinatione Deus semper habuit, *quia et in vocatione, et in justificatione, et in glorificatione sanctorum, gratiae suae opera futura praescivit.* » Itidem b) diserte asserit Fulgentius, sicut in executione gratia confertur per misericordiam gratuitam, gloria vero per justitiam retributivam, ita et in praedestinatione praeparationem gratiae fieri per actum gratuitae misericordiae, praeparationem vero gloriae per actum justitiae. Nam in libro I De veritate praedestinationis, capite 5 : « Ad hanc praedestinationem pertinet, inquit, et gratuita justificatio redemptoris et justa redditio judicis. Ad hanc praede-

stinationem pertinet misericordia quam Paulus consecutus est ut fidelis esset (I Cor. VI, 25), et corona justitiae quam reddet ei Dominus in illa die justus judex, non solum autem Paulo, sed et omnibus qui diligunt adventum ejus (2 Tim. IV, 8). Omnes enim quos Deus praedestinavit in adoptionem gratiae, hic justificantur ex impiis, quia Christus pro omnibus mortuus est (Rom. V, 6), et omnes peccaverunt et egent gloria Dei, justificati gratis per gratiam ipsius (Rom. III, 23). *Quibus sicuti per misericordiam praeparavit gratuitum justificationis donum*, ITA PER JUSTITIAM PRAEPARAVIT AETERNAE JUSTIFICATIONIS PRAEMIA. » Si, uti hisce suis verbis asserit Fulgentius, gloria in aeterna Dei praedestinatione praeparatur per actum justitiae, manifestum est eam praedestinari ob praevisa merita gratiae; quod enim non praeparatur propter merita, sed gratis, hoc non praeparatur per actum justitiae. Ceterum c) conceptis verbis pronuntiat Fulgentius, sicut aeterna supplicia non praedestinantur reprobis nisi consequenter ad praevisionem eorum demeritorum, ita nec aeternam gloriam praedestinari electis nisi consequenter ad praevisionem eorum meritorum. Nam in libro I ad Monimum, cap. 24 : « Ostensurus itaque Deus, inquit, quid reddendum *praesciverit* et quid donandum, *praedestinavit illos ad supplicium* QUOS A SE PRAESCIVIT VOLUNTATIS MALAE VITIO DISCESSUROS, *et praedestinavit illos ad regnum* QUOS AD SE PRAESCIVIT MISERICORDIAE PRAEVENIENTIS AUXILIO REDITUROS ET IN SE MISERICORDIAE SUBSEQUENTIS AUXILIO ESSE PERMANSUROS. »

CAPUT XII.

De mente S. Thomae circa ordinem inter praescientiam meritorum et praedestinationem ad gloriam.

—

172. S. Thomas Aquinas vel eo maxime meruit ut princeps scholae appellaretur, quod in eo communis scholasticorum doctrina tamquam in vertice eminet. Ex quo quadantenus praejudicare licet falsos esse adversarios, quando asserunt Magistrum angelicum a suis partibus evidentissime stare. Ut hoc videlicet eorum assertum defendi posset, oporteret dicere s. Doctorem, contra atque ex praedicta ejus appellatione par est autumare, deviasse in re praesenti a sententia quae jamdudum sua aetate fuerat facta communissima. Quippe inter scriptores ecclesiasticos qui inde ab aetate s. Anselmi usque ad ultima tempora s. Doctoris laude scientiae theologicae inclaruerunt, vix est reperire aliquem qui quaestiones de praedestinatione et reprobatione attigerit quique simul implicita saltem doctrina non perhibuerit gloriam praedestinari dependenter a praevisis meritis gratiae. Talem certe doctrinam implicite tradit s. Anselmus, quando in suo tractatu De concordia praescientiae et praedestinationis cum libertate, asserit haec duo, scilicet a) propositum Dei praedestinativum, quamvis sit immutabile in aeternitate, ex libertate tamen nostra esse mutabile in tempore (opere citato, q. 1, cap. 5), et b) quae a Deo sunt praedestinata, non fieri ea necessitate quae praecedit rem et facit, sed ea quae rem sequitur (ibid. q. 2, cap. 3). Aequivalet quippe hoc duplex ejus dictum propositioni de qua capite superiore ostensum est eam nonnisi in nostra sententia defendi posse, propositioni videlicet edicenti esse in potestate hominis divina gratia praeventi efficere ut sit praedestinatus. Et hoc patet : in tantum enim a) de proposito Dei praedestinativo potest sensu

Doctorum s. Thoma antiquiorum vel eidem coaevorum consensus in asserenda electione ad gloriam a praevisis meritis dependente.

s. Anselmus.

aliquo improprio dici illud ex libertate nostra esse mutabile in tempore, in quantum nonnisi dependenter a praevisa cooperatione nostra in tempore praestita propositum Dei nobis largiendi gratiam nanciscitur rationem praedestinationis potius quam rationem communis providentiae supernaturalis; itidemque b) in tantum necessitas ut eveniant actiones praedestinatae, est necessitas quae non facit hasce actiones sed eas sequitur, in quantum decretum praedestinativum quod cum necessitate illa indivulse cohaeret, est suppositio aliquo modo dependens ab usu liberi arbitrii creati. His adde c) quod cum antecedenti omnium omnino salvandorum electione ad gloriam necessario connexa est antecedens exclusio omnium ceterorum ab eadem gloria, quodque proinde gloriam praedestinari electis antecedenter ad praevisa eorum merita, virtualiter negat s. Anselmus, quando in libro I Cur Deus homo, cap. 15, asserit antecedenti exclusione a gloria induci ei qui sic excluditur, necessitatem pereundi repugnantem libertati. « Aut, inquit loco proxime citato, angeli illi qui ceciderunt, facti erant ad hoc ut essent intra illum numerum [electorum], aut, quia extra illum numerum permanere [in bono] non potuerunt, *ex necessitate ceciderunt, quod absurdum est opinari.* »

Petrus Lombardus.

173. Ad eamdem conclusionem atque doctrina s. Anselmi, tendit doctrina Petri Lombardi, qui in Sent. I, d. 40, n. 3, nitens conciliare aeternam Dei praedestinationem cum contingenti eventu salutis, hanc sibi opponit difficultatem : Non possunt simul esse haec duo, scilicet aliquem esse praedestinatum et eumdem damnari ; sed modo non est possibile eum qui est praedestinatus, non esse praedestinatum : ab aeterno enim est praedestinatus, proindeque ejus praedestinatio modo jam virtualiter transiit in praeteritum; ergo modo non est possibile eum qui praedestinatus est, damnari, et, per consequens, qui praedestinatus est, de necessitate salvatur. Respondet autem negando eum qui ab aeterno est praedestinatus, non posse modo non esse praedestinatum. Qua sua responsione neutiquam intendit dicere, cum hac suppositione quod aliquis sit ab aeterno praedestinatus, posse stare eum modo non esse praedestinatum : secundum talem quippe sensum, uti ipse diserte notat, contradictoria simul verificarentur ; quare et addit, propositionem quam negat, propterea

esse falsam, quia in argumento quod sibi objecerat, sumitur in sensu diviso. Eatenus proinde secundum Magistrum etiam modo possibile est eum qui ab aeterno est praedestinatus, non esse praedestinatum, quatenus ipsa haec suppositio quod aliquis ab aeterno sit praedestinatus, aliqua ratione pendet ab eo quod modo fit in tempore, h. e. a cooperatione liberi arbitrii creati cum gratia. Sive, quod idem est, propterea secundum Magistrum praedestinatio Dei, utut sit facta ab aeterno, non imponit praedestinato necessitatem consequendi salutem, quia est in potestate praedestinati per actiones quas modo elicit in tempore, efficere ut numquam fuerit praedestinatus.

Hugo a sancto Victore.

174. Cum Magistro facit Hugo a sancto Victore, quando in sua Summa sententiarum, tractatu 1, cap. 12, tractans de praescientia et praedestinatione, asserit « IDEO verum esse eum qui praedestinatus est, posse damnari, QUIA qui praedestinatus est, posset non esse praedestinatus. » Ex tali quippe propositione ab eo asserta deducitur ideo modo possibile esse eum qui praedestinatus est, damnari, quia et modo possibile est eum qui praedestinatus est, non esse praedestinatum.

Gulielmus a sancto Theodorico et Algerus

175. Alia via in nostram sententiam tendunt Gulielmus a sancto Theodorico et Algerus : hi videlicet doctrinam consequentis electionis ad gloriam implicite asserunt, dicendo nonnisi dependenter a praescientia ei qualis quisque in tempore futurus sit ostendente Deum eos qui salvantur, praedestinasse. Ad cujus evidentiam advertendum est primo, duos illos auctores, quum praedictam propositionem efferunt, nomine praescientiae intendere significare praescientiam non absolutam, sed condicionatam, uti liquet ex eo quod ad praescientiam absolutam bonorum operum praesupponitur praedestinatio de qua loquuntur, quae est praedestinatio non solum gloriae, sed et gratiae. Advertendum est ulterius dupliciter intelligi posse, Deum nonnisi dependenter a praescientia sua condicionata bona electorum opera praedestinasse. *Primo* scilicet *modo* potest haec propositio intelligi ita ut per eam intendatur asseri Deum bona opera salvandorum non praedestinasse nisi dependenter a scientia sua condicionata ei ostendente non deesse ei gratias efficaces quibus infallibiliter bona illa opera a salvandis impetrare possit. Et

secundum talem modum intelligentiae etiam in sententia ponente electionem ad gloriam fieri ante praevisa merita gratiae, oportet dicere Deum non praedestinasse aliquem nisi dependenter a praescientia sua condicionata. *Alio modo* potest intelligi Deum nonnisi dependenter a praescientia sua condicionata praedestinasse aliquem, ita ut per talem propositionem intendatur asseri Deum non praedestinasse aliquem nisi dependenter a scientia sua condicionata ei ostendente qualis futurus esset exitus gratiarum praesentis ordinis, facta hypothesi quod is ordo gratiarum revera eligeretur a Deo. Et secundum talem modum intelligentiae nonnisi in sententia ponente gloriam praedestinari consequenter ad praevisa merita gratiae, verificatur Deum non praedestinasse eos qui sunt praedestinati, nisi dependenter a praescientia sua condicionata. Et hoc patet : in sententia enim antecedentis electionis ad gloriam necesse est dicere Deum, si per scientiam suam condicionatam praevidisset gratias quae modo conferuntur praedestinatis, futuras esse finaliter inefficaces, non hasce gratias, sed alias eisdem collaturum fuisse; proindeque in tali sententia dici non potest praedestinationem fieri dependenter ab usu gratiarum praesentis ordinis condicionate praeviso. Porro de posteriore modo praedestinandi dependenter a praescientia condicionata loquuntur Gulielmus a s. Theodorico et Algerus, quando asserunt Deum non praedestinasse eos quos praedestinavit, nisi dependenter a sua praescientia. Loquuntur enim de praescientia quadam bonorum operum quam Deus habet de solis electis : talis autem non est praescientia condicionata bonorum operum accepta secundum priorem modum explicationis, sed solummodo scientia condicionata bonorum operum accepta secundum posteriorem modum explicationis. Sic Gulielmus a s. Theodorico, in Meditativis orationibus, meditat. 1, asserit Deum « eos quos humiles fore praescivit, praedestinasse, eos vero quos superbos fore praescivit, reprobasse. » Et Algerus, in libello De libero arbitrio, cap. 2, sic ex praescientia, quam ait ad praedestinationem praesupponi, ostendit praedestinationem non obesse libero arbitrio. « Praedestinatio Dei, inquit, nulla vi cogit nos ad bonum vel ad malum ; sed Deus, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, ab aeterno ea quae futura sunt nobis, in conspectu suo

praesentia habuit; *et quales nos futuri essemus, tamquam praesentes oculo ad oculum vidit*, et quales nos [praescientia] aut ex pravitate nostra aut ex justitia sibi praesentavit, tales ut praesentes dijudicavit. » Adde quod uterque auctor, loquens de praedestinatione, prouti est praecise ad gloriam, diserte asserit eam esse ex meritis, quodque idcirco nullum inter praedestinationem sic consideratam et reprobationem, prouti est ad poenam, agnoscunt discrimen, quantum attinet ad ordinem quem utraque habet ad praescientiam absolutam meritorum. « Superbia, inquit Gulielmus a s. Theodorico loco supra citato, et meritum est et signum reprobationis, *sicut humilitas et meritum est et signum electionis* [ad gloriam]. Et Algerus, opere supra citato, cap. 4 : « Sicut *praedestinatio ad mortem*, inquit, non cogit malos ut pereant, sic etiam *praedestinatio ad vitam* non cogit bonos ut salventur. Sed quum Dominus bonos ad vitam praedestinavit, *ita eos praedestinavit ut ipsa sua praedestinatio meritis et precibus nostris obtineatur.* »

176. Disertissime autem eamdem doctrinam tradit Honorius Augustodunensis, in dialogo de praedestinatione et libero arbitrio, qui inscribitur Inevitabile : « *Qui praevisi sunt in bonis permansuri*, inquit, *ad gloriam sunt praedestinati*, qui vero praesciti sunt in malo vitam finituri, ad poenam sunt utique praeordinati. » Hinc praedestinationem sic generatim definit : « Nihil aliud est praedestinatio quam *pro meritis cujusque vel ad gloriam vel ad poenam aeterna Dei praeparatio.* » Honorius Augustodunensis.

177. Nec minus diserte eamdem sententiam defendunt proceres illi scholae qui divi Thomae temporibus vel proximi vel aequales fuerunt, Alexander Alensis, inquam, Albertus Magnus, s. Bonaventura et Henricus Gandavensis. E quibus Alexander Alensis, volens ostendere praedestinationem non esse omnium, quia voluntas salutis, in praedestinatione inclusa, non sit omnium, ita decernit in Summa, p. I, q. 28, memb. 2, a. 2 : « Voluntas uno modo se habet, sed voluntas cum praescientia non se habet aequaliter ad omnes; nec tamen hoc est propter diversitatem quae sit in praescientia [h. e. quae se teneat ex parte Dei praescientis], sed quia nos non habemus nos aequaliter ad ipsam; *unde praedestinatio non solum dicit voluntatem Dei, sed volunta-* Alexander Alensis. Albertus magnus, s. Bonaventura et Henricus Gandavensis.

tem Dei cum praescientia quod bene usuri sunt dono suo. Unde secundum Joannem Damascenum dicendum quod duplex est voluntas : est enim voluntas antecedens et voluntas consequens : voluntate antecedente vult Deus omnes homines salvos fieri : haec enim est voluntas quae respicit creaturam rationabilem ut salvabilem : *voluntas consequens est cum praescientia quod bene usurus est dono Dei : sic non vult omnes homines salvos fieri, sed electos solum ; et sic dicitur voluntas Dei rationabilis :* si enim vellet alicui finaliter salutem qui male usurus esset per liberum arbitrium, non esset justus. » Albertus Magnus, in Sent. I, d. 40, a. 11, tractans quaestionem utrum numerus electorum tam materialis quam formalis sit certus : « In praedestinatione, inquit, duo sunt, scientia tot [salvandorum] et voluntas tot [salvandorum] ; *et voluntas aliquid respicit in opere nostro, quia vult tot quot bene usuri sunt gratia danda ab ipso, et si plures essent bene usuri gratia, ab aeterno voluisset plures, et modo vellet plures.* » Tum Bonaventura, in Sent. I, d. 40, a. 3, q. 1, ad 2^m^, volens ostendere voluntatem salutis quae includitur in praedestinatione, habere rationem electionis : « Dicendum, inquit, quod est voluntas antecedens et consequens. Antecedens, qua vult, quantum in se est ; consequens, *qua vult cum praescientia nostrae salutis ;* et prima quidem est omnium, secunda vero non ; secundum hunc modum est dilectio duplex. Una quae respicit voluntatem antecedentem, et hac diligit omnes, et alia, quae respicit consequentem, et hac diligit omnes salvandos, *et haec est electio.* » Idem Bonaventura, in Sent. I, d. 41, a. 1, q. 2, quaerens « an praedestinatio et reprobatio habeat in Deo causam motivam, » respondet quod sic, si sermo sit de praedestinatione et reprobatione terminative sumptis, hancque suam responsionem, in quantum praecise procedit de praedestinatione, prouti est ad gloriam, et de reprobatione, prouti est ad poenam, tali ratione declarat : « Propter quod notandum quod quaedam sunt opera quae exeunt a voluntate divina cum alio ad hoc [h. e. ad illa opera] ordinato ordine necessitatis, sive necessitatem sumamus in causando, sive in merendo vel disponendo, ut pluere et remunerare, sive damnare et salvare ; *et respectu talium divina voluntas habet rationem in generali et in speciali.* Unde si quaeratur, quare Deus vult pluere,

respondetur, propter nostram utilitatem. Similiter habet rationem in speciali, ut si quaeratur, quare vult Deus pluere in hieme magis quam in aestate, tunc respondetur, quia humores aquosi magis in hieme abundant quam in aestate. *Similiter si quaeratur, quare magis voluit salvare Petrum quam Judam : respondetur*, quod ille habuit bona merita, ille non. » Henricus denique, in Quodlib. 4, q. 14, ait « consimiliter videri non esse vel esse meritum electionis vel reprobationis, et ita, licet malitia ex parte reprobati non sit causa damnandi ex parte Dei [h. e. ex parte actus reprobandi entitative considerati], quia tunc Deus esset passivus et temporale esset causa aeterni : tamen bene conceditur ex parte damnandi malitia esse ratio motiva *propter quam recipiatur in ipso aliqua actio et sit circa ipsum :* ergo a simili videtur ex alia parte [h. e. ex parte electionis] quod absque imperfectione Dei in agendo possit poni aliqua ratio ex parte praedestinati (1). »

(1) In argumento praejudiciali quod modo efformavimus non aliunde colligitur propositum quam ex eo quod in asserendo gloriam praedestinari ex praevisis meritis, omnes illi antiquiores theologiae tractatores qui vel divum Thomam aetate antegressi sunt vel eidem coaetanei fuerunt, inveniuntur ferme unanimiter concordare. Quare nihil officit vi et efficaciae praedicti argumenti quod circa alia quaedam quae de praedestinatione quaeruntur, nonnulli ex antiquioribus illis doctoribus in dissensu a ceteris quasdam sententias defenderunt quibus doctrina divi Thomae manifesto adversatur. Talis est inprimis celebris illa sententia Alexandri Alensis, impugnata a s. Doctore in I^a, q. 23, a. 5, qua asseritur praedestinationis consideratae quoad totalem suum effectum posse assignari rationem non solum in generali, sed etiam in speciali, talem videlicet rationem esse bonum usum gratiae praescitum a Deo. « Secundum rem, inquit Alexander, in Summa, parte I, q. 28, membro 3, art. 3, idem est in Deo praescientia et praedestinatio secundum principale significatum : tamen secundum rationem intelligentiae differunt, *et ideo unum potest dici ratio alterius, non causa.* Et hoc voluit dicere Augustinus, quum dixit : Voluntas Dei ex ratione est. Quod ergo objicitur [ex Augustino] ; Non ideo elegit [quia tales non futuros esse praescivit], si « *ideo* » dicit causam, verum est : si rationem, falsum est : quia praescientia meritorum dicit rationem voluntatis [praedestinantis] : nec tamen ex hoc sequitur quod ipsa merita [considerata secundum esse suum temporale] sint ratio sive causa voluntatis » Et paulo inferius, respondens ad tertium argumentum quod contra talem solutionem induxerat : « Ad illud quod objicitur, inquit, quod Dominus dat [gratiam gratum facientem] illi qui non bene est usurus [gratia], dicendum quod hoc est ratione bonitatis quod dat illi qui [ante receptam

Examen doctrinae s. Thomae.

178. Sed jam per se et directe examinanda est doctrina magistri angelici de voluntate Dei salvante et praedestinante

gratiam] facit quod in se est; sed ratione aequitatis est quod dat illi [gratiam gratum facientem] quem scit [ea] bene usurum esse. »

Hanc Alensis opinionem secutus est Albertus Magnus, in Summa, parte I, q. 63, membro 3, art. 1, ubi ad hanc quaestionem « utrum praedestinatio habeat causam meritoriam in praescientia Dei praevisam », ita respondet : « Dicendum quod merita in praescientia Dei non sunt causa praedestinationis : principale enim significatum praedestinationis est praeparatio gratiae, et illa causam habere non potest nisi voluntatem Dei. Tamen quia praescientia meritorum secundum rationem intelligentiae informat voluntatem praeparantem gratiam, eo quod, sicut dicit Augustinus, voluntas ex ratione est, non video quid prohibeat quin praescientia meritorum ratio sit [praedestinandi gratiam]. » Dixerat autem ibidem paulo superius rationem hanc praedestinandi gratiam non esse *antecedentem* sed *concomitantem*, eam videlicet consistere non in praevisis meritis gratiam antecedentibus, sed in praevisis meritis gratiam consequentibus. Eamdem porro sententiam adhuc asseverantius tradidit postea in Sent. I, d. 41, a. 3, in fine, ubi judicium ferens de rationibus quas pro illa sententia adduxerat, ita pronuntiat : « Illae rationes non tangunt nisi quod voluntas Dei [praedestinans] sit rationabilis ex parte effectus et voliti, et hoc jam concessum est, licet in se nullam habeat causam. »

Uti autem apparet ex verbis modo recitatis, Alensis et Albertus, quando ponunt rationem praedestinationis esse bonum usum gratiae praescitum a Deo, principaliter intendunt loqui de praedestinatione ad gratiam. Et quidem nomine gratiae ipsi intendunt significare gratiam gratum facientem, uti accipitur — tum ex diserta ipsorum declaratione plurimis locis expressa — tum ex constanti usu omnium veterum scholasticorum hoc habente ut nomen gratiae simpliciter positum non usurpetur nisi de sola gratia gratificante. Et propterea videri posset praedictos auctores actus bonos qui praecedunt justificationem, ab effectu praedestinationis exclusisse. Augetque hanc suspicionem quod in Sent. I, d. 40, a. 3, ad 2^{m}, Albertus, agens de definitione praedestinationis, ait praedestinationem esse trium, scilicet, gratiae, meriti [proprie dicti] et gloriae. In oppositum tamen est quod praedicti auctores per *bonum usum gratiae* videntur significare non solum bonos actus quibus *cooperamur gratiae gratum facienti jam habitae*, sed etiam bonos actus quibus hanc gratiam recipimus sive acceptamus ; tales porro actus sunt ii omnes quibus, motione gratiae actualis praeventi et adjuti, nos disponimus ad justificationem. Et propterea dicendum videtur Alexandrum et Albertum nomine gratiae significasse gratiam gratum facientem, prout haec sumitur complexive cum aliis gratiis actualibus eam praecedentibus et eam etiam sequentibus. Quidquid tamen sit de eorum mente hac in re, haec duo ex diserta utriusque declaratione sunt certissima, scilicet a) quando dicunt gratiam praedestinari propter bonum usum gratiae praescitum a Deo, eos non loqui nisi de gratia usque in finem vitae data, eo quod solummodo gratia sic accepta est proprius praedestinationis effectus, ideoque b) bonum illum usum gratiae, cujus prae-

ostendendumque eam, quantum attinet ad id de quo in materia praedestinationis est controversia inter nos et ad-

visionem aiunt esse rationem praedestinationis, non esse ex eorum mente nisi bonum usum gratiae finaliter habitum, h. e. usque ad finem vitae perdurantem.

Non autem existimandum est Alensem et Albertum simpliciter et sine ulla distinctione intendisse asserere bonum usum gratiae praescitum a Deo, qui est effectus praedestinationis, esse praedestinationis causam sive rationem, et sic per summam absurditatem eos posuisse idem respectu ejusdem esse simul causam et effectum. Hoc existimandum non est, inquam; nam, uti advertit divus Thomas, in I^a, q. 23, a. 5, ambo illi auctores videntur distinxisse inter id quod est ex gratia et id quod est ex libero arbitrio. Sive, quod idem est, ipsi videntur posuisse bonum usum gratiae posse spectari dupliciter, nempe a) praecise prouti est ex gratia, et de bono usu gratiae tali modo spectato dixerunt eum esse tantum praedestinationis effectum, et non causam ejusdem, et b) praecise prouti est ex libero arbitrio acceptante gratiam et cooperante eidem, et de bono usu gratiae tali modo spectato dixerunt eum, prouti est in praescientia divina, esse praedestinationis causam. Certe sub tali distinctione esse accipiendum id quod ipse asserit de praevisione boni usus gratiae tamquam habenda pro ratione praedestinationis, haud obscure innuit Albertus, in Sent. I, d. 41, a. 3, ita ibi obviando difficultati quae ex sua sententia oriri videbatur: « Si forte tu dicas quod praedestinatio non potest esse ex meritis: quia meritum omne ex gratia est, et ita gratia, quae est effectus praedestinationis, praecedit omne meritum: ergo meritum procedit potius ex praedestinatione, quam e converso. Illud nihil videtur esse: quum tamen haec solutio scripta sit in littera [operis Sententiarum Magistri]: quia simile non potest dici de reprobatione: ibi enim non praeparatur poena nisi operi nostro, quod a nobis est, non a Deo. Item, licet meritum sit a gratia, *et gratia non a nobis: tamen*, ut dicit Augustinus, *hoc utrumque nostrum est propter consensum liberi arbitrii, et sic ille consensus praevisus potest esse causa praedestinationis aliquorum*, et dissensus causa reprobationis, et sic patet quod illa solutio non solvit dubitationem quaestionis. »

Apertissime vero ad omnem absurditatis speciem a praedicta opinione amoliendam usus est distinctione modo declarata Henricus Gandavensis, qui jam adducendus est ut tertius idemque nominatissimus illius opinionis auctor. Qui quidem maluit dicere rationem praedestinationis esse bonum usum liberi arbitrii, praevisum a Deo; in qua tamen sua propositione idipsum intendit significare per *bonum usum liberi arbitrii* quod Alensis et Albertus voluerunt expressum per *bonum usum gratiae*. Limitavit autem hujus suae propositionis sensum tam ex parte ejus subjecti quam ex parte ejus praedicati. Scilicet a) quod attinet ad praedicatum propositionis a se assertae, dixit bonum usum liberi arbitrii non esse rationem praedestinationis per modum *causae meritoriae* sive *causae propter quam*, sed solummodo per modum *causae sine qua non*. Et eatenus censuit in sua sententia salvari omnimodam gratuitatem praedestinationis. « Descendendo ad quaestionem, inquit in Quodlibeto 4,

versarios, plene concordare cum sententia quam proxime demonstravimus jamdudum aetate s. Doctoris fuisse inter tractatores theologiae communissimam. Sit itaque.

q. 19, dico quod in isto singulari praedestinato quocumque est assignare causam et rationem praedestinationis suae : non secundum rationem qua ipsa praedestinatio actio voluntatis est in praedestinante [h. e. non secundum quod praedestinatio entitative sumitur], sed secundum rationem qua connotat effectum receptum in praedestinato [h. e. secundum quod praedestinatio sumitur terminative]. *Non dico causam sive rationem meritoriam propter quam fit, sed congruentiae sine qua non, ut expositum est.* » Quod vero attinet ad subjectum propositionis a se assertae, sic declaravit Henricus distinctionem cujus ope a bono usu liberii arbitrii, secundum quod ponitur esse causa praedestinationis, removetur ratio effectus praedestinationis. « Bene verum est, inquit in Quodlibeto 8, q. 5, quod actus sive operatio ab utroque est, scilicet a gratia et libero arbitrio simul, ita quod a neutro esset per se, et quod plus est a gratia quam a libero arbitrio ; quia plus virium dat gratia libero arbitrio quam habeat ex se et suis naturalibus. *Aliquid tamen agit in opere ex suis naturalibus*, licet nonnisi cum gratia : *ut, licet ex se et suis naturalibus non operetur, ex eis tamen cooperetur.* Et sic tam ratione gratiae omnino quam ratione operis principaliter, bene verum est quod non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Ratione tamen liberi arbitrii in cooperando, aliquo modo est volentis et currentis, *ut saltem hoc, ut est existens in praescientia Dei, sit ratio electionis aeternae respectu electi, et ita praedestinationis, quia quodammodo non includitur sub praedestinatione neque sub ejus effectu, licet non sit sine ejus effectu*, nec sit [realiter] distinctum quod est praedestinationis ab eo quod est liberi arbitrii. » Et ibidem, aliquanto inferius : « Et potest dici, inquit, secundum praedicta, quod licet effectus totius praedestinationis quoad substantiam et habitum gratiae [gratum facientis] et essentiam operationis meritoriae totius, in quantum totum est effectus gratiae, totum pertinet ad effectum praedestinationis ; *tamen in quantum in toto liberum arbitrium cooperatur, et aliquid ex se agit, licet nihil agat, nisi idem agatur a gratia, tamen, in quantum fit a libero arbitrio, potest esse totum, secundum quod fit a libero arbitrio, ratio totius praedestinationis modo praeexposito.* »

Referendi sunt etiam pro modo dicendi Henrici duo alii insignes scholastici medii aevi, qui tamen post tempora divi Thomae docuerunt, Thomas videlicet Argentinas et Joannes Bacconius. Verum quidem est, quod speciatim attinet ad Thomam Argentinam, ei tribui a Gregorio a Valentia (in I^{am}, q. 23, puncto 4, § 3) Tanner (de Deo, disp. 3, q. 4, dub. 4) et Wiggers (in I^{am}, q. 23, a. 5) sententiam satis diversam a sententia Henrici, aiunt videlicet eum rationem praedestinationis unice assignasse ex bonis operibus moralibus gratiam praecedentibus. Verum hosce auctores mentem Thomae Argentinae non satis perspectam habuisse, patebit si verba hujus scholastici rite perpendantur. Etenim a) in Sent. I, d. 41, q. 1, ubi suam opinionem exponit, ita pronuntiat : « Dico, salvo tamen meliore judicio, quod causa praedestina-

Propositio.

Ex mente s. Thomae praedestinationem, prouti est praecise ad gloriam, fieri post praevisa merita gratiae, liquet — tum a) ex explicatione a s. Doctore adhibita distinctioni voluntatis Dei salvificae in antecedentem et consequentem — tum b) ex iis quae, jam data opera tractans de voluntate Dei praedestinante, ipse perhibet de ratione praedestinationis consideratae prae peculiari aliquo suo effectu, de ordine dependentiae quo in divina praedestinatione colligantur inter se beneficia Dei supernaturalia, de necessaria praesuppositione praescientiae ad praedestinationem, denique de ratione conciliandi praedestinationem et reprobationem cum contingenti eventu salutis praedestinatorum et damnationis reproborum.

Loci praecipui operum s. Thomae in quibus tractatur de distinctione voluntatis divinae in antecedentem et consequentem.

179. I. **Divisio voluntatis Dei salvificae in antecedentem et consequentem.** Quum peculiaris illa voluntas qua Deus vult salutem electorum, pertineat ad voluntatem Dei consequentem, quippe quae sola, uti perhibet s. Thomas in Sent. I, d. 47, q. 1, a. 1 et in I^{a}, q. 19, a. 6, ad 1^{m}, sit voluntas efficax et absoluta, manifestum est quaerere utrum ex mente s. Doctoris electio ad gloriam facta sit omnino gratis an ex praevisione meritorum, perinde esse atque quaerere prae-

tionis ipsorum adultorum videtur esse *bonus usus liberi arbitrii, ab aeterno a Deo praecognitus, finaliter duraturus*. » Declaransque b) haec sua ultima verba : « Dico autem notanter *finalem* seu *finaliter*, inquit, quia nihil obstat quin reprobatus habeat bonum usum liberi arbitrii in praesenti, praevidit tamen Deus quod, sua libertate abutendo, ab hujusmodi bono usu finaliter se avertet : igitur nec gratiam finalem habebit in praesenti, nec gloriam in futuro. » Tum c) contra suam sententiam arguens, inducit eamdem difficultatem quam sibi opposuerat Henricus. Ita videlicet arguit : « Quod est effectus praedestinationis, non potest esse causa ejus, sed bonus usus liberi arbitrii est effectus praedestinationis, ergo non valet illud quod superius dixisti. » Solvit autem d) argumentum, eadem adhibita distinctione quam adhibuerat Henricus : « Dicendum, inquit, quod bonus usus liberi arbitrii potest dupliciter intelligi. *Uno modo, ut est meritorius vitae aeternae de condigno vel etiam de congruo* secundum propinquam dispositionem vel motionem ad gratiam gratum facientem, de qua motione dicetur infra. *Secundo potest accipi bonus usus liberi arbitrii penes bonitatem morum, in quam bonitatem potest homo ex puris naturalibus*, de qua etiam bonitate scripserunt philosophi morales. *Primo ergo modo* accipiendo bonitatem liberi arbitrii, sic minor est vera [nempe sic verum est dicere bonum usum liberi arbitrii esse effectum praedestinationis]. *Secundo modo* accipiendo

quonam termino ex ipsius mente voluntas Dei salvandi homines distinguatur in antecedentem et consequentem. Si

hujusmodi bonitatem, minor non est vera [h. e. sic non est verum dicere bonum usum liberi arbitrii esse effectum praedestinationis], quia non oportet illam bonitatem reducere in supernaturale principium, sed sufficit ad eam consequendam bona consuetudo hominis, praesupposita communi et universali Dei influentia, et de hac bonitate locutus sum superius. » En, non distinguit hic Argentinas inter duplicem usum liberi arbitrii, unum *qui* sit meritorius, alterum *qui* sit moraliter tantum bonus, sed ait bonum usum liberi arbitrii posse dupliciter intelligi, nempe vel *ut* est meritorius, vel *penes* bonitatem moralem, hoc suo modo loquendi manifestans se loqui de uno eodemque bono usu liberi arbitrii, cujus sit duplex quasi aspectus sive considerationis modus. Et ne dubites eum loqui de uno eodemque bono usu qui partialiter sit a gratia, partialiter a libero arbitrio, hoc manifesto habetur ex Gregorio Ariminensi, coaetaneo Thomae ab Argentino et, sicut ille, instituti eremitarum s. Augustini professore. Hic videlicet, in Sent. I, d. 40 et 41, a. 2, referens modum dicendi Henrici, tantum non transcribit verba quibus suam sententiam exponit et defendit Argentinas. « Alii dixerunt, inquit, quod usus bonus liberi arbitrii dupliciter considerari potest. *Uno modo*, in quantum procedit PARTIALITER a gratia, et *est bonus bonitate gratuita vel meritoria secundum quid* : sic non est secundum eos causa praedestinationis, sed effectus. *Alio modo*, ut procedit ab ipso libero arbitrio, *et est bonus bonitate morali* : et sic est causa praedestinationis, i. e. de congruo, licet non de condigno. »

Ejusdem autem sententiae esse etiam Joannem a Baconio, ostendunt haec ejus verba in Sent. I, d. 41, q. 1 : « Deus non praedestinat aliquem, quia voluit praecise, sed propter aliquam congruentiam in praedestinato, *scilicet quia vidit bonum usum liberi arbitrii ejus*, qui usus est in potestate praedestinati et contingens, et ideo praedestinatio hujus est contingens et necessaria solum ex suppositione. *Dico enim quod bonus usus liberi arbitrii potest contingere dupliciter*, *primo quod sit bonus bonitate moris*, quae est in potestate nostra ex naturalibus, supposita influentia consequente; qua bonitate operationes virtutum moralium de quibus determinant philosophi, bonae sunt; *secundo* quod sit bonus bonitate supernaturali, quae dicitur bonitas gratuita, per quam aliquis dicitur gratus et acceptus Deo. *Primo modo* intelligo quod bonus usus liberi arbitrii praecognitus est causa praedestinationis ex congruo, non ex condigno : secundo modo est effectus praedestinationis, ut probat auctoritas Pauli ad Eph. : Gratia Dei salvati estis per fidem, et hoc non ex vobis : Dei enim donum est, et 2 Tim. I : Misericordiam Dei consecutus sum, et Tit. I : Non ex operibus justitiae quae fecimus nos. »

Reprobatur autem praedictus modus dicendi hisce rationibus. a) Ejus auctores non satis se elongant a via Massiliensium : conveniunt enim cum Massiliensibus in dicendo aliquid quod liberum arbitrium habet ex suis puris naturalibus, esse causam praedestinationis, ideoque et hoc esse causam gratiae : quod vero differunt a Massiliensibus dicendo hoc non esse aliquid

videlicet talem terminum s. Doctor cum Bannesianis reponat in circumstantiis quibusdam independentibus a bono vel malo

quod gratiam praecedat, sed quod gratiam sequatur quodque adeo cum ipso bono usu gratiae realiter identificetur, hoc non videtur facere inter eos et Massilienses discrimen formale, sed discrimen mere materiale, saltem si, quod verius est, Massilienses dicantur posuisse initium fidei ex puris naturalibus habitum, non esse meritorium gratiae de condigno, sed tantummodo secundum aliquam congruitatem. — b) Hoc quod est *recipere gratiam* et *cooperari gratiae*, non habet liberum arbitrium ex se solo, sed ex se, ut est motum a gratia : non enim potest in hoc, nisi secundum quod est praeventum a gratia et adjutum a gratia ; falsum est ergo id quod supponunt praedicti auctores, in bonis operibus scilicet ex gratia factis posse distingui aliquid quod sit ex solo libero arbitrio quodque idcirco, tamquam non contentum sub effectu praedestinationis, possit esse praedestinationis causa. — Huc accedit c) quod multi accipiunt gratiam qui tamen suo libero arbitrio ea non bene utuntur, quodque, per consequens, bonus usus gratiae praevisus a Deo non est ratio cur Deus alicui velit dare gratiam. Et si dicatur, sicut revera dicunt isti auctores, bonum usum liberi arbitrii finaliter perdurantem esse rationem cur Deus solis electis velit dare gratiam finaliter habitam, hoc autem non excludi ratione modo facta ; si sic dicatur, inquam, ergo jam conceditur non ipsam gratiam, sed solummodo finalem permanentiam gratiae esse id quod Deus voluerit largiri propter praevisum bonum usum liberi arbitrii, et, per consequens, sic jam falsum redditur praevisum bonum usum liberi arbitrii esse rationem praedestinationis quoad totalem hujus effectum. Et si etiam contra hoc dicatur gratiam non esse objectum praedestinationis, nisi secundum quod conjungitur cum perseverantia finali in bono, ergo, si praecise loquamur de gratia, prouti est objectum praedestinationis, sic verum manere eam non esse volitam a Deo voluntate praedestinante nisi propter praevisum bonum usum liberi arbitrii finaliter perdurantem ; si etiam sic dicatur, inquam, respondetur tali replica ostendi quidem in nostra esse potestate efficere ut voluntas Dei nobis dandi gratiam habeat potius rationem praedestinationis quam rationem communis providentiae supernaturalis, non tamen propter hoc verum esse dicere ex parte nostra posse assignari causam praedestinationis simpliciter sumptae, quia ad hoc posterius verificandum oporteret in nostra esse potestate ut Deus nobis dare decreverit talem gratiarum seriem de qua condicionate praeviderit eam in nobis conjunctum iri cum finali bono usu liberi arbitrii, potius quam aliam gratiarum seriem de qua condicionate praeviderit eam in nobis conjunctum iri cum finali libertatis abusu.

Ceterum, si non verba quibus utuntur praedicti auctores, sed res ipsa quam intendunt significare spectetur, dicendum videtur eorum mentem ab errore ferme immunem fuisse, idque maxime propter instantiam ex eorum persona ultimo loco inductam. Nempe, ad rem ipsam quod attinet, nihil aliud videntur voluisse asserere auctores memoratae sententiae quam haec duo tantummodo, scilicet a) sicut per actus ex gratia actuali elicitos quibus nos remote

usu liberi arbitrii creati, puta in exigentiis emergentibus ex pulchritudine ordinis, prouti hic unice venit a Deo, necesse

disponimus ad justificationem, meremur gratias actuales quibus nos proxime disponimus ad eamdem justificationem, et per actus nos proxime disponentes meremur ipsam gratiam sanctificantem, et per actus bonos in statu gratiae factos meremur ulteriorem gratiam ac tandem ipsam gloriam, ita, eodem plane ordine, per actus quibus nos remote disponimus ad justificationem, nos mereri ut *Deus velit* nobis dare gratias requisitas ad actus nos proxime disponentes, et per actus ex talibus gratiis elicitos nos mereri ut *Deus velit* nobis dare ipsam habitualem gratiam, et per actus in statu habitualis gratiae factos nos mereri ut *Deus velit* nobis dare gratias ulteriores ac tandem gloriam, et b) totam seriem actuum illorum bonorum quibus primum nos disponimus ad gratiam et deinde ei cooperamur, quatenus haec series usque ad finem vitae pertingit, esse condicionem sine qua non ex parte praedesti nati requisitam ad hoc ut voluntas Dei ei dandi gratias habeat rationem praedestinationis potius quam rationem communis providentiae supernaturalis. Et hoc totum verum est; non tamen inde accipitur ratio dicendi posse assignari ex parte praedestinati causam totius ejus praedestinationis, uti jam aliquatenus apparet ex dictis et uti magis adhuc apparebit ex postea dicendis.

Sunt et alii modi dicendi qui de causa praedestinationis a nonnulis medii aevi scholasticis defensi sunt, quos operae pretium fuerit hic succinte accensuisse, ut totius hujus controversiae, qualis et quanta fuerit, lector sibi notionem mente informare queat.

Est itaque *secundus dicendi modus*, qui est s. Bonaventurae, qui posuit non habere quidem praedestinationem et reprobationem ex parte nostra rationem causalem sive meritoriam, eam tamen habere ex parte nostra rationem congruentiae sive decentiae, et hoc tam in generali [h. e. ita ut adsit ratio cur in genere quidam sint praedestinati, quidam vero reprobati] quam in speciali [h. e. ita ut adsit etiam ratio cur in individuo hic homo sit praedestinatus, ille sit reprobatus]; quaenam tamen sit ratio specialis cur hic homo sit praedestinatus, ille vero sit reprobatus, nobis esse occultum, quia multae possint esse rationes congruentiae, et quia, per consequens, cum nulla de hoc sit certitudo ex natura rei, hoc non possit sciri nisi ex revelatione divina, quae nulla de hoc habetur; et propterea Apostolum, Rom. XI, 33, 34, non ausum esse hanc rationem inquirere, sed ostendisse defectum nostrae intelligentiae, quum exclamavit : O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei : quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et investigabiles viae ejus! Ita Doctor seraphicus in Sent. I, d. 41, a. 1, q. 2; eamdemque sententiam secutus est postea Dionysius Carthusianus, in Sent. I, d. 41, q. 1.

Approbat tamen ibidem Doctor seraphicus sententiam Alexandri et Alberti, non quidem ut certam, quia sic sibi contradiceret, sed uti probabilem; hoc enim accipitur ex ejus responsione ad argumentum quod sexto loco induxerat pro parte adversa. Ita videlicet ibi objecerat : « Si Deus praedestinavit istum propter praevisionem, aut ergo bonorum aut malorum aut indifferentium;

est dicere ab ipso sentiri electionem ad gloriam factam esse ante praevisa merita gratiae. Contra, si terminum illum

non propter praevisionem indifferentium et malorum : ergo propter praevisionem bonorum ; *sed bona nulla futura sunt in isto, nisi quae Deus sua voluntate facturus est ; ergo praevisio est propter voluntatem et non e converso.* » Responsio autem ejus est talis : « Ad illud quod quaeritur, propter quam praevisionem, *dicendum quod* POTEST ESSE *propter praevisionem bonorum*, UT ALIQUO MODO SUNT A LIBERO ARBITRIO : propter quorum tamen praevisionem nec scio determinare, nec volo quaerere, nec est ratio nisi congruitatis. UNDE ET ALIA POTEST ESSE QUAM HAEC. »

Sic autem parum videtur interesse inter sententiam doctoris seraphici et sententiam Henrici. Nam et Henricus, in Quoblib. 4, q. 19, dixerat rationem cur in particulari Deus hunc praedestinet potius quam illum, se tenere quidem ex parte hominis praedestinati, eam tamen nobis esse occultam, h. e. eam non esse certitudinaliter vestigabilem. « Ex parte unius istorum, inquit, respicitur aliquid sine quo nullo modo esset praeferendus. Quod est ratio praeferendi istum alteri : et hoc non ex parte Dei, et respectu actus ejus, ut est ab ipso et in ipso [h. e. non respectu voluntatis divinae entitative consideratae] sed ex parte subjecti in nobis, et respectu actus, ut effectus ejus habet recipi in nobis [h. e respectu voluntatis divinae terminative sumptae]. *Sed tale quid sit, omnino nobis investigabile est*, et est opus clamare cum Apostolo : O altitudo! Unde super illud Eph. III : *Ut possitis comprehendere*, glossa [dicit] : Quia isti dat, illi non dat, de profundo judiciorum Dei procedit, quod scrutari nequimus. » Ex quibus Henrici verbis apparet eum sententiam illam suam qua dixit bona opera gratiam sequentia, ut sunt a libero arbitrio, esse rationem praedestinationis, proposuisse ut probabilem tantum, non vero ut certo demonstrabilem.

Tertius modus dicendi est Javelli, O. P., qui in proprio opusculo de praedestinatione adjuncto primae parti Summae s. Thomae editionis Lugdunensis a. 1581 et editionis Antverpiensis a. 1612 asserit rationem praedestinationis consideratae quoad totalem suum effectum esse opera bona moralia praedestinati, gratiam gratum facientem antecedentia. « Est alia via, inquit capite 5 opusculi citati, quae ponit rationem [praedestinationis et reprobationis] ex parte praedestinati et reprobati, et haec ratio est usus bonus liberi arbitrii moralis antecedens gratiam [gratum facientem], ut dispositio congrua, non tamen condigna ad gratiam [gratum facientem] et elicita a libero arbitrio moto a Deo, non solum ut universali movente, *sed influente in nobis particulare auxilium*, quo simus sufficientes, etiam remota gratia [gratum faciente], producere bonos actus morales, ut temperate vivere, justa agere, defendere patriam, misereri oppressi ; et iste bonus usus, ut praevisus a Deo in Jacob, est ratio quod praedestinetur, et ex opposito malus usus arbitrii liberi moralis moti a Deo, ut universali motore, reddens hominem indignum gratia, est ratio quod Judas reprobetur. » Tum postquam declaravit singulas hujus suae positionis partes atque speciatim notavit auxilia illa Dei specialia de quibus praelocutus fuerat, non excedere quidem ordinem naturalem, sufficere tamen

prae quo attenditur discrimen voluntatis Dei salvificae consequentis a voluntate Dei salvifica antecedente, ipse unice

ut eorum ope homo se disponat ad gratiam dispositione congrua, distinguit in Deo quinque instantia rationis, talem continentia processum actuum divinorum. In primo instanti Deus voluntate antecedente aeque vult salutem Jacob [h. e. omnibus praedestinatis] et Esau [h. e. omnibus reprobis]. In secundo instanti Deus apprehendens Jacob et Esau, utpote libero arbitrio praeditos, esse defectibiles et indigentes lege, proponit eis inserere legem naturalem per lumen intellectus agentis atque adeo eis etiam adhibere legem scriptam, prout sapientia sua judicaverit. In tertio instanti Deus statuit movere Jacob et Esau duplici auxilio, scilicet et universali, ut agant prout libet, et speciali, ut bene agant. Et illa tria, inquit, non continentur sub praedestinatione, sed sunt praeparatoria ad eam. In quarto instanti Deus praevidens Jacob acceptaturum esse auxilium utrumque, quo reddetur sufficiens ad producendum bonos actus morales, Esau e contra acceptaturum solum auxilium universale, quo utetur non in bonum sed in malum. Jacob voluntate consequente eligit ad vitam aeternam, Esau vero voluntate consequente destinat ad damnationem aeternam. In quinto instanti Deus apprehendens bonos actus morales non esse media condigna ad gloriam aeternam, decernit dare voluntate consequente Jacob tertium auxilium, scilicet gratiam [gratum facientem] quo producat actus meritorios et condignos ad vitam aeternam, et ibi completur praedestinatio Jacob. Esau vero proponit Deus voluntate consequente non conferre gratiam, eo quod indispositum se reddidit, ex quo sequitur induratio et excaecatio, qui sunt effectus reprobationis, et ibi completur reprobatio Esau.

Non autem incidit haec positio Javelli in damnatum errorem semipelagianorum, uti falso asserit Bannez (in Iam, q. 23, a. 5). Massilienses enim nulla auxilia Dei specialia admiserunt tamquam necessaria respectu illius conatus naturalis sive initii fidei quod ipsi ponebant esse rationem praedestinationis et gratiae a Deo accipiendae. Quum tamen Javellus talia auxilia, quae reipsa ad gratiam Dei vocantem pertinent, licet aliter ipse loquatur, omnino requirat ad actus illos bonos morales quos ait esse dispositionem congruam ad gratiam et rationem praedestinationis. Multique sane sunt veteres qui posuerunt actus habentes bonitatem mere naturalem, elicitos tamen ex speciali Dei auxilio ordinis naturalis, esse dispositionem sufficientem ad gratiam Dei impetrandam. In quibus sunt Richardus a Mediavilla (in II, d. 28, a. 1, q. 1), Scotus (in Sent. IV, d. 14, q. 2), Durandus (ibid, q. 5, n. 7), Gabriel (in Sent. II, d. 27, q. 1, aa. 2 et 3) et ipse adeo Cajetanus (in Ia IIa, q. 109).

Erronea est tamen positio illa Javelli, non solum a) quia actus quibus aliquis se praeparat ad gratiam, sunt boni bonitate supernaturali, et non bonitate mere naturali, ut ipse dicit, sed etiam b) quia actus illi, utpote profecti ex auxilio Dei speciali et remote conducentes ad salutem, sunt effectus praedestinationis et sic non possunt esse ejus causa. Accedit c) quod ex positione Javelli sequitur omnes illos adultos qui, praeparando se, per proprios suos

reponat in praeviso bono vel malo usu liberi arbitrii creati, necesse est dicere ex ipsius sententia electionem ad gloriam esse factam post praevisa merita gratiae.

actus aliquando pervenerunt ad justificationem, esse praedestinatos ad gloriam : omnes enim illi habuerunt bonos illos actus gratiam praecedentes, quibus praevisis in aliquo homine, ipse ait hunc hominem praedestinari a Deo. Et sic oporteret etiam dicere, nullum reprobum unquam tempore vitae propriis suis actibus pervenisse ad justificationem. Quod patet continere errorem reformatorum saeculi XVI, qui posuerunt justitiam semel habitam esse inamissibilem. Insuper d) quid haberet dicere Javellus de illis adultis praedestinatis qui justitiam in infantili aetate per baptismum acceperunt et eam numquam deinceps progressu aetatis amiserunt? Non enim de talibus potest dici eos praedestinatos esse propter actus naturaliter tantum bonos qui in eis gratiam praecesserint.

Illud advertendum superest, Javellum capite 2 opusculi supra citati asserere, id quod, uti antea notavimus, asseruerunt ante ipsum s. Bonaventura et Henricus, s. Paulum, exclamando in ep. ad Rom, c. XI : O altitudo! docuisse rationem cur in speciali ille sit praedestinatus, ille reprobus, non posse certo nobis innotescere, atque eatenus « hoc totum esse inscrutabile. » Et propterea ipse suam sententiam proponit solummodo ut rationabilem, h. e. uti mere probabilem. Falsus est ergo Bannez, quando ait in I^a, q. 23, a. 5, tantam esse temeritatem Javelli cum arrogantia conjunctam ut ipse audeat definire quaestionem quam fateatur neque s. Paulum, neque s. Augustinum, neque s. Thomam definivisse. Non enim hoc eo sensu quem ei imponit Bannes, dicit Javellus, sed intendit dicere ex exclamatione Pauli consequens esse s. Augustinum et s. Thomam, quum suam sententiam de ratione praedestinationis proposuerunt, eam non ut certam defendisse ; inde porro ipse infert etiam sibi licitum esse id quod sibi probabilius apparet, in praesenti quaestione sectari. « Igitur, inquit, quod [h. e. quia] Paulus id determinare [h. e. certitudinaliter definire] non potuerit, [idcirco] nec Augustinus, nec Magister sententiarum, nec s. Thomas, nec Scotus id consecuti sunt [ut hoc videlicet certitudinaliter definirent] : sed quilibet illorum illum sensum secutus est, *qui rationabilior sibi videbatur. Ex quibus infero* quod illam OPINIONEM nos sequi decet quae videtur magis et apertius servare rectitudinem divinam, sustentare spem fidelium, fugere occasiones desperationis, defensare certitudinem praedestinationis cum libertate arbitrii.

Sunt et alii auctores, etiam inter eos qui saeculo XVI scripserunt, qui, uti v. g. Eckius, in Chrysopasso, posuerunt opera bona ante justificationem facta esse rationem praedestinationis totaliter sumptae, qui tamen hanc suam sententiam explicaverunt dicentes nos propter praedicta opera mereri de congruo praedestinationem ad gratiam, propter opera vero ex gratia facta nos mereri de condigno praedestinationem ad gloriam. Et haec eorum sententia vera est, quantum ad id quod affirmat de praedestinatione, prouti est praecise ad gratiam gratum facientem et ad gloriam. Sed in hoc peccat quod supponit praedestinationem totalem incipere a gratia gratum faciente, et sic, quum

Tractat autem Angelicus de distinctione illa voluntatis Dei salvificae in antecedentem et consequentem, quum aliis

asserit rationem praedestinationis simpliciter acceptae esse bona opera quibus aliquis se ad justificationem disponit, assignat pro causa praedestinationis id quod revera est praedestinationis effectus.

Est denique *quartus dicendi modus*, qui est Petri Aureoli, in Sent. I. d. 41, q. unica, a. 1, qui asserit posse quidem reprobationis totaliter sumptae assignari rationem positivam ex parte reprobati, hanc videlicet rationem consistere in malo usu liberi arbitrii considerati quantum ad id quod valet ex se et sine gratia, quo quidem malo usu aliquis obicem ponit gratiae divinae; at praedestinationis talem rationem assignari non posse, quum omnis bonus usus liberi arbitrii in praedestinato, sive praecedat receptionem gratiae gratum facientis, sive eam sequatur, sit effectus praedestinationis; oportere tamen posse assignari ex parte praedestinati causam praedestinationis negativam, hanc porro consistere in aliquo non sequente effectum praedestinationis, sed eum praecedente, nempe in carentia obicis, h. e. in carentia mali usus liberi arbitrii. » Deus, inquit loco citato, nullum reprobat sine causa positiva, nec praedestinat absque causa negativa. Ubi considerandum est quod pro primo instanti quo offertur divino conspectui omnis homo, vult Deus illi gratiam et salutem; immo et omnes creat ad istum finem, nisi tamen obicem gratiae reperiat per quem homo reddatur indignus Sic ergo, praescientiam sumendo sub illa generali volitione, dico quod offeruntur in Dei praescientia aliqui cum obice gratiae et indignitate : unde reperit in eis praescientia resistentiam gratiae, vel habitualem, sicut in parvulis, in quibus est originale peccatum, vel actualem, ut malum usum liberi arbitrii in adultis. Alii vero offeruntur in Dei praescientia non quidem cum aliqua dignitate aut dispositione positiva, nec illud oportet, sed sufficit quod sine indignitate et obice offerantur, et tunc concluditur pro istis finalis gratia et salus aeterna, pro istis vero subtractio gratiae et reprobatio poenae, et per consequens illi reprobati sunt justo judicio, isti vero sola misericordia liberati, non tamen sine causa negativa. » Et paulo inferius : « Tale quid oportet assignari pro causa praedestinationis quod non sit effectus proveniens ex ipsa praedestinatione et eam sequens : sed constat quod nihil aliud potest poni subterfugiens causalitatem gratiae et praedestinationis, nisi quod dictum est : omne enim positivum, utpote bonus usus liberi arbitrii aut quaecumque dispositio ad gratiam est a Deo. Potest autem homo ex puris naturalibus non ponere obicem, quia in hoc nullus est actus positivus, sed mera negatio : unde, hac negatione reperta, Deus qui ad miserandum pronus est, gratiam confert, ex qua oritur omnis bonus usus liberi arbitrii et omnis bona dispositio positiva. »

Verum nec ille dicendi modus admitti potest — tum quia a) in carentia mali usus liberi arbitrii includitur bonus usus liberi arbitrii; non enim caret homo malo usu liberi arbitrii, nisi servando praecepta divina, quae observatio praeceptorum, si praecepta sint affirmantia, non habetur nisi actibus bonis, h. e. bono usu liberi arbitrii — tum quia b) homo sine gratia Dei non potest diu resistere tentationibus eum trahentibus ad peccandum, h. e. ad male utendum suo libero arbitrio.

locis quamplurimis, v. g. in q. 23 de Verit., a. 2, et in I^{a}, q. 19, a. 6, ad 1^{m}, tum plenissime in Sent. I, d. 46, q. 1, a. 1. Quaerens ibi « utrum Deus velit omnes homines salvos fieri, » talem perhibet solutionem. « Respondeo dicendum secundum Damascenum, quod voluntas est duplex, scilicet antecedens et consequens, et hoc contingit non ex aliqua diversitate voluntatis divinae, sed propter diversas condiciones ipsius voliti. Potest enim in unoquoque homine considerari natura ejus et aliae circumstantiae ipsius, *ut quod est volens et praeparans se ad salutem suam, vel etiam repugnans et contrarie agens.* Si ergo in homine tantum natura ipsius consideretur, aequaliter bonum est omnes homines salvari, quia omnes conveniunt in natura humana. Et quum omne bonum sit volitum a Deo, hoc etiam Deus vult, ET HOC VOCATUR VOLUNTAS ANTECEDENS, qua omnes homines salvos vult fieri. *Consideratis autem omnibus circumstantiis personae, sic non invenitur de omnibus bonum esse quod salventur : bonum est enim eum qui se praeparat et consentit, salvari per largitatem gratiae divinae, nolentem vero et resistentem non est bonum salvari, quia injustum est.* Et quia hoc modo se habet aliquid ad hoc quod sit volitum a Deo, sicut se habet ad hoc quod sit bonum : *ideo istum hominem sub istis condicionibus consideratum non vult Deus salvari, sed tantum istum qui est volens et consentiens* : ET HOC DICITUR VOLUNTAS CONSEQUENS, *eo quod praesupponit praescientiam operum, non tamquam causam voluntatis, sed tamquam rationem voliti*, ut supra dictum est, dist. 45, quaest. unica, art. 3. »

Priori huic loco addendus est locus alter ex Sent. I, d. 47, q. 1, a. 1, ubi quaerens « utrum voluntas divina semper efficaciter impleatur, » solutionem suam fundat s. Doctor super generalem distinctionem voluntatis divinae in antecedentem et consequentem. « Respondeo dicendum, inquit, quod quidquid vult Deus voluntate consequente, totum fit, non autem quidquid vult voluntate antecedente, quia hoc non simpliciter vult et perfecte, sed secundum quid tantum, nec ista imperfectio est ex parte voluntatis, sed ex parte voliti tantum. Est enim e contrario de voluntate et cognitione speculativa; cognitio enim speculativa perficitur in abstractione a singularibus : *sed voluntas et quidquid aliud*

est ordinatum ad opus, perficitur in particulari, circa quod est operatio. Illud ergo est simpliciter et perfecte volitum quod subjacet voluntati secundum omnes particulares conditiones circumstantes ipsum particulare, et hoc pertinet ad voluntatem consequentem, quae respicit opera et dispositiones, quibus aliquis sufficienter ordinatur ad hoc quod est sibi conveniens et debitum, et hoc est quod Deus dicitur velle simpliciter, ut salutem vel aliquid hujusmodi : et ideo talis voluntas non potest impediri, sicut nec praescientia, cui subjicitur res secundum illas conditiones quibus in actu subsistit. Illud autem quod est rectum et bonum secundum aliquam considerationem universalem consideratum, non habet rationem voliti simpliciter, sed secundum quid tantum, sicut istum hominem, in quantum est homo, non est nisi bonum salvari, eo quod natura ejus ad hoc est ordinata, et hoc Deus vult voluntate antecedente, secundum quam non dicitur aliquid velle simpliciter, et ideo talis voluntas potest non impleri. »

Probatio ostendens locis adductis doceri a s. Thoma gloriam praedestinari consequenter ad praevisa merita.

180. Porro loco prius citato doceri a s. Thoma non aliam in Deo haberi voluntatem consequentem circa salutem adultorum nisi eam dumtaxat quae innitatur praevisioni meritorum, est undequaque apertissimum. Etenim loco illo non satis habet s. Doctor generatim dicere Deum velle antecedenter id quod, habita ratione naturae hominis praecise spectatae, est bonum, eum vero velle consequenter id quod, habita ratione aliarum circumstantiarum in homine inventarum, est bonum, sed, utpote tractans quaestionem de objectivo ambitu voluntatis Dei salvificae, accurate notat quaenam sint circumstantiae quae ex parte hominis praesupponendae sunt ad specialem eam Dei voluntatem consequentem quae est de salute hominis vel de ejus damnatione : hasce videlicet circumstantias in hoc ait consistere quod « aliquis est volens vel praeparans se ad salutem, vel etiam repugnans et contrarie agens. » Sive, quod idem est, s. Doctor loco illo prius citato expressis verbis edisserit ad voluntatem qua Deus consequenter vult salutem vel damnationem hominis, « praesupponi praescientiam meritorum vel demeritorum tamquam rationem voluntatis divinae ex parte objecti voliti. »

Evasio Bannesianorum.

181. *Nec valet dici* cum Thoma de Lemos, in Panoplia gratiae, tom. II, tractatu 2, cap. 12, n. 113, Goneto, in

Clypeo theologiae thomisticae, tom. I, tractatu 3, disp. 4, a. 1, § 1, n. 7, et Billuart, de Deo, dissert. 7, a. 5, secundum s. Thomam non ad omnem voluntatem consequentem salutis, sed ad aliquam dumtaxat talem voluntatem, praesupponi bonum usum liberi arbitrii creati : s. Doctorem enim, quum loco prius citato explicare vellet voluntatem consequentem, posuisse exemplum hujus voluntatis in particulari illa voluntate consequente salutis quae est praemiativa quaeque idcirco pertinet ad ordinem executionis, non tamen tali exemplo eum voluisse complecti omnem voluntatem Dei consequentem circa salutem hominum ; alibi quippe ab eo agnosci et aliam voluntatem consequentem salutis, quae, utpote pertinens ad solum ordinem intentionis, sit pure gratuita. — *Hoc non valet dici*, inquam ; repugnat enim tali interpretationi verborum s. Doctoris tum scopus loco prius citato ab ipso intentus, tum totus textus circumstans, tum sensus perspicuus aliorum locorum ubi eamdem quaestionem tractat. Etenim a) scopus s. Doctoris loco prius citato erat probare Deum velle quidem salutem omnium hominum voluntate antecedente, non tamen voluntate consequente ; ut talis autem probatio rite confici posset, oportebat prius ab eo in speciali notificari quid sit voluntas consequens salutis universim sumpta, et non solummodo quid sit particularis aliqua voluntas consequens salutis. Quia ergo loco prius citato voluntatem consequentem salutis non aliunde notificat quam ex eo quod ad eam praesupponuntur hae condiciones quae sunt « quod homo est volens et praeparans se ad salutem », necesse est dicere ex ejus mente tales condiciones praesupponi ad omnem omnino voluntatem consequentem quam Deus habet de salute hominum. Sane b) ex eo quod a Deo abest peculiaris aliqua voluntas consequens circa salutem omnium hominum, nequit concludi ab eo abesse omnem omnino voluntatem consequentem circa salutem omnium hominum ; si proinde voluntas illa Dei consequens ad quam praesupponitur ex parte hominis « quod sit volens et praeparans se ad salutem », non esset ex mente s. Doctoris omnis omnino voluntas consequens quam Deus habet de salute adultorum, probatio quam loco citato inducit ad ostendendum in Deo nullam esse voluntatem consequentem quae ad volendum salutem omnium omnino hominum se

Ejus exclusio.

extendat, falsa esset et paralogistica : non enim aliunde probat hanc conclusionem prorsus universalem quam ex eo quod « *nolentem et resistentem non est bonum salvari*, quia injustum est, quodque proinde hoc non est volitum a Deo, qui non vult nisi quod est bonum. » Insuper c) non esse in Deo circa salutem vel damnationem adultorum aliquam voluntatem consequentem praeter eam ad quam praesupponitur ex parte hominis « quod est volens vel praeparans se ad salutem, vel etiam repugnans et contrarie agens », ideoque hanc posteriorem voluntatem cum voluntate consequente salutis vel damnationis, qua late patet, converti eo modo quo definitio convertitur cum definito, disertissime significat s. Doctor in conclusione suae probationis, ita ibi perhibens : « Ideo istum hominem sub istis condicionibus consideratum [h. e. consideratum ut nolentem et resistentem] non vult Deus salvari, sed tantum illum qui est volens et consentiens : ET HOC DICITUR VOLUNTAS CONSEQUENS, » ea videlicet de qua probatio procedebat, quae est omnis omnino voluntas consequens quam Deus habet de salute hominis vel de ejus damnatione. Itidem d) stante interpretatione quam hic excludere satagimus, falsa esset haec exclusiva a s. Doctore concludente suum propositum asserta : « *Deus* TANTUM *vult salvare eum qui est volens et consentiens :* » tali quippe propositione removetur a Deo omnis omnino voluntas consequens quae versetur circa salutem hominis independenter a praeinventis in homine hisce condicionibus, quod videlicet « ipse sit volens et praeparans se ad salutem, non vero sit repugnans et contrarie agens. » Praeterea e) voluntatem illam qua Deus fertur in salutem vel in damnationem hominis dependenter a praevisione boni vel mali usus liberi arbitrii hominis, contineri sub latitudine voluntatis consequentis, probat s. Doctor ex eo « quod ad eam praesupponitur praescientia operum ». Ex qua sane probatione ab eo adhibita est evidentissime consequens, ad omnem omnino voluntatem Dei consequentem, ideoque et ad omnem Dei voluntatem consequentem quae sit de salute, praescientiam operum praesupponi. Et ratio hujus consequentiae in propatulo est : non enim de aliquo ostenditur illud tamquam inferius contineri sub specie aliqua, puta sub specie voluntatis consequentis, nisi ostendatur ei convenire definitionem

totius speciei vel aliquid quod cum definitione totius speciei sit convertibile. Denique f) contra sententiam Damasceni a se propugnatam qua ponitur haec verba Apostoli : *Deus vult omnes homines salvos fieri,* intelligenda esse de voluntate antecedente, et non de voluntate consequente, inducit s. Doctor in articulo illo 1 dist. 46 lib. I Sent. hoc argumentum, quod est ibi 2[m] : « Si dicas quod vult voluntate condicionata, et non absoluta ; contra, voluntas condicionata est voluntas imperfecta. Sed nihil imperfectum est Deo attribuendum. Ergo. » Ita porro illud solvit : « Dicendum quod voluntas antecedens potest dici condicionata, nec tamen est imperfectio ex parte voluntatis divinae, sed ex parte voliti, *quod non accipitur cum omnibus circumstantiis quae exiguntur ad rectum ordinem in salutem.* » Ex quibus ejus verbis rursum patentissime colligitur intentum. Non enim sine iis circumstantiis quae sunt bona ejus opera, adultus habet rectum ordinem in salutem ; si ergo, uti in responsione modo adducta diserte asserit Angelicus, quamdiu homo non accipitur *cum omnibus circumstantiis quae requiruntur ad rectum ordinem in salutem*, voluntas qua Deus ei vult salutem, non est perfecta ex parte voliti, necesse est concludere non aliter Deum perfecte et simpliciter velle homini salutem, nisi quatenus obtutui Dei omnia praescientis homo apparet ut finaliter vestitus bonis operibus. Et, per consequens, secundum s. Doctorem Deus non vult voluntate consequente alicui homini salutem nisi dependenter a praescientia bonorum operum finaliter in hoc homine inventorum : uti enim expressis verbis ipse docet in Sent. I, d. 47, q. 1, a. 1 et in Summa theolog., p. I, q. 19, a. 6, ad 1[m], omne quod Deus vult voluntate consequente, hoc est perfecte et simpliciter a Deo volitum.

Ad haec accedit, uti praediximus, perspicuus sensus aliorum locorum in quibus eamdem quaestionem magister angelicus tractat vel saltem attingit, ac speciatim clarus processus articuli primi qui ex commento in Sent. I, d. 47, q. 1, supra adductus est. Parans ibi indagare quaenam sint condiciones illius quod est simpliciter et perfecte a Deo volitum, quod ibidem ait esse omne id quod est volitum a Deo voluntate consequente, principii loco g) praestituit s. Doctor hanc propositionem : « Voluntas et quidquid aliud

est ordinatum ad opus, perficitur in particulari, circa quod est operatio. » Ex qua certe propositione oportet deducere, sicut ex parte hominis adulti praerequiruntur bona opera finaliter permanentia ad hoc ut Deus in ordine executionis circa eum operetur salutem, ita ex parte ejusdem hominis eadem bona opera finaliter permanentia praerequiri ad hoc ut in ordine intentionis Deus perfecte et absolute, h. e. voluntate consequente, ei velit salutem. Quippe propositionis illius a s. Doctore praejactae is est evidentissime sensus : Quia voluntas qua Deus aliquid perfecte vult, ordinatur ad opus, sicut ipsa operatio, idcirco, sicuti ad ipsam operationem, h. e. ad executionem operis, praesupponuntur ex parte subjecti circa quod versatur operatio, omnes illae particulares condiciones secundum quas huic subjecto redditur conveniens et debita forma quae per operationem ei inducenda est, ita similiter ad voluntatem qua Deus aliquid perfecte vult, praesupponuntur ex parte subjecti cui Deus illud vult, eaedem omnino illae condiciones particulares. Confirmat talem sensum et conclusionem quam ex eo deduximus h) generale discrimen voluntatis consequentis a voluntate antecedente quod ex praejacto principio s. Doctor infert. « Illud ergo, inquit loco proxime citato, est [vi principii praemissi] simpliciter et perfecte volitum *quod subjacet voluntati secundum omnes particulares condiciones circumstantes ipsum particulare*, ET HOC PERTINET AD VOLUNTATEM CONSEQUENTEM. » Et in I^a, q. 19, a. 6, ad 2^m, ubi, eadem ratione usus, idem generale discrimen colligit : « Voluntas, inquit, comparatur ad res SECUNDUM QUOD IN SEIPSIS SUNT, in seipsis autem sunt in particulari. *Unde simpliciter volumus aliquid*, SECUNDUM QUOD VOLUMUS ILLUD CONSIDERATIS OMNIBUS CIRCUMSTANTIIS PARTICULARIBUS, *quod est consequenter velle.* » Certe inter omnes eas condiciones particulares quae a parte rei circumstant hominem adultum, prouti est subjectum salutis, apprime veniunt ejus merita in gratia fundata, sine his quippe suis meritis ipse nequit habere ordinem ad salutem ; si ergo, uti s. Thomas utroque loco modo adducto definit, Deus non fertur ad aliquid volendum voluntate consequente, nisi consideratis omnibus condicionibus particularibus quae rem volitam a parte rei circumstant, necesse est dicere Deum non velle alicui adulto salutem voluntate consequente, nisi

respectu habito ad bona opera ratione quorum salus a parte rei est adulto conveniens et debita. Quod ceteroquin i) in fine sui discursus expressis verbis asserit s. Thomas loco illo quem ex Sent. I, d. 47, q. 1, a. 1, superius integre recitavimus. Postquam videlicet ibi dixerat « illud esse simpliciter et perfecte volitum quod subjacet voluntati secundum omnes condiciones particulares circumstantes ipsum particulare », sic dicere pergit : « Et hoc pertinet ad voluntatem consequentem, QUAE RESPICIT OPERA ET DISPOSITIONES *quibus aliquis sufficienter ordinatur ad hoc quod est sibi conveniens et debitum*, ET HOC EST QUOD DEUS DICITUR VELLE SIMPLICITER, UT SALUTEM VEL ALIQUID HUJUSMODI. » Tandem k) eodem illo loco, jam inferens ex praemissis conclusionem ibi a se principaliter intentam, quae est « voluntatem Dei consequentem non posse impediri, sed semper impleri », hanc voluntatis Dei consequentis inimpedibilitatem s. Doctor totam quantam fundat in inimpedibilitate praescientiae divinae. « Et ideo, inquit [h. e. quia voluntas consequens respicit opera et dispositiones, et sic praesupponit praescientiam de his operibus et dispositionibus], talis voluntas non potest impediri, *sicut nec praescientia, cui subjacet res secundum illas condiciones quibus in actu subsistit.* » Et notandum est oportere ut ratio qua hic nititur s. Doctor, quae est dependentia voluntatis consequentis a praescientia, sit ex ejus mente prorsus universalis, h. e. universaliter procedat de omni voluntate consequente, quandoquidem et conclusio quam in ea fundat, procedit de omni voluntate consequente. Adde l) quod in q. 23 de Verit., a. 2, s. Doctor plane approbat doctrinam s. Joannis Damasceni voluntatem Dei antecedentem a voluntate Dei consequente eo distinguentis quod voluntas antecedens est « acceptio Dei ex ipso existens », voluntas vero consequens est « concessio ex nostra causa. » Adde itidem m) quod in Sent I. d. 41, a. 3, ad 5^{m}. data opera agens de ea voluntate salutis quae in praedestinatione includitur, s. Doctor non solum pronuntiat talem voluntatem pertinere ad voluntatem Dei consequentem, sed etiam diserte addit eam inniti praescientiae operum. Ad hoc videlicet argumentum : « Prædestinatio est voluntas salutis hominis, non tantum ut intelligitur de voluntate antecedente, quia hac voluntate vult omnes homines salvos fieri, ut dicit

Damascenus, sed de voluntate consequente ; quum igitur voluntas consequens respiciat merita, videtur quod praescientia meritorum sit causa praedestinationis » ; ad hoc argumentum, inquam, ita loco citato respondet : « In intellectu praedestinationis includitur voluntas consequens, *quae respicit opera*, non tamquam causam voluntatis divinae [spectatae ex parte actus sive entitative], *sed sicut causam meritoriam gloriae*, et praeparationem ad gratiam [gratum facientem].

Argumentum inductum a Bannesianis ad defensitandam suam sententiae s. Thomae interpretationem.

182. Ipsi adeo adversarii fallaci ac plane praepostera interpretandi methodo ad quam in re praesenti recurrunt, palam faciunt quam cum sua sententia inconciliabile sit discrimen inter voluntatem antecedentem et voluntatem consequentem, quale a s. Thoma explicatur iis in locis ubi data opera illud argumentum pertractat.

Dicunt Bannesiani : Si secundum s. Thomam ad omnem omnino voluntatem consequentem quam Deus habet de salute adultorum, praesupponeretur praescientia boni usus liberi arbitrii creati, oporteret ut secundum ipsum hoc conveniret omni tali voluntati vel secundum quod est praecise voluntas consequens, vel secundum quod est praecise voluntas consequens de salute. Sed neutrum horum dici potest. *Non prius* : praevisio enim boni usus liberi arbitrii creati non praesupponitur ad voluntatem creandi, quippe ad quam nihil prorsus ex parte rei creatae praesupponi queat, itidemque praevisio boni usus liberi arbitrii creati non praesupponitur ad voluntatem dandi primam gratiam, quippe quae sit prorsus gratuita ; et tamen, si inhaereri velit doctrinae s. Thomae, tam de voluntate creandi quam de voluntate dandi primam gratiam necesse est dicere eam pertinere ad voluntatem Dei consequentem. Et hoc patet : voluntas enim creandi et voluntas dandi primam gratiam pertinent ad voluntatem Dei absolutam ; jam vero secundum s. Thomam voluntas Dei absoluta, qua late patet, convertitur cum voluntate Dei consequente. Nam a) in I^{a}, q. 23, a. q., ad 1^{m}, hoc quod est velle simpliciter, quod idem est atque velle absolute, ipse per idem definit per quod ibi definit hoc quod est velle consequenter : utrumque scilicet velle ibi definit per hoc quod per utrumque voluntas fertur supra volitum, « consideratis omnibus circumstantiis. » Itidem

b) in Sent. I, d. 47, q. 1, a. 1, tractans quaestionem « utrum voluntas divina semper efficaciter impleatur », eam solvit dicendo « quidquid vult Deus voluntate consequente, totum fieri, non autem quidquid vult voluntate antecedente. » Ubi manifestum est nomine voluntatis consequentis eum complecti omnem omnino voluntatem Dei absolutam ; quia secus ejus solutio non esset adaequate responsiva ad quaestionem quam ibi tractabat ; haec enim interrogabat de omni omnino voluntate divina. *Neque posterior pars praemissae disjunctionis defendi potest*, scilicet secundum s. Thomam praevisionem bonorum operum praesupponi ad voluntatem consequentem salutis, secundum quod est praecise voluntas consequens de salute. Patet assertum a) ex I^{a}, q. 23, a. 5, ad 3^{m}, ubi docet Angelicus electionem in gloriam, quae sane est voluntas consequens salutis, nullam habere rationem ex parte nostra ; esset enim falsum hoc ejus pronuntiatum, si Deus nulli adulto vellet salutem voluntate consequente, nisi ratione habita bonorum operum quibus in ordine executionis adultus meretur salutem. Ad quod accedit b) quod, uti colligitur ex ibidem dictis a s. Doctore, circumstantiae, quibus attentis, Deus voluntate illa sua consequente alios eligit ad gloriam, alios reprobat, sunt exigentiae quae antecedenter ad omnem praevisionem meritorum vel demeritorum emergunt ex pulchritudine ordinis, hoc requirentis ut omnes gradus rerum impleantur, utque per consequens non solum sint praedestinati, sed etiam reprobi, quo sic bonitas divina repraesentetur in rebus multiformiter, h. e. non solum manifestatione misericordiae, sed etiam manifestatione justitiae. Quod ergo ait s. Doctor in Sent. I, d. 46, q. 1, a. 1, ad voluntatem Dei consequentem praesupponi praescientiam operum, hoc, uti liquet ex proxime allatis, coarctandum est ex ejus mente ad peculiarem illam voluntatem salutis quae est praemiativa quaeque idcirco pertinet ad solum ordinem executionis. Ita fere Didacus Alvarez, de Auxiliis, disp. 34, Gonetus, in Clypeo theologiae thomisticae, tractatu 4, disp. 4, a. 1, § 1, Billuart, de Deo uno, dissert. 7, aa. 5 et 6, ab eademque argumentandi ratione non multum abludit Thomas de Lemos, in Panoplia gratiae, tom. 2, tractatu 2, capp. 11 et 12.

183. Respondetur 1° *concedendo Majorem*, et, *transmissa priore parte Minoris, negando simpliciter posteriorem* Ejus solutio.

ejus partem. Esto enim, secundum s. Thomam non sit de ratione voluntatis Dei consequentis universim sumptae ut ad eam praesupponatur praevisio boni vel mali usus liberi arbitrii creati; nihilominus tamen verum manet dicere hoc secundum ipsum esse de ratione illius Dei voluntatis consequentis quae est de salute vel damnatione adultorum. Patet id non solum ex iis quae supra ex Sent. I, d. 46, q. 1, a. 1, et q. 47, q 1, a. 1, diducte attulimus ,sed etiam ex I^a, q. 23, a. 6, ad 1^m, qui est locus ab adversariis in priore parte suae argumentationis laudatus. Etenim a) ponit ibi s. Doctor circumstantias quarum consideratio sive praevisio praesupponitur ad voluntatem Dei consequentem, in quantum hujusmodi, esse « omnes circumstantias particulares quibus res volita in seipsa, [h. e. a parte rei] subsistit »; jam vero tales circumstantiae, quando res volita est hoc quod est « hominem adultum salvari » vel « hominem adultum damnari », sunt inprimis bona vel mala opera hominis adulti, quia, uti jam superius notatum est, hoc quod est « adultum esse salvum » vel « adultum esse damnatum », non subsistit a parte rei independenter a bonis vel malis operibus adulti. Non stat ergo doctrina quam de voluntate consequente universim sumpta loco ab adversariis citato s. Doctor tradit, nisi dicatur ad omnem omnino voluntatem consequentem quam Deus habet de salute adultorum, praesupponi praevisionem bonorum operum eorumdem adultorum, Itidem b) si, uti eodem illo loco expresse asserit s. Doctor, voluntas consequens qua Deus vult damnationem aliquorum, oritur ex exigentia justitiae divinae estque proinde talis quae consequatur ad praevisa demerita; ergo, quia omnis voluntas consequens praesupponit esse in Deo pro eo signo rationis in quo nondum habetur talis voluntas, aliam voluntatem antecedentem quae non sit nisi de bono hominis, necesse est dicere Deum, in eo signo in quo nondum intelligitur praevidere demerita reproborum, velle horum salutem; hoc porro esset impossibile, si antecedenter ad praevisionem meritorum vel demeritorum Deus voluntate consequente vellet non omnes homines salvari, sed aliquos dumtaxat; quia non stat Deum in eo signo in quo habet talem voluntatem, velle adhuc serio, licet condicionate, omnium hominum salutem. Et sic rursum ex doctrina quam loco ab adversariis adducto s. Do-

ctor tradit, consequens est omnem voluntatem consequentem quam de salute adultorum Deus habet, inniti secundum ipsum praevisioni bonorum operum eorumdem adultorum. Ulterius c) quando eodem loco s. Doctor significat Deum, ita exigente sua justitia, velle quosdam homines damnari propter mala sua merita, ipse intendit reddere rationem cur haec Apostoli verba 1. Tim. II, 4 : *Qui vult omnes homines salvos fieri*, non sint intelligenda de voluntate Dei consequente, sed de sola Dei voluntate antecedente. Sive, quod idem est, ex malis operibus quorumdam hominum damnationem merentibus ipse ibi intendit reddere rationem cur in Deo voluntas consequens salutis non ad omnes homines se exporrigat. Inepte autem cur in Deo voluntas consequens salutis non ad omnes homines protendatur, ex eo aliquis rationem redderet, antecedenter ad cujus praevisionem jam est in Deo voluntas consequens salutis non ad omnes homines se exporrigens. Nisi ergo dici velit s. Doctorem loco citato usum esse ratione parum apta ad ostendendum Deum voluntate consequente non velle salutem omnium hominum, necesse est dicere ex ipsius mente voluntatem consequentem salutis non praecedere praevisionem meritorum adultorum qui salvantur.

Nec juvat adversarios recursus ad doctrinam quam tradit Angelicus in I^{a}, q. 23, a, 5, ad 2^{m}. Non enim ibi agit de electione ad gloriam seorsum, sed de discrimine existente inter homines quantum ad hoc quod quidam eorum praedestinantur praedestinatione completa, alii vero eorum reprobantur reprobatione completa. Totusque est ibi in eo ut ostendat rationem praedicti discriminis posse quidem assignari in generali, non tamen in speciali. Quare toto eo loco ne per umbram quidem loquitur de circumstantiis sub quibus Deus voluntate consequente fertur ad volendum suis electis gloriam seorsum consideratam. Non enim quaenam sint ex ejus mente hae circumstantiae, accipere est ex eo quod, rationem ibi assignans cur in generali aliqui sint praedestinati, aliqui vero reprobi, ait hanc rationem accipi ex ipso fine manifestandae bonitatis divinae a Deo intento, in quantum in aliquibus Deus voluit repraesentare suam bonitatem per modum misericordiae parcendo, in aliis vero per modum justitiae puniendo. — Quando vero ibidem paulo

ante finem subdit : « Sed quare [in particulari] hos elegit in gloriam, illos reprobavit, non habet rationem nisi divinam voluntatem », hisce verbis : *elegit in gloriam*, intendit significare voluntatem praedestinantem, non prouti inadaequate accipitur respectu solius gloriae, sed prouti sumitur adaequate respectu totius seriei beneficiorum supernaturalium, inde a primo auxilio gratiae usque ad gloriam inclusive electis in tempore conferendorum. Ad talem quippe significationem determinantur haec ejus verba vi totius contextus antecedentis. Ceterum de vero sensu praedicti loci redibit sermo, quando jam ad speciale examen trahentur ea doctrinae capita magistri angelici quae sunt de praedestinatione et reprobatione. Modo satis fuerit advertisse plane praeposteram esse interpretandi methodum ad quam in re praesenti adversarii recurrunt. Quum enim regulae sanioris hermeneuticae jubeant, ut ad mentem alicujus auctoris de re quapiam assequendam adeantur ii operum hujus auctoris loci in qua de ea re ex instituto disputat utque ad horum locorum sensum exigatur sensus aliorum locorum ubi eamdem rem vel obiter vel adeo indirecte tantum perstringit, adversarii in quaestione praesenti, quae est de mente doctoris angelici circa distinctionem voluntatis Dei salvificae in antecedentem et consequentem, processu e diametro opposito utuntur, locum videlicet illum supra ex Sent. I, d. 46, q. 1, a. 1, a nobis adductum, qui est locus ubi maxime data opera s. Doctor de praedicto discrimine tractat, ipsi declarare satagunt ex alio loco ubi ne indirecte quidem idem illud argumentum ab eo attingitur.

Respondetur 2°, *negando etiam priorem partem Minoris*. Falsum videlicet est id quod in hac parte Minoris argumenti facti adversarii asserunt, secundum s. Thomam videlicet non ad omnem omnino voluntatem Dei consequentem praesupponi praescientiam boni vel mali usus liberi arbitrii creati. Ad cujus probationem praeanimadvertendum est, ex mente s. Doctoris distinctionem voluntatis divinae in antecedentem et consequentem non obtinere nisi respectu eorum a Deo volitorum quae aliquo modo pendent a libero arbitrio creato. Quod quidem patet dupliciter. *Primo* ex eo quod in q. 23 de Verit., a. 2, s. Doctor asserit intellectum praedictae distinctionis assumendum esse ex Damasceno, qui primus

eam induxit, quique, uti ibidem notat, definit voluntatem antecedentem esse « acceptionem ex ipso Deo existentem », voluntatem vero consequentem esse « concessionem ex nostra causa. » Inde videlicet accipitur voluntatem Dei consequentem non esse secundum s. Doctorem nisi de iis quae aliquo modo dependent a libero arbitrio creato. Et hoc patet; non enim nisi de iis quae sunt hujusmodi, verificari potest, ea, in quantum cadunt sub voluntatem divinam, habere causam ex nobis. Non stat autem voluntatem Dei consequentem non esse nisi de iis quae aliquo modo pendent a libero arbitrio nostro, nisi et voluntas Dei antecedens non sit nisi de iisdem. Voluntas enim Dei antecedens, contra quam semper distinguitur voluntas Dei consequens, aut est de eodem de quo est voluntas Dei consequens, et in tali casu, sicuti voluntas consequens, ea non est nisi de iis quae aliquo modo pendent a libero arbitrio voluntatis nostrae; aut est de opposito illius de quo est voluntas consequens, et in tali casu, quum libertas sit circa opposita, impossibile est unum oppositorum, quod est objectum voluntatis consequentis, pendere a libero arbitrio nostro, sine hoc quod alterum oppositorum, quod est objectum voluntatis antecedentis, pendeat etiam ipsum a libero arbitrio nostro. *Secundo* patet animadversio praemissa ex eo quod in Sent. I, d. 46, q. 1, a. 1, ad 2^{m}, s. Thomas docet voluntatem Dei antecedentem, propter hoc ipsum quod ex parte voliti est imperfecta, esse etiam condicionatam ex parte voliti. Non enim haec ejus doctrina ad talem intelligentiam trahi potest ac si secundum ipsum possibile esset voluntatem Dei objective condicionari per aliquid quod, utrum fiat an non fiat, unice dependet a Deo operante sive immediate et per se solum, sive mediantibus causis secundis non liberis. Voluntas quippe quae tali condicione condicionaretur, reduceretur ad hanc : «Volo hoc, si voluero illud,» proindeque hujusmodi voluntas non condicionaretur solummodo ex parte voliti, sed etiam ex parte actus volendi, cujusmodi voluntatem condicionatam posse existere in Deo, loco proxime citato negat s. Doctor, eo quod in Deo poneret imperfectionem haesitationis et successionis. Quod si, uti concluditur ex exclusione hujus prioris sensus doctrinae eo loci ab ipso traditae, omnis omnino voluntas Dei antecedens condicionatur ex ejus mente usu liberi arbitrii creati,

necessario concludendum est omnem talem voluntatem esse secundum ipsum de aliquo pendente a libero arbitrio creato. Inde porro deducitur omnem etiam voluntatem Dei consequentem esse secundum ipsum de aliquo pendente a libero arbitrio creato ; uti enim superius est notatum, quum voluntas consequens vel sit de eodem de quo est voiuntas antecedens, vel sit de opposito, impossibile est unam harum voluntatum non esse nisi de iis quae dependent aliquo modo a libero arbitrio nostro, sine hoc quod et altera earum non sit nisi de iisdem.

Porro, stante animadversione praedicta, facile est ostendere secundum s. Thomam ad omnem omnino voluntatem Dei consequentem praesupponi praevisionem boni vel mali usus liberi arbitrii creati. Etenim a) quod est condicio condicionans voluntatem Dei antecedentem, idipsum est terminus prae quo voluntas Dei antecedens distinguitur a voluntate Dei consequente. Si igitur, uti proxime ostensum est, s. Thomas sentit omnem Dei voluntatem antecedentem condicionari usu liberi arbitrii creati, necesse est dicere terminum prae quo secundum ipsum voluntas Dei antecedens distinguitur a voluntate Dei consequente, esse eumdem usum liberi arbitrii creati. Sive, quod idem est, stante doctrina s. Doctoris quae praestabilita est, necesse est dicere, secundum ipsum in Deo voluntatem antecedentem et voluntatem consequentem eo inter se distingui quod illa prior antecedit praevisionem boni vel mali usus liberi arbitrii nostri, haec vero posterior, scilicet consequens, consequitur eamdem praevisionem boni vel mali usus liberi arbitrii nostri. Itidem b) quae pendent a libero arbitrio nostro, quae sola, uti praeostensum est, sunt secundum s. Thomam volita a Deo voluntate consequente, — vel non efficienter causantur a nobis, sed solummodo cadunt sub meritum vel demeritum nostrum, et de talibus, quae sunt gratiae post primam gratiam concessae vel earum privatio, salus itidem vel damnatio, manifestum est ea executioni non mandari nisi dependenter a praecedentibus nostris meritis vel demeritis — vel efficienter procedunt sive immediate sive mediate a libera nostra voluntate, et de talibus, quae sunt omnes actus nostri liberi, sive eliciti sive imperati, et effectus ab his actibus procedentes, manifestum est ea executioni non mandari nisi dependenter a cooperatione liberi arbitrii nostri cum tali

determinata gratia divina, si sint bona, vel dependenter a nostro a tali determinata gratia dissensu, si sint mala. Quia ergo secundum generalem doctrinam de voluntate Dei consequente a sancto Thoma traditam, nihil est volitum a Deo consequenter nisi dependenter a consideratione omnium omnino circumstantiarum particularium sub quibus res est executioni mandanda, rursum concludendum est ad omnem voluntatem Dei consequentem praesupponi secundum s. Doctorem — *aut* praevisionem boni vel mali usus *antecedentis* liberi arbitrii creati, (si videlicet voluntas Dei consequens sit de gratiis primam gratiam sequentibus vel earum privatione, de salute vel damnatione) — *aut* praevisionem boni vel mali usus *concomitantis* liberi arbitrii creati, (si nimirum voluntas consequens sit de actibus nostris liberis aut de iis quae physica efficientia ex iisdem consequuntur).

Concedendum est quidem praevisionem boni vel mali usus liberi arbitrii nostri, qui sit concomitans, cujus modi praevisionem modo conclusimus praesupponi ad omnem voluntatem Dei consequentem quae sit de actu libere a nobis efficiendo, non posse esse, in quantum praesupponitur ad talem voluntatem Dei consequentem, nisi solam praescientiam condicionatam. Nam, quod attinet ad praescientiam absolutam sive nostrae cooperationis cum gratia ad actum bonum sive nostri dissensus a gratia per actum malum, tantum abest ut ejusmodi praescientia praesupponatur ad voluntatem qua Deus consequenter vult fieri actum bonum vel permittere actum malum, ut, contra, ordine rationis talem voluntatem sequatur. Dicere itaque ad omnem voluntatem qua Deus consequenter vult positionem actus boni vel permissionem actus mali, praesupponi secundum doctrinam s. Thomæ praevisionem boni vel mali usus *concomitantis* liberi arbitrii creati, hoc perinde est atque dicere, Deum secundum s. Doctorem non ferri voluntate consequente ad volendum positionem actus boni vel permissionem actus mali nisi dependenter a praescientia sua condicionata, ei ostendente qualis determinatio liberi arbitrii sub tali determinata gratia secutura sit. Hoc autem ipsum defendi non potest, nisi dicatur Deum secundum s. Doctorem eo animo conferre hominibus gratias pertinentes ad praesentem ordinem ut, quantum est praecise ex parte ipsius, easdem omnino gratias, et non

alias, hominibus collaturus fuisset, etiamsi condicionate praevidisset gratias quae modo sunt efficaces, futuras esse inefficaces, et gratias quae modo sunt inefficaces, futuras esse efficaces. Per hoc autem excluduntur a doctrina s. Thomae praedefinitiones formales actuum liberorum, tamquam repugnantes indoli voluntatis consequentis, qualis haec a s. Doctore describitur. Et hoc patet; quum enim ratio harum praedefinitionum formalium stet in hoc quod secundum omnem considerationis modum Deus prius absolute, h. e. voluntate consequente, velit fieri actum bonum, quam velit praeparare gratiam cujus subsidio sit eliciendus actus bonus, Deus talibus praedefinitionibus, si in ipso invenirentur, ferretur ad volendum voluntate consequente actum bonum consideratum in praecisione ab iis circumstantiis particularibus sub quibus ille actus revera est executioni mandandus, quod, uti liquet ex antea ostensis, falsificat notionem voluntatis consequentis, qualis haec a s. Thoma exhibetur.

Facile est autem solvere argumenta quae fiebant ab adversariis ad ostendendum ad voluntatem consequentem, in quantum est praecise consequens, non praesupponi secundum s. Thomam praescientiam boni vel mali usus liberi arbitrii creati. Nam conceditur quidem neque ad voluntatem creandi, neque ad voluntatem dandi primam gratiam nude sumptam praerequiri praevisionem boni vel mali usus liberi arbitrii creati, sed negatur has voluntates, utut sint absolutae, pertinere secundum s. Thomam ad voluntatem Dei consequentem. Et *ad primam rationem* inductam ad ostendendum secundum s. Doctorem voluntatem Dei absolutam, qua late patet, converti cum voluntate Dei consequente, *dicitur*, in I^{a}, q. 23, a. 6, ad 1^{m}, s. Doctorem non plene definire voluntatem consequentem, sed solummodo assignare discrimen hujus voluntatis a voluntate antecedente. Unde, quia voluntas consequens eo distinguitur a voluntate antecedente, quod haec est condicionata, illa vero absoluta, sufficienter pro scopo suo ibi notificat voluntatem consequentem per hoc quod est commune omni voluntati Dei absolutae, scilicet per hoc quod per eam Deus fertur in rem volitam, consideratis omnibus circumstantiis particularibus quibus ea res in seipsa subsistit. Praeter hoc tamen pertinet ad definitionem voluntatis consequentis id in quo convenit cum voluntate antecedente et quo differt ab omni alia voluntate

absoluta, nempe ut non sit nisi de re quae aliquo modo pendeat a libero arbitrio creato.

Ad 2^um^ *rationem* inductam ad idem ostendendum, *dicitur*, falsum esse id quod in ea supponitur. Nam quod s. Thomas in Sent. I, d. 47, q. 1, a. 1, quaestionem qua universaliter quaerebatur « utrum voluntas Dei semper efficaciter impleatur », non aliter solvit quam dicendo, « quidquid vult Deus voluntate consequente, totum fieri, non autem quidquid vult voluntate antecedente », hoc non propterea fecit quia existimabat voluntatem absolutam, qua late patet, converti in Deo cum voluntate consequente, sed quia per se est manifestum voluntatem Dei absolutam, in quantum est de iis quae nullo modo dependent a libero arbitrio nostro, impediri non posse. Inde videlicet fiebat ut ad solutionem quaestionis propositae satis esset s. Doctori dicere et ostendere voluntatem Dei consequentem impediri non posse.

184. Sed *contra responsionem secundo loco datam* adducunt Bannesiani doctrinam traditam a s. Doctore in q. 6 de Verit., a. 2, ad 2^m^. Ibi pro sententia asserente praedestinationem esse ex praescientia meritorum, inducit s. Doctor hoc argumentum : « Praedestinatio includit in se voluntatem divinam salutis humanae ; nec potest dici quod includat solum voluntatem antecedentem, quia hac voluntate Deus vult omnes homines salvos fieri, unde omnes essent praedestinati Voluntas autem consequens, ut dicit Damascenus, est ex nostra causa, scilicet in quantum nos habemus diversimode ad merendam salutem vel damnationem ; ergo merita a Deo praescita sunt causa praedestinationis. » At quod ita respondet : « Ad secundum dicendum quod praedestinatio includit voluntatem consequentem, quae respicit aliquo modo id quod est ex parte nostra, non quidem sicut inclinans divinam voluntatem ad volendum, sed sicut id ad cujus productionem divina voluntas gratiam ordinat ; vel etiam sicut id quod ad gratiam quodammodo disponit et gloriam meretur. »

Instantia contra responsionem datam.

Inde porro ARGUUNT tali ratione : In responsione allata, data opera explicans definitionem voluntatis consequentis a Damasceno traditam, diserte docet s. Thomas voluntatem consequentem esse ex causa nostra, non quod semper praesupponat aliquid quod sit ex parte nostra, sed quia vel praesupponit aliquid quod sit ex parte nostra vel ordinatur

ad aliquid quod sit ex parte nostra. Secundum quem modum explicationis ipsa adeo voluntas dandi primum auxilium gratiae, tametsi nulla bonorum operum praevisio ad eam praesupponatur, dicenda est esse voluntas consequens, eo quod gratia quae tali voluntate datur, ordinatur ad id quod est ex parte nostra, scilicet ad bonum opus quod ope istius gratiae elicimus. Secundum s. Thomam igitur voluntas consequens, in quantum est praecise consequens, praescindit ab hoc utrum praevisio usus liberi arbitrii creati eam antecedat an non antecedat ; sive, quod idem est, secundum s. Thomam non est de ratione voluntatis consequentis, in quantum hujusmodi, ut ad eam praesupponatur praevisio boni vel mali usus liberi arbitrii creati. Ita inter alios Thomas de Lemos, in Panoplia gratiae, tom. 2, tractatu 2, cap. 12, nn. 111, 112 et 113.

Ejus repulsio. **185.** Respondetur 1° hoc suo argumento adversarios propriam suam sententiam plane evertere, quantum ad id quod per eam principaliter asseritur, quod est, secundum s. Thomam Deum voluntate consequente velle suis electis gloriam seorsum sumptam antecedenter ad omnem meritorum praevisionem. Si enim, uti ex verbis modo allatis ipsi arguunt, secundum s. Thomam omnis Dei voluntas consequens aut praesupponit id quod est ex parte nostra, aut ordinatur ad id quod est ex parte nostra ; ergo, quandoquidem gloria nequit ordinari ad id quod est ex parte nostra, necesse est concludere secundum s. Doctorem ad omnem voluntatem consequentem quae sit de gloria praecise sumpta, praesupponi praescientiam bonorum operum. Et re quidem vera hoc in loco ab adversariis citato s. Doctor disertissime perhibet ; non enim aliter ibi meminit voluntatis consequentis, secundum quod est praecise de gloria, quam dicendo « eam respicere id quod est ex parte nostra tamquam id quod gloriam meretur. »

Respondetur 2° ex loco ab adversariis objecto haberi quidem non esse secundum s. Thomam de ratione voluntatis consequentis ut ad eam praesupponatur praevisio boni vel mali usus antecedentis liberi arbitrii creati, non tamen ex illo loco haberi non esse secundum s. Doctorem de ratione talis voluntatis ut ad eam praesupponatur praevisio boni vel mali usus aut antecedentis aut concomitantis liberi arbitrii

creati, sed contra, hujus potius oppositum ex illo loco elucescere. Ut ratio sic dicendi appareat, dicta a s. Doctore in responsione illa ad 2^m^ quae ex articulo 2 quaestionis 6 de Veritate ab adversariis adducta est, jam singillatim expendenda sunt.

Docet quidem ibi Angelicus voluntatem Dei praedestinantem non habere causam ex parte nostra; hoc videlicet ibi ab eo intendi dici, quando negat voluntatem hanc praedestinantem respicere id quod est ex parte nostra tamquam id quod inclinet divinam voluntatem ad volendum, liquido colligitur — tum a) ex responsione ad 1^m^, ibid., ubi haec duo quae sunt, aliquid « non esse causam divinae voluntatis », et illud « non inclinare divinam voluntatem ad volendum », accipiuntur ab eo convertibiliter — tum b) ex contradictoria oppositione quam responsio ejus, secundum quod est negans, exigit habere ad sententiam argumento quod refellit propugnatam, quae haec erat : « Merita nostra praescita a Deo sunt causa praedestinationis, » — tum c) ex scopo ab eo intento in respondendo ad varia argumenta quae sibi opposuerat, qui scopus est defendere hanc conclusionem in corpore articuli stabilitam : « Actus nostri, sive gratiam praecedant, sive sequantur, non sunt ipsius praedestinationis causa. » Nec tamen procedit assertum illud negativum ipsius nisi de voluntate Dei praedestinante considerata quoad totalem suum effectum, uti patet ex eo quod solummodo de voluntate praedestinante sic considerata procedebat conclusio in corpore articuli tradita, quam, respondendo ad varia argumenta in oppositum facta, defendere satagit.

Quia autem in argumento quod secundo loco induxerat, arguebatur pro opposito ex eo quod voluntas quam praedestinatio includit, pertinet ad voluntatem consequentem, idcirco suscipit ostendere quanam ratione voluntas illa praedestinans sit consequens et sic aliquo modo respiciat id quod est ex parte nostra, nec tamen propter hoc verum sit dicere id quod est ex parte nostra esse causam totius praedestinationis. In hoc autem suo proposito exsequendo respicit ad duplex illud adversariorum genus cujus in corpore articuli meminerat. Erant videlicet quidam adversarii qui ex eo quod praedestinatio includit voluntatem consequentem, arguebant merita gratiam consequentia esse causam totius

praedestinationis; ad hos igitur respiciens, asserit 1° voluntatem praedestinantem eo quidem nomine pertinere ad voluntatem consequentem, sive respicere id quod est ex parte nostra, quod respicit bonum usum gratiae, non tamen tamquam id quod sit causa totius praedestinationis, sed tamquam id ad cujus productionem divina voluntas gratiam ordinat. Alii vero erant adversarii qui ex eo quod praedestinatio includit voluntatem consequentem, arguebant bona opera gratiam praecedentia esse causam totius praedestinationis; ad hos porro respiciens, asserit 2° voluntatem praedestinantem eo etiam nomine esse voluntatem consequentem sive respicere id quod est ex parte nostra, quod respicit bona opera nostra praecedentia, non tamen tamquam id quod sit causa totius praedestinationis, sed tamquam id quod ad gratiam disponit et gloriam meretur.

Porro posteriore hoc suo asserto perspicuum est a magistro angelico doceri voluntatem praedestinantem, prouti praecise accipitur relate ad hosce suos effectus partiales qui sunt gratia gratum faciens seorsum sumpta et gloria seorsum sumpta, eo nomine pertinere ad voluntatem consequentem quod ad eam praesupponitur praevisio boni usus antecedentis liberi arbitrii creati. Sive, quod idem est, posteriore suo asserto ipse perspicue docet opera nos disponentia ad gratiam esse rationem quare Deus voluntate consequente nobis praedestinet ipsam gratiam, et opera ex gratia facta esse rationem quare Deus voluntate consequente nobis praedestinet gloriam. Cum hoc tamen stat verissimum esse id quod parte negante suae responsionis asseruerat, scilicet merita gratiam praecedentia non esse causam praedestinationis adaequate sumptae. Et hoc propterea, quia, ut ait eodem illo articulo 2, in resp. ad 11^{m}, « hoc ipsum quod est nos velle accipere gratiam [quod fit per actus gratiam praecedentes quibus nos disponimus ad gratiam], est nobis ex praedestinatione divina, unde non potest esse causa praedestinationis. »

In priore vero suo asserto Angelicus usurpat hoc nomen gratiae pro gratia gratum faciente sumpta in suo complexu cum tota serie gratiarum actualium eam sive praecedentium sive sequentium : tali namque sensu de gratia loquebantur ii auctores ad quos ibi respicit et quibus ibi concedit prae-

destinationem gratiae pertinere ad voluntatem consequentem. Quapropter priore illo suo asserto asserit voluntatem praedestinantem secundum se totam, ut tamen est formaliter praedestinans, pertinere ad voluntatem consequentem. Nec tamen secundum ipsum haec voluntas praedestinans, ut est formaliter praedestinans, est de gratia nude sumpta, sed est de gratia, secundum quod est finaliter efficax ; proindeque secundum ipsum, haec voluntas, ut est praedestinans, non est de gratia, nisi secundum quod est etiam aliquo modo de actibus liberis nostris ex gratia factis. Hoc videlicet significat, quando asserit voluntate illa praedestinante gratiam ordinari ad bonum usum ipsius gratiae. Quando autem ait voluntatem illam praedestinantem eo nomine esse consequentem quod respicit « id quod est *ex parte nostra* », haec verba « id quod est ex parte nostra », sumit pro nostra libera cooperatione cum iis gratiis quae revera nobis conferentur in tempore. Et hoc patet : non enim est ex parte nostra nisi id quod revera a nostro libero arbitrio procedet in tempore ; non autem alius bonus usus gratiae procedet a nostro libero arbitrio in tempore nisi is tantummodo qui consistit in cooperatione a nobis praestita iis gratiis quae revera nobis conferentur in tempore. Prius ergo assertum sancti Doctoris eo redit ut dicatur voluntatem qua Deus nobis praedestinavit gratiam, quatenus est formaliter praedestinans, pertinere quidem ad voluntatem consequentem, non tamen aliter, nisi secundum quod est aliquo modo de actibus liberis nostris ; propter hoc ipsum autem quod haec voluntas tali modo pertinet ad voluntatem consequentem, eam, ut est formaliter praedestinativa gratiae, non concipi a Deo nisi dependenter a bono usu finali gratiae condicionate praeviso. Et sic ultimo concludendum est, secundum s. Doctorem ad voluntatem praedestinantem, secundum quod haec quoquo modo pertinet ad voluntatem consequentem, praesupponi praevisionem boni vel mali usus aut antecedentis aut concomitantis liberi arbitrii creati. Bonus enim ille usus finalis gratiae dependenter a quo condicionate praeviso ipse ponit praedestinari gratiam, ut haec est efficax, nihil aliud est quam id quod supra appellavimus bonum usum concomitantem liberi arbitrii creati.

Illud hic etiam advertisse juverit, ex doctrina quam de

praedestinatione gratiae tamquam includente voluntatem consequentem s. Doctor loco proxime declarato tradit, omnino consequens esse Deum, si condicionate praevidisset eas gratias quas modo confert praedestinatis, futuras esse finaliter inefficaces, easdem nihilominus gratias, et non alias, quantum est praecise ex parte ipsius, eis collaturum fuisse. Et ratio hujus consequentiae est manifesta ; si enim, uti ponunt adversarii, Deus in praedicta hypothesi alias gratias, tales videlicet quas praevidebat fore finaliter efficaces, iis qui modo sunt praedestinati,dare decrevisset, falsum esset dicere Deum nonnisi dependenter a condicionata praevisione boni usus finalis earum gratiarum quas modo confert, talibus gratiam praedestinasse. Docendo ergo totam voluntatem Dei praedestinantem, secundum quod est formaliter praedestinans, pertinere ad voluntatem Dei consequentem, magister angelicus implicite docet in nostra esse potestate sub auxilio gratiae Dei praevenientis efficere ut voluntas Dei nobis dandi gratiam potius habeat rationem praedestinationis quam rationem communis providentiae supernaturalis.

Testimonia ostendentia praedestinationem simpliciter dictam numquam accipi a s. Thoma pro sola praeparatione gloriae.

186. II. **Ratio sive causa praedestinationis sumptae inadaequate prae peculiari illo suo effectu qui est gloria seorsum.** More omnium antiquiorum scholasticorum praedestinationem simpliciter et sine restrictione dictam numquam accipit s. Thomas pro sola praeparatione gloriae, sed semper vel pro praeparatione gratiae simul et gloriae vel adeo pro praeparatione totius seriei beneficiorum Dei supernaturalium, sese extendentium a primo adminiculo salutis usque ad gloriam inclusive. Patet id manifestissime a) ex variis praedestinationis definitionibus quas suis de praedestinatione disputationibus s. Doctor vel praemittit vel interserit. « Praedestinatio, inquit in I^a, q. 23, a. 6, arg. *Sed contra*, est praescientia ac praeparatio beneficiorum Dei qua certissime liberantur, quicumque liberantur. » Et ibid., a. 1, in corp. : « Ratio... transmissionis creaturae rationalis in finem vitae aeternae praedestinatio nominatur. » Et ejusdem quaestionis a. 2, in corp. : « Praedestinatio est quaedam ratio ordinis aliquorum in salutem aeternam in mente divina existens. » Tum in q. 6 de Verit., a. 2 : « Praedestinatio est quaedam directio in finem quam facit ratio a voluntate mota. » Et quidem in I^a, q. 24, a. 2, in Sent. I, d. 40, q. 2, et in

Libro III c. Gent., c. 163, diserte notat, id quod ceteroquin est per se manifestum, transmissionem illam sive ordinem sive directionem in finem salutis aeternae, cujus rationem practicam in mente divina existentem definitionibus praedictis ponit esse praedestinationem, haberi « secundum participationem gratiae », « per adjutorium gratiae. » Quare in q. 6 de Verit., a. 1, ad 6^{m}, in I^{a}, q. 23, a. 2, ad 4^{m}, et in Sent. I, d. 40, q. 1, a. 2, ad 5^{m}, approbat ut veram hanc definitionem praedestinationis a Magistro traditam : « Praedestinatio est praeparatio gratiae in praesenti et gloriae in futuro. » Cum qua definitione congruunt haec verba quae ponit in I^{a}, q 23, a. 3, in corp. : « Praedestinatio includit voluntatem conferendi gratiam et gloriam. » His porro consentanee b) quoties agit de praedestinationis objecto, numquam ceu tale objectum assignat solam gloriam, sed vel gratiam et gloriam simul, vel gratiam, prouti haec comprehendit etiam gloriam, vel quidquid hominem promovet in finem salutis aeternae. Sic in I^{a}, q. 23, a. 2, ad 4^{m} : « Gratia, inquit, ponitur in definitione praedestinationis,... in quantum praedestinatio importat respectum ad gratiam, ut causae ad effectum et actus ad objectum. » Et ibid., a. 8, in corp. : « Ita praedestinatur a Deo salus, ut etiam sub praedestinatione cadat quidquid hominem promovet in salutem, vel orationes propriae, vel aliorum, vel alia bona, vel quidquid hujusmodi sine quibus aliquis salutem non consequitur. » Et in Sent. I, d. 40, q. 1, a. 5, ad 5^{m} : « Praedestinatio est non tantum gratiae, sed gratiae simul et gloriae. » Et ibid., in corp. : « Praedestinatio est tantum eorum quae sunt elevata supra naturam, ut gloriae... et gratiae promoventis in ipsam. » Et ibid., q. 2, in corp. : « Praedestinatio dicitur esse aliquorum dupliciter, vel sicut finis et conferentium ad finem, et sic dicitur esse gratiae et gloriae, vel eorum qui finem consequuntur, et sic est omnium qui gloriam per Dei gratiam adipiscuntur. » Et in cap. 8 ep. ad Rom., lect. 6 : « Sub praedestinatione cadit omne beneficium salutare quod est homini ab aeterno praeparatum. » Eadem etiam de causa c) semper ceu effectus praedestinationis s. Doctor assignat haec duo, quae sunt gratia et gloria. Sic in q. 6 de Verit., a. 1, in corp. : « Praedestinationi duo effectus assignantur, scilicet gratia et gloria. »

Et ibid., a. 6, ad 4^{m} : « Effectus praedestinationis, qui sunt gratia et gloria, non se habent per modum perfectionis primae, sed per modum perfectionis secundae. » Et in I^{a}, q. 23, a. 3, ad 4^{m} : « Praedestinatio est causa ejus quod exspectatur in futura vita a praedestinatis, scilicet gloriae, et ejus quod percipitur in praesenti, scilicet gratiae. » Et in Sent. I, d. 40, q. 1, a. 1, in corp. : « Hoc modo dico quod praedestinatio aliquid ponit in praedestinato : quia ad operationem hanc sequitur effectum praedestinationis inesse praedestinato, non semper quandocumque est praedestinatio, sed quandoque, et hic effectus est gratia et gloria. » Huc accedit d) quod praedestinationem esse omnino gratuitam non aliunde probat s. Doctor quam ex eo quod « gratia et gloria sunt ejusmodi bona quae excedunt naturalis virtutis limites » (q. 6 de Verit., a. 2), quod « quidquid est in homine ordinans ipsum in salutem, comprehenditur totum sub effectu praedestinationis, etiam ipsa praeparatio gratiae » (in I^{a}, q 23, a. 5), quod « ponere quod aliquod meritum ex parte nostra praesupponatur, cujus praescientia sit ratio praedestinationis, nihil est aliud quam gratiam ponere dari ex meritis nostris » (in cap. 8 ep. ad Rom., lect. 6), quod « gratiae, quae est primus effectus [praedestinationis], non potest aliqua ratio assignari ex parte hominis » (in cap. 1 ep. ad Eph., lect. 1). Atque hinc est e) quod argumenta quae fiebant ad ostendendum praescientiam meritorum esse causam praedestinationis, vix aliter solvit quam dicendo ipsam largitionem gratiae non fieri secundum rationem debiti, sed omnino gratis. Sic v. g. in q. 6 de Verit., a. 2, ad 5^{m} : « Ad primam rerum dispositionem, inquit, totum hoc pertinet quod dictum est a Deo procedere secundum simplicem voluntatem [h. e. citra rationem debiti], inter quae etiam praeparatio gratiae computatur. » Et ibid., ad 6^{m} : « Non requiritur [ut] de perfectionibus superadditis [Deus unicuique largiatur], inter quas sunt gratia et gloria. » Itidem ad 8^{m}, ibid : « Non est contra rationem justitiae distributivae, si Deus proponat se daturum gratiam alicui, et alicui non, nulla inaequalitate meritorum considerata. » Tum in I^{a}, q. 23, a. 5, ad 1^{m} : « Usus gratiae praescitus non est ratio collationis gratiae. »

Fallacia Bannesianorum

187. In vanum itaque laborant Bannesiani, quando ad ostendendum magistrum angelicum stare pro doctrina gratui-

tae electionis ad gloriam seorsum sumptam, accumulant ex ejus operibus testimonia quibus hoc solummodo inculcat, praedestinationem esse prorsus gratuitam. Cujusmodi sunt apprime haec testimonia quae in finem praedictum adducuntur a Goneto, in Clypeo theologiae thomisticae, tom. 2, disp. 2, art. 1, § 6 : « Praescientia meritorum vel propriorum vel aliorum non est causa praedestinationis » (q. 6 de Verit., a. 6), « non potest esse quod merita consequentia praedestinationem sint ratio miserendi aut praedestinandi, sed sola Dei voluntas, secundum quam misericorditer aliquos liberat » (in cap. 9 ep. ad Rom., lect. 3), « ponit Apostolus voluntariam Dei praedestinationem, cujus quidem praedestinationis ratio non sunt merita nostra, sed mera Dei voluntas, propter quod addit : secundum propositum » (in cap. 1 ep. ad Eph., lect. 1). Quibus certe testimoniis, quae in infinitum multiplicari possent, nihil aliud edicitur quam id quod profitemur omnes, praedestinationem videlicet simpliciter dictam, quae ex mente s. Doctoris est praedestinatio, prouti se exporrigit ad totam seriem beneficiorum salutarium, non habere rationem in meritis nostris. Cum quo stat profecto, praedestinationem, prouti sumitur secundum quid h. e. incomplete, sive respectu gratiarum post primam gratiam concessarum, sive respectu gloriae seorsum, posse habere rationem ex parte voliti in praevisione meritorum.

arguentium pro sua sententia ex eo quod praedestinationem s. Thomas ponit esse gratuitam.

188. Quamobrem ut ex iis quae de causa praedestinationis s. Doctor disputat, decidi queat quaenam ei sententia mente insederit circa ordinem praescientiae et praedestinationis ad gloriam seorsum, oportet eos ejus operum locos adire in quibus sive ex contextu sive ex addito aliquo restringente clare appareat ipsum non solum loqui de causa praedestinationis simpliciter dictae, sed etiam de causa praedestinationis consideratae incomplete prae peculiari illo effectu qui est gloria per se spectata. Sunt autem ejusmodi loci tres quatuorve, qui jam singillatim sunt afferendi et expendendi.

Genus testimoniorum ex s. Thoma adducendorum ad determinandum quidnam senserit circa ordinem praescientiae et praedestinationis ad gloriam.

189. Primus locus exstat in commento in ep. ad Rom., cap. 8, lect. 6. Ibi exponens haec Apostoli verba : « Nam quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui », ita disserit s. Doctor : « Circa ordinem autem praescientiae et praedestinationis dicunt quidam quod prae-

Primum testimonium.

scientia meritorum bonorum et malorum est ratio praedestinationis et reprobationis, ut scilicet intelligatur quod Deus praedestinet aliquos, quia praescit eos bene operaturos et in Christum credituros, et secundum hoc littera sic legitur : Quos praescivit conformes fieri imaginis Filii ejus, hos praedestinavit. Et hoc quidem rationabiliter diceretur, si praedestinatio respiceret tantum vitam aeternam, quae datur meritis; sed sub praedestinatione cadit omne beneficium salutare quod est homini ab aeterno praeparatum : unde eadem ratione omnia beneficia quae nobis confert in tempore, praeparavit nobis ab aeterno. Unde ponere quod aliquod meritum ex parte nostra praesupponatur, cujus praescientia sit ratio praedestinationis, nihil est aliud quam gratiam ponere dari ex meritis nostris, et quod principium bonorum operum est ex nobis, et consummatio est ex Deo. »

Probatio ostendens primo testimonio doceri gloriam praedestinari ex praevisis meritis.

190. Porro tali sua ratione disserendi aequivalenter doceri ab Angelico praedestinationem inadaequatam ad gloriam seorsum sumptam, habere rationem ex parte voliti in meritis gratiae, tam est manifestum ut nonnisi mentem praejudiciis obcaecatam id latere valeat. Etenim a) praedestinatio, prouti inadaequate accipitur respectu solius gloriae, respicit tantum vitam aeternam, quae datur meritis; si ergo verum sit, id quod loco citato asserit s. Doctor, fore ut rationabiliter diceretur praescientiam meritorum esse rationem praedestinationis, « si praedestinatio respiceret tantum vitam aeternam, quae datur meritis, » necesse est asserere rationabiliter dici praedestinationem, prouti inadaequate accipitur respectu solius gloriae, habere rationem in praevisione meritorum; est enim par ratio utrobique. Sane b) quando hujus propositionis condicionalis a se assertae : « Si praedestinatio respiceret tantum vitam aeternam, rationabiliter diceretur praescientiam meritorum esse rationem praedestinationis; » quando hujus propositionis condicionalis, inquam, s. Doctor hanc assignat rationem, quod « vita aeterna datur meritis, » manifeste innititur ceu principio cui subsumenda sit talis ratio, propositioni universaliter edicenti omne beneficium salutare quod in ordine executionis confertur propter merita, in aeterna Dei praeordinatione praeparari propter praevisionem meritorum. Et ratio sic dicendi in promptu est : non enim nisi in virtute hujus principii praedicta ratio efficaciter

procedit. Sed ex eo principio est consequens praedestinationem, prouti sumitur inadaequate respectu solius gloriae, esse ex praevisione meritorum. Non stat ergo ratio qua una praedictam propositionem condicionalem s. Doctor probat, nisi ponatur praedestinationem, prouti inadaequate accipitur respectu solius gloriae, habere rationem in meritis praevisis a Deo. Insuper, c) uti palam fit ex oppositione quam particula adversativa *sed* s. Doctor loco citato inducit inter praedestinationem quae respiciat beneficium salutare datum propter merita, et praedestinationem quae respiciat beneficia salutaria non data quantum ad totum suum complexum propter merita; *praecisa sive unica ratio* propter quam secundum ipsum falsa est positio dicentium praedestinationem simpliciter dictam esse ex praevisione meritorum, sumitur ex eo quod ex tali positione sequitur gratiam dari ex meritis nostris. Sed talis ratio non obstat quominus praedestinatio incompleta ad gloriam per se sumptam ponatur esse ex praevisione meritorum. Non ergo secundum doctrinam quam tradit Angelicus loco citato, suppetit ratio aliqua negandi praedestinationem, prouti inadaequate accipitur respectu gloriae tantum, esse ex praevisione meritorum (1).

(1) Eminentissimus cardinalis Franzelin, in suo tractatu De Deo uno, sect. 5, cap. 3, thes. 57, paulo ante fin., affert et aliud pro conclusione hic a nobis intenta; contendit videlicet, in testimonio illo quod ex commentario super epistolam ad Rom. supra descripsimus, diserte asseri a s. Thoma, dona Dei eum habere ordinem in aeterna Dei praedestinatione quem habent in temporali sui executione. Huc nimirum ait pertinere haec verba quae ibi ponit s, Doctor : « Unde eadem ratione omnia beneficia quae nobis confert in tempore, praeparavit nobis ab aeterno. » Additque propositione hisce verbis expressa contineri fundamentum totius doctrinae quam de praedestinatione s. Doctor tradit in testimonio laudato. « Fundamentum totius hujus doctrinae, inquit, est quia Deus *eadem ratione* omnia beneficia quae nobis confert in tempore, praeparavit nobis ab aeterno. Quia scilicet *eadem ratione* qua beneficia confert in tempore, illa ab aeterno praeparavit, ideo gloriam ex praevisis meritis praedestinasse rationabiliter dicitur; gratiam autem primam ex meritis praedestinasse dici non potest, quin in errorem impingatur Semipelagianorum. »

At profecto fallitur vir eruditissimus, quum in talem sensum verba modo citata interpretatur. Etenim a) nectuntur haec verba per particulam illativam « unde » cum verbis antecedentibus; proindeque ea continent consequentiam deductam ex hac propositione quae a s. Doctore proxime praemissa erat : « Sed sub praedestinatione cadit omne beneficium salutare quod est

Prima evasio Bannesianorum.

191. Nituntur quidem Bannesiani vim testimonii modo explicati declinare, aliorsum ejus sensu inflexo, sed irrito prorsus conatu.

DICUNT 1° cum Thoma de Lemos, in Panoplia gratiae, tom. II, tractatu 2, cap. 29, nn. 308 et 309 : S. Thomas loco citato loquitur de praedestinatione formaliter sumpta, prouti distinguitur ab electione estque actus

homini ab aeterno divinitus praeparatum. » Ex tali autem propositione non est deducere dona Dei in aeterna Dei praedestinatione eodem se excipere ordine quo se excipiunt in temporali sui executione. Qualis enim foret haec consequentia : Praedestinatio Dei se extendit ad omnia beneficia salutaria quae Deus ab aeterno praeparavit; ergo haec beneficia eodem ordine Deus ab aeterno praedestinavit, quo ea in tempore exsequitur ? Non ergo in verbis citatis agitur de aequalitate ordinis beneficiorum Dei in aeterna praedestinatione et in temporali executione. Et re quidem vera, b) si hisce suis verbis s. Doctor institueret comparationem inter ordinem quem inter se habent beneficia salutaria in temporali eorum collatione, et ordinem quem inter se servant in aeterna Dei praedestinatione, oportuisset eum ita dixisse : Eadem ratione QUA beneficia salutaria Deus nobis confert in tempore, ILLA OMNIA nobis praeparavit ab aeterno. Non autem ita dixit, sed junctura verborum longe diversa ita locutus est : « Eadem ratione [Deus] omnia beneficia *quae* nobis confert in tempore, nobis praeparavit ab aeterno. Qua certe verborum constructione haec verba : *eadem ratione,* nullo pacto referuntur ad beneficia salutaria, prouti conferuntur in tempore, sed solummodo ad haec beneficia, prouti praeparantur ab aeterno. Adeo ut sensus manifestus propositionis a s. Doctore tali verborum complexione enuntiatae, sit ejusmodi : Omnium beneficiorum a Deo in tempore collatorum eadem est ratio quantum ad hoc quod a Deo praeparantur ab aeterno. Qui sane sensus ejusdem propositionis colligitur etiam c) ex antecedentibus. Inceperat dicere s. Doctor fore rationabile dicere praedestinationem esse ex praevisis meritis, si praedestinatio respiceret tantum vitam aeternam. Tum vero subdiderat sub praedestinationem cadere omne beneficium salutare quod Deus praeparaverit ab aeterno. Inde porro inferendum erat, id quod revera inde infert s. Doctor, non adesse rationem cur potius hoc beneficium salutare quod est vita aeterna, quam cetera beneficia salutaria Deus ab aeterno praeparaverit, sed eamdem rationem valere de omnibus beneficiis salutaribus a Deo in tempore collatis, quantum ad hoc quod ea Deus ab aeterno praeparaverit. Adde d) quod, utut sit multiplex significatio hujus vocis *ratio* apud auctores classicos, non tamen habet usus loquendi s. Thomae ut haec vox usurpetur pro eo quod est « ordo » ; adde e) quod nonnisi decursu probationis ostendentis praedestinationem simpliciter dictam esse gratuitam, s. Thomas enuntiat propositionem de cujus sensu hic ambigitur, quodque proinde in hac propositione non fundat doctrinam quam de praedestinatione ad gloriam seorsum sumptam loco citato tradit : hanc quippe doctrinam plene stabiliverat priusquam praedictam probationem aggrederetur.

intellectus practici ordinantis media ad finem, et sic verum est id quod ibi docet, praedestinationem, prouti est tantum ad gloriam, fieri ex praevisione meritorum. Cum hoc tamen stat id quod alibi docet, electionem ad gloriam, quae est actus voluntatis quaeque praecedit praedestinationem formaliter sumptam, antecedere omnem praevisionem meritorum et sic esse prorsus gratuitam. Non ergo ex testimonio laudato concludi potest s. Doctorem opinatum esse praedestinationem ad gloriam seorsum, prouti sensu minus formali accipitur pro actu voluntatis divinae eligentis ad gloriam, esse ex praescientia meritorum.

192. Respondetur *negando assumptum*, quod directe pugnat cum diserta doctrina tradita a s. Doctore in q. 6 de Verit., a. 2, et in I^a, q. 23, a. 5. Hisce videlicet locis expressis verbis docet, « secundum hoc posse esse aliquid praedestinationis causam, prout potest esse voluntatis motivum. » « sic inquirendam esse rationem praedestinationis, sicut inquiritur ratio divinae voluntatis. » Ex quibus efficitur ut, quando in testimonio laudato significat praedestinationem, prouti est praecise ad gloriam, esse ex praevisis meritis, de mente ejus sit asserere ipsam electionem, prouti est ad gloriam seorsum, esse ex praevisione meritorum. Ejus praeclusio.

193. Alii itaque adversarii, videntes hunc primum evasionis modum aperte adversari doctrinae alibi traditae a s. Thoma, dicunt 2° cum Goneto, in Clypeo theologiae thomisticae, tom. II, tractatu 5, disp. 2, art. 2, § 1, n. 62 : In testimonio laudato divus Thomas sumit praedestinationem, prout est ad gloriam tantum, non pro decreto intentivo gloriae, quod in ejus sententia meritorum praevisionem antevertit, sed pro decreto executivo illius, quod merita praevisa supponit; solumque intendit dicere hoc intercedere discrimen inter praedestinationem ad gloriam et praedestinationem ad gratiam, in ordine executionis consideratas, quod prima non est pure gratuita, sed dependens a praescientia meritorum, secunda vero est pure gratuita et non dependens a meritis. Secunda evasio Bannesianorum.

194. Respondetur *negando assumptum*, cujus falsitas patet — tum a) ex eo quod praedestinatio simpliciter et sine ullo addito dicta includit omne omnino decretum absolutum quod Deus habet circa beneficia salutaria praedestinatis in Ejus praeclusio.

tempore danda; de praedestinatione autem tali sensu accepta s, Doctor loco citato asserit eam, si esset tantummodo de gloria, fore ex praevisione meritorum — tum b) ex eo quod auctores quorum sententiam ibidem refellit, intendebant loqui de praedestinatione quantum ad omne decretum divinae voluntatis in ea inclusum, quando docebant praedestinationem habere rationem in praescientia meritorum, quodque proinde, quando asserit hanc eorum sententiam fore rationabilem, si praedestinatio respiceret tantum vitam aeternam, ipse similiter loquitur de praedestinatione quantum ad omne decretum divinae voluntatis in ea inclusum.

Tertia evasio Bannesianorum.

195. Videntes itaque et hunc secundum evasionis modum sibi praecludi, DICUNT alii 3° cum Billuart, De Deo et ejus attributis, dissert. 9, art. 5, § 3, versus fin. : Testimonio laudato adstruitur potius quam destruitur gratuita praedestinatio ad gloriam. « Equidem verissime dixit s. Thomas quod si praedestinatio esset tantum ad gloriam, et non ad merita, ita ut supponeret ex parte nostra aliquid necessarium ad gloriam, quod non daret, sive bonum opus, ut volebat Pelagius, sive initium boni operis, ut dicebant Semipelagiani, sive bonum usum gratiae, ut censent Molinistae; tunc non esset gratuita, quia deberet supponere et praevidere illud necessarium ex parte nostra non defuturum. At supposito quod praedestinatio non sit tantum ad gloriam, sed etiam ad merita, ita ut nihil sit in nobis inducens ad gloriam, quod non sit donatum a Deo et effectus praedestinationis, ut hic et alibi constanter docet s. Thomas, sequitur quod praedestinatio ad gloriam non sit ex praevisis meritis, sed, e contra, quod haec merita sint effectus praedestinationis ad gloriam, quatenus nemo confert media ad finem, nisi ex intentione finis. »

Ejus praeclusio.

196. RESPONDETUR tali modo evasionis substitui discursui quo revera utitur s. Thomas in textu laudato, alium prorsum discursum cujus nec vola nec vestigium in eo textu apparet. Etenim a) quando ibi dicit s. Doctor fore ut rationabiliter diceretur praevisionem meritorum esse rationem praedestinationis, si praedestinatio respiceret tantum vitam aeternam, hujus sui dicti non ex eo rationem reddit quod, stante hypothesi praedicta, praedestinatio supponeret ex parte nostra aliquid necessarium ad gloriam quod Deus

non daret, h. e. merita mere naturalia, quae oporteret praevideri a Deo non defutura, sed istud suum dictum probat ex eo quod « gloria *datur* meritis », utique supernaturalibus ; non enim *datur* gloria meritis mere naturalibus. Quando vero deinde dicit praedestinationem respicere omnia omnino beneficia Dei salutaria, et propter hoc eam esse mere gratuitam, hujus sui alterius dicti rationem non assignat ex eo quod prius praedestinatur gloria, et posterius praedestinantur merita, sed ex eo quod gratia non datur ex meritis. Et quidem hanc rationem significat s. Doctor esse praecisam sive unicam, h. e. talem ut, ea dempta, deesset ratio negandi praedestinationem esse ex praevisione meritorum. Adeo ut, quemadmodum jam supra arguebamus, tam ex modo quo s. Doctor probat posterius suum dictum, quam ex modo quo probat suum dictum prius, colligatur gloriam ex ejus sententia praedestinari dependenter a praescientia meritorum. Nempe sensus verborum s.Doctoris est evidenter talis : Si nomen praedestinationis esset impositum ad significandam solummodo aeternam praeparationem gloriae, rationabiliter diceretur praedestinationem esse ex praevisione meritorum, eo quod, supposito tali usu hujus nominis *praedestinatio*, totalis effectus praedestinationis conferretur in ordine executionis propter merita ; at quia nomine praedestinationis intelligitur praeparatio omnium beneficiorum salutarium quae Deus homini praeparavit ab aeterno, Deus autem pari ratione omnia beneficia salutaria quae nobis confert in tempore, praeparavit nobis ab aeterno, idcirco nequit poni praedestinationem esse ex meritis, sine hoc quod incidatur in sententiam Pelagii dicentis gratiam ex meritis dari.

197. Secundus locus exstat in commento super caput 1 Ep. ad Eph., lect. I. Ita ibi perhibet s. Doctor : « Causa praedestinationis divinae non est necessitas ex parte Dei, nec debitum ex parte praedestinatorum ; sed magis secundum propositum voluntatis suae... Duplex tamen causa hujus beneficii immensi assignatur. Una est efficiens, quae est simplex Dei voluntas,... alia vero causa est finalis, quae est ut laudemus et cognoscamus bonitatem Dei... Causa enim divinae praedestinationis est voluntas mera Dei, finis vero cognitio ejus bonitatis. Unde notandum est quod Dei voluntas nullo modo habet causam, sed est prima causa omnium. Secundum testimonium.

Nihilominus tamen potest ei aliqua ratio assignari dupliciter; scilicet vel ex parte volentis, et sic quaedam ratio divinae voluntatis est ejus bonitas, quae est objectum voluntatis divinae et movet eam : unde ratio omnium eorum quae Deus vult, est divina bonitas... Ex parte autem voliti ratio divinae voluntatis potest esse aliquod esse creatum; sicut dum vult coronare Petrum, quia legitime certavit; sed hoc non est causa volendi, sed est causa quod ita fiat. Sciendum tamen est quod effectus sunt ratio voluntatis divinae ex parte voliti, ita scilicet quod effectus prior sit ratio ulterioris; sed tamen, quum venitur ad primum effectum, non potest ultra assignari aliqua ratio illius effectus, nisi voluntas divina : puta, Deus vult hominem habere manum, ut serviat rationi, et hominem habere rationem, quia voluit eum esse hominem, et hominem esse voluit propter perfectionem universi. Et quia hic est primus effectus in creatura, non potest assignari aliqua ratio universi ex parte creaturae, sed ex parte creatoris, quae est divina voluntas. Ergo secundum hunc modum, nec praedestinationis potest ex parte creaturae ratio aliqua assignari, sed solum ex parte Dei. Nam effectus praedestinationis sunt duo, scilicet gratia et gloria. Effectuum autem qui ad gloriam ordinantur, potest quidem ex parte voliti assignari ratio, scilicet gratia : puta, Petrum coronavit quia legitime certavit, et hoc quia fuit firmatus in gratia : sed gratiae qui est primus effectus, non potest aliqua ratio assignari ex parte hominis, quae sit ratio praedestinationis : quia hoc esset ponere quod principium boni operis sit in homine ex seipso, et non per gratiam, quod est haeresis Pelagiana, quae dicit principium boni operis esse ex parte nostra. Sic ergo patet quod ratio praedestinationis est simplex Dei voluntas, propter quod dicit Apostolus : *Secundum propositum voluntatis suae*

Elucidatio distinctionis in secundo testimonio adhibitae.

198. Circa hunc locum animadvertendum est, in eo, sicut in Sent. I, d. 41, q. 1, a. 3, in Summa c. gent., lib. I, cc. 86 et 87, et in I^{a}, q. 19, a. 5, s. Thomam, facta distinctione inter id quod est *causa voluntatis divinae* et id quod est *ratio ejusdem voluntatis divinae ex parte voliti*, omnino quidem negare aliquid creatum posse esse causam divinae voluntatis spectatae ex parte actus, eo quod res creatae omnes, quantum ad omne quod eis inest, sunt causatae

a voluntate divina, quae est prima et universalis causa ; simul tamen eum concedere aliquid creatum posse esse rationem divinae voluntatis ex parte voliti. Quam quidem distinctionem instantius adhuc inculcat, dicens id quod ex parte voliti est ratio divinae voluntatis, esse quidem causam cur fiat id quod est volitum a Deo, non tamen esse causam ipsius voluntatis divinae. Quid autem sit aliquid esse rationem voluntatis divinae ex parte voliti, declarat in lib. I, c. Gent., c. 87, ubi ait « aliorum a Deo volitorum (h. e. rerum creatarum) nullum esse Deo causam volendi, *sed unum eorum esse alteri causam ut ordinem habeat ad divinam voluntatem.* » Ex quo habemus propterea unam rem creatam esse Deo rationem quare aliam velit, quia nonnisi dependenter a praesupposita re illa creata priore, alia res creata cadit sub voluntatem divinam sive terminat eam. Et in hunc sensum doctrinam s. Thomae de re modo proposita intellexit Cajetanus, qui in I^am^, q. 19, a. 5, explicans hanc propositionem ibi a divo Thoma assertam : « Deus vult hoc esse propter hoc, sed non propter hoc vult hoc, » ait « actum voluntatis divinae ex parte voliti habere causam ita quod attingentia passiva unius causatur ex attingentia passiva alterius, id est, *esse volitum unius causatur ex esse volito alterius*, ita quod non solum hominem esse[in rerum natura] causetur in genere causae finalis ex universi perfectione, *sed etiam hominem esse volitum a Deo causetur ex hoc quod universum est volitum a Deo.*» Additque propterea ex mente s. Thomae verum esse dicere : « Hoc est volitum a Deo propter hoc aliud volitum a Deo.»

199. In textu itaque proposito, intendens ostendere praedestinationis non posse assignari rationem aliquam ex parte hominis, sed solummodo ex parte Dei, duo praestat Angelicus, scilicet 1° praemittit doctrinam generalem de ratione voluntatis divinae et 2° ex applicatione talis doctrinae ad voluntatem Dei praedestinantem concludit intentum. Ex utraque porro hac probationis ibi ab eo institutae veluti parte efficaciter colligitur, ex ipsius mente praedestinationem, prouti est ad gloriam tantum, habere rationem in meritis gratiae praescitis a Deo. Quod quidem sic apparere potest :

Probatio ostendens in secundo testimonio doceri gloriam praedestinari ex praevisis meritis.

Postquam dixerat s. Doctor, « ex parte voliti rationem divinae voluntatis posse esse aliquod esse creatum, » jam

declaraturus sub qua limitatione hoc ejus dictum accipiendum sit, ita prosequitur : « Sciendum tamen est quod *effectus sunt ratio voluntatis divinae ex parte voliti*, ITA SCILICET quod effectus prior sit ratio ulterioris, sed tamen, quum venitur ad primum effectum, non potest ultra assignari aliqua ratio illius effectus, nisi voluntas divina. » Quorum certe verborum sensus perspicuus hic est : Quod est ratio alicujus effectus in ordine executionis, idipsum est ratio voluntatis divinae, prouti terminatur ad talem effectum ; ideoque, quousque varii effectus a Deo procedentes, habent rationem in esse aliquo creato, etiam voluntas divina, prouti refertur ad tales effectus, habet rationem in esse isto creato; quando tamen venitur ad effectum, qui, utpote primus in serie effectuum, jam non habet rationem in esse aliquo creato, etiam voluntas divina, prouti est de illo effectu, sumpto sive seorsum sive in suo complexu cum ceteris effectibus ab eo pendentibus, non habet amplius rationem aliquam ex parte creaturae. Et quidem tali sensu accipiendam esse doctrinam praelaudatis verbis contentam, magis adhuc manifestat s. Doctor, exemplificando id quod dixerat in effectibus universitatis corporeae. « Puta, inquit statim post verba citata, Deus vult hominem habere manum ut serviat rationi, et hominem habere rationem, quia voluit eum esse hominem, et hominem esse voluit propter perfectionem universi. Et quia hic est primus effectus in creatura, non potest assignari aliqua ratio universi ex parte creaturae, sed ex parte creatoris, quae est divina voluntas. » Hoc exemplo disertissime perhibet s. Doctor voluntatem divinam, quousque est de effectu aliquo mundano habente rationem in aliquo effectu mundano priore, habere rationem in effectu isto priore, prouti tamen est de toto universo corporeo, eam jam non habere rationem ex parte creaturae, eo quod perfectio universi, qui est primus effectus a quo pendent ceteri omnes effectus mundani, non habet aliquam rationem in esse aliquo creato. Ergo, quia exemplum comparatur ad id cujus illustrandi causa affertur, sicut particulare ad universale, in propositione praemissa universaliter docuerat s. Doctor, idipsum quod est ratio alicujus effectus in ordine executionis, esse rationem cur iste effectus cadat sub voluntatem divinam. Sed ex tali ejus doctrina a) est omnino

consequens praedestinationem non habere quidem rationem ex parte hominis, si sumatur simpliciter, eo quod gratiae, qui est primus ejus effectus, non potest assignari ratio ex parte hominis, eam habere tamen rationem in meritis nostris, si sumatur secundum quid sive incomplete, prouti est praecise ad gloriam, eo quod ipsa gloria habet in ordine executionis rationem in meritis. Et quidem hoc legitime deduci ex doctrina praemissa, patet etiam b) ex modo quo ex hac doctrina magister angelicus concludit propositum. In immediata videlicet connexione cum exemplo quo hanc suam doctrinam illustraverat, ita colligit : « Ergo *secundum hunc modum* nec praedestinationis potest ex parte creaturae ratio aliqua assignari, sed solum ex parte Dei. » Si, uti hisce verbis decernitur, ad concludendum praedestinationem esse gratuitam, oportet circa rationem praedestinationis eo modo ratiocinari quo s. Doctor proxime ratiocinatus erat circa rationem voluntatis qua Deus vult effectus quibus constat universum ; ergo, quemadmodum voluntas Dei, prouti est de effectu universi habente rationem in priore aliquo effectu, habet rationem in priore isto effectu, ita et praedestinatio, prouti est praecise de aliquo suo effectu habente rationem in priore praedestionationis effectu, habet rationem in priore hoc effectu. Et sic praedestinatio, prouti est praecise ad gloriam, erit ex meritis, quae in executione sunt ratio conferendi gloriam. Quod ceteroquin c) diserte significat s. Doctor verbis quae immediate subdit. Jam enim aggrediens probare omnino tenere paritatem cui innititur ejus conclusio, distinguit inter effectus praedestinationis eadem plane ratione qua prius distinxerat inter effectus voluntatis qua Deus vult universum. « Nam effectus praedestinationis, inquit, sunt duo, scilicet gratia et gloria. *Effectuum autem qui ad gloriam ordinantur, potest quidem* EX PARTE VOLITI *assignari ratio, scilicet gratia : puta Petrum coronavit, quia legitime certavit, et hoc, quia fuit firmatus in gratia* : sed gratiae, qui est primus effectus, non potest aliqua ratio assignari ex parte hominis, quae sit ratio praedestinationis, quia hoc esset ponere quod principium boni operis sit in homine ex seipso, et non per gratiam, quod est haeresis Pelagiana. » Asserendo in hac sua probatione « effectuum qui ad gloriam ordinantur, posse EX PARTE

VOLITI assignari rationem », quae proxime quidem sint merita, remote vero sit gratia, aperte significat s. Doctor se loqui de his effectibus, non solum ut sunt in natura rerum, sed etiam ut sunt voliti, h. e. ut terminant voluntatem praedestinantem ; proindeque eo redit hoc ejus assertum ut dicatur praedestinationis, prouti est ad gloriam tantum, posse assignari rationem ex meritis. Determinaturque ad talem sensum idem assertum ex scopo s. Doctoris, qui erat urgere paritatem, quae, quantum attinet ad hoc quod est habere vel non habere rationem ex parte voliti, intercedit inter voluntatem Dei praedestinantem et voluntatem qua Deus vult universum. Quodque vel solum sufficeret ad ostendendum secundum s. Doctorem gloriam praedestinari dependenter a praevisis meritis gratiae, non aliunde ipse concludit praedestinationis non posse assignari rationem ex parte hominis, quam ex eo quod gratiae, qui est primus praedestinationis effectus, non est assignare rationem ex parte hominis.

Confirmatio probationis modo factae ex doctrina s. Thomae de effectibus procedentibus ex simplici Dei voluntate.

200. Omnino conferenda est cum doctrina tradita ab Aquinate in textu hactenus explicato, distinctio quam plurimis suorum operum locis inculcat inter effectus qui procedunt ex simplici Dei voluntate, et effectus qui non procedunt ex simplici Dei voluntate. Asserit in lib. I Summae cont. gent., cap. 87, per hoc quod capite 86 immediate praecedente ostensum fuerat, voluntatis divinae, prouti est de aliquibus effectibus, posse assignari rationem ex parte voliti, «excludi errorem dicentium omnia procedere a Deo secundum simplicem voluntatem. » Quod et docet in q. 6 de Verit., a. 2. Inde porro habetur, secundum ipsum idem esse dicere, voluntatis qua Deus vult effectum aliquem, posse assignari rationem ex parte voliti, atque dicere effectum a Deo volitum non procedere ex simplici Dei voluntate. Aliunde autem ipse docet in eodem illo cap. 87, libri I Summae, c. gent. modo citato, effectuum qui procedunt a simplici Dei voluntate, non esse reddere aliam rationem nisi solam Dei voluntatem. Cui congruit id quod asserit tum in q. 2 de Verit., a. 6, tum praesertim in I^{a}, q. 19, a. 5, ad 3^{m}, scilicet primos solummodo effectus, qui non habent rationem in aliquo alio effectu, dependere ex simplici Dei voluntate.

Ex tali autem doctrina rursum efficacissime concluditur

intentum. Si enim, uti haec doctrina perhibet, effectus cujus est assignare rationem ex priore aliquo effectu, non procedit ex simplici Dei voluntate, idem autem est dicere aliquem effectum non procedere ex simplici Dei voluntate atque dicere voluntatis qua Deus vult hunc effectum, posse assignari rationem ex parte voliti ; ergo, quia gloria habet rationem in meritis, etiam voluntas praedestinans qua Deus vult gloriam alicui, habet ex parte voliti rationem in meritis.

Praecluditur prima Bannesianorum evasio.

201. *Nec evaditur* dicendo valere quidem talem conclusionem de decreto executivo gloriae, non tamen de decreto intentivo illius ; *praecluditur* enim haec adversariorum fuga, eo quod de voluntate Dei universim sumpta tractabat s. Thomas, quando locis supra citatis asserebat solummodo ejus Dei voluntatis quae est de primis effectibus, non posse assignari rationem ex parte voliti creati.

Praecluditur altera Bannesianorum evasio.

202. *Nec valet etiam dici* gloriam, quamvis non sit prima in ordine executionis, esse tamen primum effectum praedestinationis in ordine intentionis ,eo modo quo perfectio universi, qui est finis omnium partium universi, vocatur a s. Thoma primus effectus. *Neque sic valet dici*, inquam ; quia primum effectum non vocat s. Thomas nisi eum tantum cujus non est assignare rationem ex alio aliquo effectu. Quare loco supra adducto ex Commentario in ep. ad Eph., lect, 1, perfectionem universi merito vocavit primum effectum, eo quod perfectio mundi, tametsi resultet ex partibus mundi, non tamen trahit rationem suae existentiae ex hisce partibus ; gloriam vero non vocavit primum effectum, sed tantummodo gratiam, eo quod non gloria, sed solummodo gratia, non habet rationem in meritis praecedentibus.

Tertium testimonium.

203. Tertius locus huc pertinens habetur in Sent. I, d. 41, q. 1, a. 3. Ad quaestionem ibi in titulo propositam : « Utrum praescientia meritorum sit causa praedestinationis, » ita respondet s. Doctor : « Respondeo dicendum quod praescientia meritorum vel aliquorum operum nullo modo est causa praedestinationis divinae, quod patet, si consideretur totum id quod in praedestinatione est de essentia ipsius. Sed nihil prohibet illud quod est effectus praedestinationis, scilicet gratia et gloria, quae oblique ponuntur in ejus definitione, habere aliquam causam ex parte nostrarum operationum. De essentia enim praedestinationis est praescientia

et voluntas salutis aliquorum. Scientia autem de salute eorum non causatur a scientia operum aliquorum ; quia ipse non venit in cognitionem effectuum per causam, sed per seipsum. Unde non potest dici in eo, quod ipse scit hoc, quia scit causam hujus ; sed, in quantum intuetur essentiam suam, quae est omnium similitudo, videt unumquodque in se, tam causam quam causatum. Similiter etiam, voluntas sua, quum sit libera, magis etiam quam alia voluntas, non habet causam nisi finem voluntatis suae. Finis autem voluntatis suae est sua bonitas, quae est ipsemet : unde dicitur communiter quod Deus vult hoc propter bonitatem suam, non quia scit hoc, vel quia factum est. Sed tamen effectus voluntatis suae, scilicet ipsum volitum ordinatum ad bonitatem suam, potest procedere ex aliqua causa quam Deus praescivit ab aeterno ; et istum ordinem causae ad causatum Deus vult, et vult quod effectus sit, quia causa est ; non autem ita quod causalitas referatur ad voluntatem, sed ad volitum ; *et ista causa voliti, non volendi, dicitur ratio quaedam voluntatis ex parte effectus*. Sed haec causa in quibusdam habet completam rationem causae, et sufficienter inducit effectum, quandoque vero est tantum dispositio. Ita etiam ad duplicem effectum praedestinationis diversimode se habet nostra operatio ; quia opus meritorium, informatum gratia [gratum faciente], est causa meritoria gloriae, sed opus bonum praecedens gratiam, non est causa meritoria ejus, sed solum dispositio quaedam. Unde patet quod praedestinatio causam non habet, sed habet rationem ex parte effectus, secundum quam rationabilis et justa dicitur. »

Summa dictorum a s. Thoma in tertio testimonio.

204. Pro duplici conclusione quam s. Doctor hoc loco probare satagit quamque statim a principio enuntiat, ejus responsio habet duas partes, in quarum priore ostendit praedestinationem non habere causam in praescientia meritorum vel operum quorumdam nostrorum, in posteriore vero ostendit eam habere nihilominus rationem in hisce nostris meritis vel operibus a Deo praescitis. Causam autem sumit sensu stricto pro eo quod per modum objecti formalis movet sive intellectum ad cognoscendum, sive voluntatem ad volendum. Unde ratio quam affert pro priore sua conclusione, sita est in eo quod sola essentia divina est id quod per modum summi et infiniti veri intellectum divinum movet ad cogno-

scendum quidquid cognoscit, quodque itidem per modum summi et infiniti boni voluntatem divinam movet ad volendum quidquid vult. Ut vero probet alteram conclusionem, praemittit doctrinam generalem de ratione voluntatis divinae, hoc principio expressam : Quod est causa quare id quod est volitum a Deo, existat in rerum natura, idipsum est ratio quaedam voluntatis divinae ex parte effectus. Tum, distincta duplici causa, una, quae habet rationem causae completae, eo quod sufficienter inducat effectum, altera, quae nonnisi imperfecte participat rationem causae, eo quod non sit nisi dispositio quaedam, subsumit sub praedicto principio, « opus meritorium informatum gratia esse *causam meritoriam gloriae*, sed opus praecedens gratiam non esse causam meritoriam ejus, sed solum *dispositionem quamdam* ». Atque ex talibus praemissis tandem infert conclusionem intentam, dicens : « Unde patet quod praedestinatio causam non habet, *sed habet rationem ex parte effectus, secundum quam rationabilis et justa dicitur.* »

Probatio ostendens tertio testimonio doceri gloriam praedestinari ex praevisis meritis.

205. Attenta ratione qua in concludendo propositum nititur magister angelicus, manifestum est posteriore parte suae conclusionis ab eo doceri praedestinationem, prouti quidem est de gratia gratum faciente, habere rationem in operibus quibus nos disponimus ad gratiam, prouti vero est de gloria, habere rationem in operibus quibus de condigno meremur gloriam. Non enim quando dicit « praedestinationem rationem habere ex parte effectus, » haec ejus verba ad talem intelligentiam trahi possunt, ac si eis tantum ediceretur ipsum effectum praedestinationis habere rationem aliquam. Sic enim a) nugatoria redderetur propositio in qua suam probationem fundat, funderet videlicet ea propositio hunc sensum : quod est causa alicujus effectus, hoc est ratio hujus effectus. Probaretque ipse b) idem per idem : ex eo videlicet quod effectus praedestinationis habet causam aliquam, argueret hunc effectum habere rationem aliquam. Ejusque responsio c) nullo pacto quadraret in quaestionem ab eo propositam, quae erat de praedestinatione, et non de effectu praedestinationis. Patetque d) subjectum de quo in sua conclusione affirmat illud habere rationem, non esse effectum praedestinationis, sed esse ipsam praedestinationem. Adeo ut hoc additum : « ex parte effectus », eo pertineat ut

significetur opera nostra esse tantum rationem praedestinationis terminative sumptae, non vero ea esse etiam rationem praedestinationis entitative sumptae, quia hoc posterius poni non posset sine hoc quod ponendum esset opera nostra esse causam ipsius actus praedestinantis, quae positio priore parte conclusionis jam exclusa erat. Nec vero e) nisi propter rationem quae sit ratio ipsius praedestinationis terminative spectatae, potest dici de praedestinatione id quod de ea, propterea quod habet rationem ex parte effectus, s. Doctor affirmat, eam scilicet esse « rationabilem et justam ». In tantum enim ratio aliqua sumpta ex nostris operibus facit ut voluntas Dei nobis dandi gratiam et gloriam sit rationabilis et justa, in quantum nonnisi dependenter a nostris operibus volitum, h. e. gratia et gloria, terminat voluntatem divinam. Explicatque f) in talem sensum suam conclusionem ipsemet s. Doctor, quando art. cit. in resp. ad 2^m, volens declarare quomodo praedestinatio sit justa, nec tamen habeat CAUSAM in praescientia meritorum, perhibet etiam in homine justo id quod est ratio voluntatis ex parte effectus, non esse causam voluntatis. « Dicendum, inquit, quod ETIAM in justo homine CAUSA eliciens [h. e. movens ad eliciendum] actum volendi est finis voluntatis [h. e. bonum justitiae], *sed ex parte effectus accipit causam ex opere hominum*, quod discretionem in eis facit, ut si quaereretur a justo judice : *Quare vis huic plus dare quam illi?* Si vellet reddere causam voluntatis, diceret : Propter bonum justitiae quod in hoc opere relucet. *Si autem vellet reddere causam operis*, diceret : Eo quod iste magis dignus est. » In qua s. Doctoris responsione haec quaestio : *Quare vis huic plus dare quam illi?* quaerit proculdubio de ratione ipsius voluntatis ; jam vero huic quaestioni ait responderi, non solum assignato eo quod est fine qui movet voluntatem, sed etiam assignato eo quod est causa operis sive majoris retributionis uni quam alteri dandae. Juxta s. Doctorem proinde id quod est ratio ex parte operis sive ex parte effectus, hoc est ratio ipsius voluntatis. Et quidem idcirco juxta ipsum hoc est ratio ipsius voluntatis, quia nonnisi dependenter ab operibus propter quae aliquis meretur majorem retributionem, opus majoris retributionis cadit sub voluntatem justi judicis humani. Propter hoc ipsum enim quod justus judex humanus

non movetur ad volendum dare majorem retributionem ei qui magis dignus est, nisi propter bonum justitiae quod in hoc opere relucet, impossibile est sub ejus voluntatem cadere opus majoris retributionis, nisi quatenus hoc opus respicitur ab ejus voluntate sub ratione debiti proveniente ab operibus unde aliquis redditur dignus majore retributione. Quodque adhuc magis ostendit intentum, g) in talem sensum s. Doctor diserte urget comparationem a se institutam inter justum judicem humanum et Deum; insistens videlicet huic comparationi, ait praedestinationem, prouti est de gloria, habere « rationem justitiae distributivae. » Quod certe ejus assertum esset falsissimum, si ratio praedestinandi gloriam non essent merita gloriam praecedentia. De ratione enim voluntatis habentis rationem justitiae distributivae est ut respiciat volitum sub ratione debiti, quae ratio debiti, uti jam notatum est, provenit in re praesenti ex operibus quibus aliquis meretur gloriam. Quod ceteroquin h) ipse s. Doctor diserte notat, ita videlicet pergit dicere responsione citata : « Sed tamen sciendum quod praedestinatio respectu ultimi effectus habet rationem justitiae distributivae, scilicet respectu gloriae : et ideo possumus dicere quod Deus dat isti gloriam, non illi, quia iste meretur, et non ille ; *et similiter vult quod iste habeat, et non ille, quia iste dignus est, et non ille.* »

206. Omnino hic recolenda est doctrina, jam supra a nobis memorata, quam, data opera agens de ratione voluntatis divinae, Aquinas tradit in Lib. I c. Gent., c. 87. Est videlicet haec ejus doctrina ad instar commentarii verborum quibus, tractans de causa praedestinationis, utitur in Sent. I, d. 41, q. 1, a. 3. Perhibet ibi rem creatam non posse quidem esse Deo causam volendi, eo quod finis divinae voluntatis, qui solus eam movet, non sit nisi sua bonitas; posse tamen rem creatam esse rationem voluntatis divinae, in quantum una res creata « est alteri causa ut ordinem habeat ad divinam voluntatem ». Additque sic intelligi Deum propter unam rem creatam, a se volitam, alteram rem creatam velle. Notatque circa hanc ejus doctrinam ejus expositor Ferrariensis in ea agi « de ratione voluntatis divinae *ex parte voliti* ». Eamque explicans, ait « dicere, divinae voluntatis esse aliquam rationem [ex parte voliti], esse dicere *unum volitum a Deo esse alteri volito rationem formalem quare*

Interpretationis modo traditae confirmatio ex generali doctrina s. Thomae de ratione voluntatis divinae.

sit volitum et actum divinae voluntatis terminet. » Ex quibus evidentissime affulget hac conclusione in Sent. I, d. 41, q. 1, a. 3, a s. Doctore asserta : *Praedestinatio gloriae habet ex parte voliti rationem in meritis*, significari nonnisi dependenter a praescientia meritorum gloriam cadere sub actum praedestinationis divinae.

Effugium Bannesianorum.

207. Regerunt hic adversarii id quod ad omnia testimonia quae in controversia praesenti ipsis ex divo Thoma opponuntur, reponere solent, ex mente scilicet s. Doctoris dictam conclusionem non procedere de praedestinatione gloriae accepta pro decreto intentivo gloriae, sed solummodo de praedestinatione gloriae accepta pro decreto executivo illius. At vero haec eorum responsio a) est inanis fuga ; nullum enim habet fundamentum in verbis s. Doctoris. Eaque stante, b) sermo s. Doctoris est diminutus ; quaestionem enim quae universaliter quaerebat de ratione praedestinationis, ipse non solvisset nisi quantum ad partem aliquam ejus. Intactum videlicet reliquisset quid censendum sit de ratione praedestinationis sumptae pro decreto intentivo. Et in quantum c) nulla praemissa distinctione inter decretum intentivum et decretum executivum, simpliciter asserit praedestinationem ex parte effectus habere rationem, sermo ejus, stante praedicta interpretatione, esset confusus. Immo d) sermo ejus esset falsus ; falsa est enim propositio qua de praedestinatione simpliciter sumpta asseritur id quod non convenit nisi praedestinationi sumptae secundum quid, h. e. sumptae non quoad omne decretum in ea contentum, sed quoad decretum mere executivum. Quodque manifestissime excludit praedictam adversariorum fugam, e) conclusio s. Doctoris bimembris est, hanc enuntiationem habens : « Praedestinatio causam non habet, sed habet rationem ex parte effectus. » In hac videlicet enuntiatione prius membrum procedit de voluntate praedestinante spectata sive ut est intentiva sive ut est executiva. Ergo et posterius membrum procedit de praedestinatione eodem modo spectata ; nullus enim usus loquendi sinit ut in propositione aliqua complexa varietur suppositio subjecti, sine hoc quod id ab enuntiante propositionem aliqua ratione significetur.

Ejus praeclusio.

Aliqualis discordia

208. Illud magis in testimonio laudato negotium facessit quod in eo de praedestinatione simpliciter dicta asserit

s. Doctor eam habere rationem ex parte effectus in operibus nostris. Redditque hanc difficultatem insuperabilem responsio ejus ad 2^m^ in eodem articulo, ubi non aliter salvat gratuitatem praedestinationis quam dicendo opera praecedentia gratiam, licet sint dispositio ad gratiam, non tamen esse causam quare aliquis sit dignus gratia. Haec enim ejus responsio eo redit ut dicatur propterea praedestinationem esse gratuitam, quia, licet opera nostra gratiam praecedentia sint ratio congrua praedestinationis gratiae, non tamen sunt de condigno meritoria gratiae. Quare fatendum est, quum scribebat suum commentum in opus sententiarum, s. Doctorem sensisse objectum praedestinationis incipere a gratia gratum faciente et propterea ipsum ibi posuisse totam praedestinationem habere rationem ex parte nostra, non quidem condignam, sed congruam. Postea tamen, totam hanc praedestinationis materiam profundius scrutatus, intellexit sub praedestinatione claudi quidquid nos quacumque ratione in finem salutis promovet. Quare in operibus quae deinde scripsit, emendata pristina sua sententia, jam constanter docuit non posse praedestinationis simpliciter dictae assignari aliquam rationem ex parte creaturae, sed solummodo ex parte Dei (1).

doctrinae traditae in Sent. I, d. 41, q. 1, a. 3. a doctrina quam de praedestinatione s. Thomas postea defendit.

(1) Javellus, in opusculo illo suo de praedestinatione, cujus supra meminimus, nititur doctrinae traditae a s. Thoma in Sent. I, d. 41, q. 1, a. 3, ad defendendum non adversari s. Doctorem sententiae ab ipso in eo opusculo assertae qua statuitur, bonum usum liberi arbitrii moralem, qui antecedat gratiam, quique existat dispositio congrua, non tamen condigna, ad gratiam, esse rationem totius praedestinationis. « Hic declarandum est, inquit capite 6 opusculi citati, quod s. Thomas in Sent. I, d. 41, a. 3, in fine, non discedit ab hac via. Licet enim non nominet bonum usum, dicit tamen quod opus bonum praecedens gratiam est dispositio, et illa est ratio praedestinationis sine qua non. « Tum citatis posteriore parte corporis articuli et verbis quibusdam excerptis ex respp. ad 1^m^ et ad 2^m^, sic pergit dicere : « Haec est mens s. Thomae, quam non revocavit, nec expositores ejus nec defensores reprehendunt eam. Nec arbitrandum est talem doctrinam sibi contradicere in prima parte [Summae theologicae, q. 23, a. 5]. Unde videtur dicendum quod in prima parte [Summae] non praedestinationis causam negavit ex parte nostra, nisi quae est condigna, ut gratia et bonus usus consequens gratiam et dispositio sufficiens ad gratiam, ut destrueret errorem Pelagii. Patet igitur quod haec nostra via potest sustineri etiam ad mentem S. Thomae. »

At profecto hujus oppositum patet ; est enim falsissima ratio illa concordandi ad quam Javellus loco citato confugit. Quippe non solummodo rationem

Quartum testimonium.

209. Quartus locus huc pertinens legitur in Summa theologica, parte I, q. 23, a. 5. Quaerit ibi s. Thomas, sicut in loco proxime declarato, « utrum praescientia meritorum sit causa praedestinationis. » Priusquam autem quaestionem disputet ac solvat, accurate explicat quidnam proprie per eam intendatur quaeri. « Respondeo dicendum, inquit, quod quum praedestinatio includat voluntatem, ut supra dictum est, sic inquirenda est ratio praedestinationis, sicut inquiritur ratio divinae voluntatis. Dictum est autem supra (q. 19, a. 5), quod non est assignare causam divinae voluntatis ex parte actus volendi, sed potest assignari ratio ex parte volitorum, in quantum scilicet Deus vult esse aliquid propter aliud. Nullus ergo fuit ita insanae mentis qui diceret merita esse causam divinae praedestinationis ex parte actus praedestinantis : sed hoc sub quaestione vertitur, utrum ex parte effectus praedestinatio habeat aliquam causam. Et hoc est quaerere utrum Deus praeordinaverit se daturum alicui effectum praedestinationis propter merita aliqua. » Tum, allatis ac refutatis duabus solutionibus haereticorum et tertia etiam solutione nonnullorum doctorum catholicorum, ita proponit ac probat propriam suam solutionem. « Dicendum est ergo quod effectum praedestinationis possumus considerare dupliciter. *Uno modo* in particulari, *et sic nihil prohibet aliquem effectum praedestinationis esse causam et rationem alterius.* Posteriorem quidem prioris secundum rationem causae finalis, priorem vero posterioris secundum rationem causae meritoriae, quae reducitur ad dispositionem materiae. Sicut si dicamus quod Deus praeordinavit se daturum alicui gloriam ex meritis, et quod praeordinavit se daturum alicui gratiam ut mereretur gloriam. *Alio modo* potest considerari praedestinationis effectus in communi. *Et sic impossibile est quod totus praedestinationis effectus in communi habeat aliquam causam ex parte nostra.* Quia quidquid est in homine ordinans ipsum in salutem, com-

condignam, sed omnem omnino rationem praedestinationis ex parte nostra negavit s. Thomas in prima parte Summae, q. 23, a. 5, idque ea ratione nixus quod illa ipsa bona opera praecedentia gratiam et nos sive proxime sive remote ad gratiam disponentia, quae ponuntur a Javello esse ratio totius praedestinationis, sunt effectus praedestinationis et sic non possunt esse praedestinationis ratio.

prehenditur totum sub effectu praedestinationis, etiam ipsa praeparatio ad gratiam. Neque enim hoc fit nisi per auxilium divinum, secundum illud Thren. ultim. : *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur.* Habet tamen hoc modo praedestinatio ex parte effectus pro ratione divinam bonitatem, ad quam totus effectus praedestinationis ordinatur, ut in finem, et ex qua procedit, sicut ex principio primo movente. »

Probatio ostendens in quarto testimonio quaeri de causa praedestinationis terminative spectatae.

210. Apprime hic attendendus est sensus quaestionis a s. Doctore disputatae et ab eo accuratissime definitae ; inde enim pendet intelligentia solutionis quam tradit. Jam a principio corporis articuli asserit « quum praedestinatio includat voluntatem, *sic inquirendam esse rationem praedestinationis, sicut inquiritur* RATIO *divinae voluntatis.* » Ex quo apparet, *a*) id quod ceteroquin ex ipso titulo articuli jam erat manifestum, quaestionem quam tractat, procedere de ratione voluntatis praedestinantis, et non de ratione effectus praedestinationis, nisi in quantum ex ea est deducere quaenam sit ratio ipsius praedestinationis. At vero b) idem luculentissime apparet ex iis quae continenter subdit. Quia videlicet dixerat sic inquirendam esse rationem praedestinationis, sicut inquiritur ratio voluntatis divinae, continuo advocat generalem doctrinam de causa voluntatis divinae, ut ejus ope determinet quidnam proprie inquiri intendatur, quando movetur quaestio de causa praedestinationis. « Dictum est autem supra, inquit, quod non est assignare causam divinae voluntatis ex parte actus volendi, sed potest assignari ratio ex parte volitorum, in quantum scilicet Deus vult esse aliquid propter aliud. » Applicansque hanc doctrinam ad propositum, sic quaestionem circumscribit : « Nullus ERGO fuit ita insanae mentis ut diceret merita esse causam divinae voluntatis ex parte actus praedestinantis, *sed hoc sub quaestione vertitur utrum ex parte effectus praedestinatio habeat aliquam causam.* « Continent sane haec ejus verba conclusionem deductam ex doctrina generali de causa voluntatis divinae, uti patet ex particula illativa « ergo » ea cum immediate antecedentibus connectente ; proindeque sensus quem reddunt, est evidenter talis : Quia actus voluntatis divinae, quae est ipsa essentia divina, non potest habere aliquam causam, idcirco nullus fuit ita insanae mentis ut diceret

merita esse causam divinae praedestinationis ex parte actus praedestinantis; quia tamen divinae voluntatis potest assignari ratio ex parte volitorum, idcirco illud modo sub quaestione vertitur, utrum ex parte effectus praedestinatio habeat aliquam causam. Pro eodem ergo sumit s. Doctor praedestinationem *ex parte effectus* habere aliquam *causam*, atque voluntatis praedestinantis *ex parte voliti* posse assignari aliquam *rationem*. Et, per consequens, quaestio quam disputare parat, quaerit de causa voluntatis praedestinantis terminative acceptae, h. e. de causa unde habet effectus praedestinationis ut voluntatem Dei praedestinantem terminet, uti liquet — tum ex eo quod praedestinatio ex parte effectus sive ex parte voliti, ut contradistincta a praedestinatione ex parte actus praedestinantis, nequit significare nisi praedestinationem terminative sumptam — tum praesertim ex eo quod, quemadmodum jam iterato in superioribus memoravimus, in lib. I c. Gent., c. 87, expressis verbis s. Doctor asserit, rationem voluntatis divinae ex parte voliti esse id « quod est alteri [h. e. volito] causa ut ordinem habeat ad voluntatem divinam. » Quod verbis non minus claris asserit et ejus expositor Ferrariensis in Commento in lib. I c. Gent., c. 86, ubi exponens definitionem ex s. Doctore modo depromptam : « Quum dicimus ejus [h. e. voluntatis divinae] esse aliquam rationem, inquit, intelligitur ex parte voliti esse aliquam rationem qua respondetur ad interrogationem qua quaeritur : Quare hoc est volitum. » Porro c) adhuc pressius definiens quaestionem quam modo proposuerat, ita pergit dicere s. Doctor articulo citato : « Et hoc est quaerere utrum Deus praedestinaverit se daturum alicui effectum praedestinationis propter merita aliqua. » Ex quo altero modo definiendi quaestionem ab eo adhibito confirmatur id quod ex priore modo quo quaestionem proposuerat, jam conclusimus, scilicet in articulo illo 5 quaestionis 23 primae partis Summae ab eo unice quaeri de causa unde habet effectus praedestinationis ut tamquam terminus subsit voluntati praedestinanti. Ad cujus evidentiam considerandum est, juxta doctrinam quam de causa voluntatis divinae s. Doctor tradit in I^{a}, q. 19, a. 5, in corp., coll. resp. ad 1^{m}, ibid, non posse quidem dici : *Deus propter hoc vult hoc*, quia tali propositione significatur id supra quod cadit

praepositio causalis « propter », exercere causalitatem respectu ipsius actus voluntatis divinae, posse tamen dici : *Deus vult hoc propter hoc*, quia hac altera propositione solummodo significatur id super quod cadit praepositio causalis « propter », exercere causalitatem respectu ipsius voliti, quantum ad hoc quod volitum cadit sub voluntatem divinam. Quare et in articulo quem modo data opera versamus, s. Doctor praemiserat, hac formula loquendi : *Deus vult esse aliquid propter aliud*, significari aliquid esse rationem voluntatis divinae. Ex quibus fit manifestissimum, altero modo quo proponit quaestionem de causa praedestinationis, ab eo diserte significari, ea quaestione quaeri utrum merita aliqua sint causa cur effectus praedestinationis cadat sub voluntatem Dei praedestinantis. Quo sensu hanc quaestionem ex ejus mente intelligendam esse, elucescit etiam d) ex primo modo eam solvendi quem affert ex persona Origenis. « Fuerunt igitur quidam, inquit, qui dixerunt quod *effectus praedestinationis praeordinatur alicui propter merita praeexistentia in altera vita*, et haec fuit positio Origenis ». En, significat hic s. Doctor sententiam Origenis esse responsivam ad quaestionem a se propositam, et tamen ea sententia ponebatur effectum praedestinationis, *prouti praeordinatur*, h. e. prouti cadit sub praedestinationem, esse ex meritis. Hoc est ergo illud quod quaestione ab ipso proposita inquirendum proponebatur. Quod et colligitur e) ex tertio modo hanc quaestionem solvendi quam affert ex persona nonullorum scholasticorum suae aetatis. » Fuerunt igitur alii, inquit, qui dixerunt quod *merita sequentia praedestinationis effectum sunt ratio praedestinationis*, UT INTELLIGATUR QUOD IDEO DEUS *dat alicui gratiam et* PRAEORDINAVIT SE EI DATURUM, QUIA PRAESCIVIT EUM BENE USURUM GRATIA. » Est igitur undequaque apertissimum, quaestione quam disputat s. Doctor in I^a, q. 23, a. 5, hoc in controversiam adduci, utrum merita nostra praescita a Deo sint ratio cur Deus nobis praedestinaverit praedestinationis effectum.

Probatio ostendens quarto testimonio doceri gloriam praedestinari ex praevisis meritis.

211. Quando ergo, facta distinctione inter effectum praedestinationis totalem et effectum praedestinationis partialem, ipse in articulo illo 5 jam affert propriam suam solutionem, dicens « nihil quidem prohibere aliquem effectum praedestinationis esse causam et rationem alterius,... impos-

sibile tamen esse quod totus effectus praedestinationis in communi habeat aliquam rationem ex parte nostra, » intendit loqui de causa effectuum praedestinationis, non solum secundum quod sunt in temporali executione, sed vel maxime secundum quod subsunt aeternae Dei praedestinationi. Et, per consequens, quando explicans priorem suae solutionis partem, ait « priorem effectum praedestinationis esse causam posterioris secundum rationem causae meritoriae », intendit dicere merita nostra esse causam — tum nostrae praedestinationis ad posteriores illas gratias quas meremur post acceptam primam gratiam — tum nostrae praedestinationis ad ultimum illum praedestinationis effectum qui est gloria. Et ratio utriusque consequentiae in propatulo est ; si enim a) s. Doctor in sua responsione intendisset tantummodo loqui de effectibus praedestinationis, prouti sunt in executione, non vero etiam de iisdem, prouti terminant praedestinationem divinam, ne attigisset quidem quaestionem quam sibi solvendam proposuerat quamque initio suae responsionis se velle solvere significaverat. Nec vero est cur aliquis miretur eum ex ordine dependentiae quem habent inter se effectus praedestinationis in temporali sui executione, concludendum dedisse quonam ordine iidem effectus cadant sub aeternam Dei praedestinationem. Non est, inquam, cur id aliquis miretur ; nam et hoc fecit in Comm. in ep. ad Eph., cap. I, lect. 1, et in Sent. I, d. 41, q. 3, idque propterea quia, uti hoc postremo loco diserte affirmat, id quod est causa effectus super quem transit voluntas divina, est ex parte voliti ratio voluntatis divinae. Quare et aliis locis ubi agit de ratione voluntatis divinae, assidue inculcat « ex parte voliti voluntatem divinam habere aliquam rationem, secundum quod ipsum volitum ordinatur ex debito vel ex congruo ad aliquid » (de Verit., q. 23, a. 6, ad 6[m]), stante positione eorum qui, dicentes omnia procedere ex simplici voluntate divina, negant voluntatis divinae posse assignari aliquam rationem ex parte creaturae, consequenter asserendum esse « nullam rationem effectuum in ipsis rebus posse quaeri vel assignari » (Lib. II c. Gent.. c. 29), ex tali positione esse consequens « Deum non omnia secundum ordinem suae sapientiae fecisse » (Lib. I c. Gent., c. 87 ; de Verit., q. 23, a. 6), per eamdem positionem « tolli necessa-

rium ordinem qui est inter effectus divinos ad invicem » (de Verit., q. 6, a. 2), etc. etc. — Accedunt et alia indicia ex contextu suppeditata quibus manifestum fit s. Doctorem in sua solutione loqui de effectibus praedestinationis, prouti praedestinationem terminant. Nam b) postquam dixit et probavit » impossibile esse quod totus praedestinationis effectus in communi habeat aliquam causam ex parte nostra, » ita dicere pergit : « Habet TAMEN HOC MODO praedestinatio ex parte effectus pro ratione divinam bonitatem. » In qua sua ultima propositione hisce verbis « hoc modo » diserte significat, in secunda suae solutionis parte sibi sermonem fuisse de causa effectuum praedestinationis consideratorum *prouti terminant praedestinationem divinam*. Perinde enim est ac si ita dixisset : Praedestinatio accepta eo modo quo in secunda parte solutionis accepta erat, h. e. accepta ut terminata ad effectum totalem praedestinationis, habet pro ratione divinam bonitatem. Nec vero stat oppositio quae hac particula *tamen* inducitur inter praedictam propositionem et secundam partem solutionis s. Doctoris, nisi dicatur praedestinationem consideratam ut terminatam ad effectum suum totalem, de qua modo ipse affirmat eam habere pro ratione divinam bonitatem, esse idipsum de quo proxime negaverat illud habere aliquam rationem ex parte nostra. Ergo et in priore suae solutionis parte, cujus sensus modo inquiritur, s. Doctor egerat de effectu praedestinationis considerato secundum quod terminat praedestinationem divinam : non enim inter priorem et posteriorem ejus solutionis partem est distinctio quantum ad subjectum de qua utraque haec pars procedit, nisi quod illud subjectum in priore parte consideratur in particulari, in posteriore vero in communi. Insuper c) ad 2^{m} argumentum quo contendebatur, praedestinationem, eo quod sit rationabilis, debere habere rationem in praescientia meritorum, ita respondet s. Doctor : « Ad secundum dicendum quod praedestinatio habet rationem ex parte effectus in communi ipsam divinam bonitatem : *in particulari autem unus effectus est ratio alterius*, ut dictum est. » Scopus s. Doctoris ita respondentis unice est ostendere praedestinationem esse rationabilem ; quando ergo in sua responsione asserit in corpore articuli dictum esse unum effectum particularem praedestinationis esse rationem alterius, inten-

dit dicere in corpore articuli ostensum esse unum effectum particularem praedestinationis esse rationem praedestinandi alterum. Et per consequens in corpore articuli haec ejus solutionis verba : « Prior effectus praedestinationis est causa posterioris secundum rationem causae meritoriae », eo ex ejus mente pertinebant ut assereretur priorem hunc effectum qui sunt merita, esse rationem praedestinandi postremum hunc effectum qui est gloria. Quod vero caput est, d) in corpore articuli, exemplificans priorem suae solutionis partem, jam diserte loquitur s. Doctor de effectibus praedestinationis secundum quod terminant praedestinationem divinam. « Sicut si dicamus, inquit, quod Deus *praeordinavit* se daturum alicui gloriam ex meritis. » Quod certe ejus assertum, etiam si cetera deessent, satis esset ad demonstrandum id quod hic concludere intendimus. Diserte enim eo edicitur ratione meritorum nostrorum gloriam nobis praedestinari a Deo. Nam quod hic opponit Billuart (de Deo uno, tom. 2, disp. 9, a. 5), in praedicta propositione τὸ *ex meritis* afficere τὸ *dare* et non τὸ *praeordinavit*, frivolum est proditque in sic objiciente insignem inscientiam usus loquendi s. Doctoris inadvertentiamque ad statum quaestionis qualis ab eodem s. Doctore propositus fuerat. In ipso quippe principio corporis articuli, in memoriam reducens doctrinam generalem de causa voluntatis divinae, dixerat Angelicus hoc quod est « divinam voluntatem habere rationem ex parte voliti, » exprimi hac loquendi formula : « Deus vult esse aliquid propter aliud. » Ac subinde, postquam dixerat in controversia de causa praedestinationis « hoc sub quaestione verti, utrum ex parte effectus praedestinatio habeat aliquam causam, » applicans ad propositum praedictam formulam loquendi, addiderat : « Et hoc est quaerere *utrum Deus praeordinaverit se daturum effectum praedestinationis alicui propter merita aliqua.* » Quando ergo, habito respectu ad quaestionem tali forma loquendi propositam, utitur in sua solutione eadem verborum constructione, dicendo » Deum praeordinasse se daturum alicui gloriam ex meritis, » intendit assignare rationem ipsius praeordinationis divinae ex parte voliti. Adeo ut in tali ejus asserto τὸ *ex meritis* non afficiat quidem τὸ *praeordinavit* solitarie sumptum, quia sic significaretur merita esse causam ipsius actus praedesti-

nantis, nec tamen afficiat solummodo τὸ *dare*, sed afficiat praeordinationem terminative sumptam, h. e. totum hunc complexum : *praeordinavit se daturum alicui gloriam*. Quod ceteroquin conceditur a plerisque adversariis, qui tamen cum eodem Billuart ex alio capite interpretationem a nobis traditam impugnant.

Objectio Banesianorum desumpta ex eo quod loco citato asserit s. Thomas gratiam praedestinari ex intentione gloriae.

212. Hanc videlicet nostram interpretationem contendunt esse vitiosam, eo quod ad determinandum quorsum spectet sententia quam loco citato s. Doctor tradit de causa praedestinationis ad gloriam, verba quae ipse ponit in priore suae solutionis parte, non acceperimus integre, sed dimidiate, neglectis videlicet iis verbis quibus luce clarius expresserit gloriam in ordine intentionis praedestinari gratis, quibusque proinde alia ejus verba quae in sententiam nostram interpretati sumus, determinentur ad significandum solum decretum executivum gloriae esse ex meritis. Ad quod ostendendum ITA ARGUUNT : Quando in priore suae solutionis parte s. Doctor ex causa effectus praedestinationis sumpti inadaequate cognoscendum dat quaenam ex parte voliti sit causa praedestinationis prouti terminatur ad effectum sic sumptum, ipse non solum dicit « priorem effectum esse causam posterioris secundum rationem causae meritoriae, » sed dicit etiam « posteriorem effectum esse causam prioris secundum rationem causae finalis, » immo hoc est quod primo loco asserit ; non enim nisi post hoc ejus dictum sequuntur in corpore articuli alia verba proxime recitata. Itidem, quando hanc suam doctrinam jam exemplificat, non solum dicit : « Sicut si dicamus quod Deus praeordinavit se daturum alicui gloriam ex meritis, » sed et addit : « et quod praeordinavit se daturum alicui gratiam ut mereretur gloriam. » Porro tam hac propositione particulari quam propositione universali cujus illustrandi gratia adducitur, apertissime perhibetur decretum intentivum gloriae esse omnino gratuitum. Etenim a) si, uti generaliter docet s. Doctor, posterior praedestinationis effectus est secundum rationem causae finalis ratio quare effectus ipso priores cadant sub praedestinationem divinam ; ergo, quia gloria est postremus effectus, ipsa, prouti per modum finis absoluto decreto a Deo intenditur, causa est cur in ordine intentionis nobis praedestinentur et gratia et merita. Et, per consequens, decretum intentivum

gloriae prius est quam praedestinatio meritorum, nec proinde illud decretum pendere potest a meritis, sed est omnino gratuitum. Sive, quod idem est, propter hoc ipsum quod gloria in ordine intentionis est causa praedestinationis meritorum, merita sunt effectus decreti intentivi gloriae, et sic non possunt esse causa illius decreti, quod per consequens est omnino gratuitum. Itidem b) si, uti in particulari asserit s. Doctor, gloria, per viam meriti acquirenda, est finis propter quem absolute intentum Deus praeordinavit se nobis daturum gratiam ; ergo gratia est effectus decreti intentivi gloriae ; unde, quia ad merita praesupponitur gratia, ad quod autem praesupponitur effectus alicujus causae, ad hoc praesupponitur ipsa haec causa, rursum oportet concludere decretum intentivum gloriae praesupponi ad merita, et sic non pendere a meritis, sed esse omnino gratuitum. Quod proinde in priore suae solutionis parte addit s. Doctor, priorem effectum praedestinationis esse causam posterioris secundum rationem causae meritoriae, et sic Deum praeordinasse se daturum alicui gloriam ex meritis, hoc ex contextu determinatur ad significandum priorem effectum praedestinationis esse causam cur posterior effectus praedestinationis cadat sub praedestinationem sumptam pro decreto executivo effectuum praedestinationis, et sic merita esse ex parte effectus causam decreti executivi gloriae.

Solutio quorundam dicentium gratiam ex mente s. Thomae non praedestinari nisi ex condicionata intentione gloriae.

213. Ad hoc argumentum sunt ex nostris auctoribus qui respondeant, concedendo quidem consequentiam, sed negando assumptum. Concedunt videlicet propositione pertinente Deum ex intentione absoluta gloriae praedestinasse gratiam, contineri doctrinam gratuitae praedestinationis ad gloriam. At omnino negant eam propositionem doceri a s. Thoma, quando in corpore articuli citati asserit « Deum praeordinasse se daturum alicui gratiam ut mereretur gloriam. » Eo nimirum asserto aiunt solummodo ab eo statui Deum *ex condicionata intentione gloriae* praeordinasse se daturum alicui gratiam. Quod quidem aiunt manifestum reddi ex differenti modo quo s. Doctor loquitur de praeordinatione gloriae ex meritis et de praeordinatione gratiae ex intentione gloriae. Ita inter alios eminentissimus cardinalis Franzeline, in suo Tractatu de Deo uno, sect. 5, cap. 3, thesi 64, § 1, n. 4. « Advertas, inquit, discrimen maximum

quo loquitur de praeordinatione *gloriae ex meritis*, et de praeordinatione *gratiae ut homo mereretur gloriam* ; non enim ait, Deum praeordinasse gratiam ex *absoluta* intentione gloriae, sed gloriam esse hominibus praefixam, ut ipsi mererentur, et ex hac intentione condicionata Deum eis praedestinasse gratiam. »

Praedictae solutionis reprobatio.

214. At vero haec responsio stare non potest. Etenim a) universaliter docet s. Thomas effectum posteriorem praedestinationis esse per modum causae finalis rationem cur Deus praedestinaverit effectum praedestinationis priorem ; proindeque secundum ipsum Deus ex intentione gloriae praedestinavit etiam merita. Non autem est possibile dicere, ex intentione gloriae, quae sit condicionata, h. e. quae sit voluntas antecedens salutis, Deum praedestinasse merita, uti patet — tum ex eo quod merita sunt idipsum quo condicionatur vis et efficacia voluntatis qua Deus antecedenter vult salutem, non autem est possibile ut vi et efficacia alicujus suae voluntatis condicionatae Deus feratur ad absolute et efficaciter volendum id ipsum quo vis et efficacia hujus suae voluntatis condicionatur — tum ex eo quod voluntas antecedens et condicionata salutis se exporrigit ad omnes homines, quodque proinde, si Deus vi talis voluntatis praedestinaret merita usque ad finem vitae perseverantia, quae sola sunt merita sub praedestinationem cadentia, omnes homines essent praedestinati. Dicendo ergo « effectum praedestionis posteriorem esse causam prioris secundum rationem causae finalis, » s. Doctor intendit dicere Deum ex intentione absoluta effectus posterioris praedestinasse effectum priorem. Itidem b) Deus vi voluntatis qua antecedenter et condicionate fertur in salutem hominum, vult quidem absoluta voluntate dare hominibus gratias quibus mereantur salutem, haec tamen ejus voluntas absoluta dandi gratias, in quantum oritur ex voluntate illa antecedente et condicionata salutis, habet tantummodo rationem communis providentiae supernaturalis, non vero rationem praedestinationis, quia praedestinatio gratiae non est quaecumque voluntas absoluta dandi gratiam, sed est voluntas absoluta dandi gratiam finaliter efficacem. Sed quando s. Thomas loco citato asserit « Deum praeordinasse se daturum alicui gratiam ut mereretur gloriam », ipse loquitur de tali praeordi-

natione gratiae quae sit praedestinatio, uti patet ex contextu. Intendit ergo hisce verbis asserere Deum ex absoluta intentione gloriae praedestinasse gratiam. Itidem c) ad 1^m^ argumentum quod loco citato induxerat pro sententia ponente merita praescita a Deo esse causam praedestinationis, ita respondet s. Doctor : « Dicendum quod usus gratiae *praescitus* non est ratio collationis gratiae, nisi secundum rationem causae finalis, *ut dictum est.* » Ubi, uti apparet tum ex scopo ejus, tum ex eo quod significat se applicare doctrinam traditam in corpore articuli, de mente ejus est asserere usum gratiae, praescitum a Deo, non esse rationem *praedestinationis gratiae*, nisi secundum rationem causae finalis. Idem autem est dicere usum gratiae, ut *praescitum*, esse per modum causae finalis rationem praedestinandi gratiam, atque dicere Deum ex absoluta intentione boni usus gratiae praedestinasse gratiam. Quia ergo, uti modo notatum est, s. Thomas significat se sua responsione applicare doctrinam a se traditam in corpore articuli, ipse, quando in corpore articuli docuerat effectum praedestinationis posteriorem esse causam prioris secundum rationem causae finalis, intenderat dicere Deum ex absoluta intentione effectus posterioris praedestinasse effectus priores.

Vera solutio difficultatis a Bannesianis motae.

215. Rejecto itaque praedictae solutionis modo tamquam alieno a mente magistri angelici, aliter RESPONDENDUM EST ad argumentum partis adversae, *concedendo* videlicet *hujus argumenti assumptionem*, sed *negando ejus consequentiam*. Nempe propter rationes quas proxime adduximus, concedendum est quidem, s. Thomam, quando in I^a^, q. 23, a. 5, tradit primam partem suae conclusionis responsivae ad quaestionem ibi propositam, non modo docere gloriam praedestinari ex meritis, sed et docere gratiam praedestinari ex absoluta intentione gloriae ; sed negandum est inde legitime inferri posse censuisse s. Doctorem esse in Deo duo decreta praedestinantia inter se virtualiter distincta, unum videlicet, quod sit mere intentivum, quodque, etiamsi praecise spectetur prouti est ad gloriam, sit omnino gratuitum, alterum vero, quod sit mere executivum, quodque solum, si praecise spectetur prouti est ad gloriam, sit ex praevisione meritorum.

Sane non fuisse de mente Angelici, quando doctrinam modo memoratam tradebat, inducere duo illa distincta

decreta praedestinantia, liquet a) ex ratione in qua una illam suam doctrinam fundat. Non enim aliunde hanc rationem repetit quam ex ordine dependentiae quae cernitur inter praedestinationis effectus. Deum scilicet praeordinasse se nobis daturum gloriam ex meritis, probat ex eo quod gloria pendet ab operibus nostris, tamquam a causa sua meritoria, itidemque Deum praeordinasse se nobis daturum gratiam ut mereremur gloriam, probat ex eo quod gratia pendet a gloria tamquam a causa sua finali. Adeo ut ad determinandum utrum et sub qua limitatione praedestinatio habeat causam ex parte nostra, ipse loco quem modo versamus, perinde atque in Comm. in ep. ad Eph., cap. 1, lect. 1, et in Sent. I, d. 41, a. 3, hoc sibi principium praefigat : Quod est causa alicujus effectus praedestinationis, hoc est causa ipsius praedestinationis, prouti terminatur ad hunc effectum. Sed aut falsum est hoc principium, et sic invalida est probatio quam pro sua conclusione s. Doctor affert, aut dicendum est singulas hujus conclusionis partes indiscrete procedere de praedestinatione tam prouti est intentiva quam prouti est executiva. Scilicet, si ex causa alicujus effectus praedestinationis judicandum est de causa ipsius praedestinationis ut terminatae ad hunc effectum, praedestinatio gloriae per se sumptae, sive spectetur ut est intentiva, sive spectetur ut est executiva, dicenda est esse ex meritis, eo quod, utrovis modo spectetur, semper verum est dicere ejus effectum, qui est gloria, esse ex meritis. Itidemque sive praedestinatio gratiae per se sumptae spectetur ut est intentiva, sive spectetur ut est executiva, oportet ex praejacto principio concludere eam habere causam in gloria a Deo absolute intenta, eo quod, utrovis modo spectetur, semper verum est dicere ejus effectum, qui est gratia, pendere a gloria tamquam a causa finali. Adde b) si sensus conclusionis a s. Thoma loco citato traditae penderet a distinctione aliqua interponenda inter praedestinationem, prouti est intentiva, et praedestinationem, prouti est executiva, s. Doctor hujus distinctionis diserte meminisset; in omni enim disputatione hic est perpetuus ejus mos ut, quando pro diversis modis quo considerari potest subjectum quaestionis quam tractat, ipsamet haec quaestio diversimode solvenda est, non afferat conclusionem responsivam ad quaesitum, nisi dependenter a variis

distinctionibus varios illos modos quibus accipi possit quaestionis subjectum, clare et explicite exhibentibus. Sicuti in hac ipsa quaestione diserte distinguit inter praedestinationem consideratam ex parte actus et praedestinationem consideratam ex parte effectus, ipsamque praedestinationem hoc posteriore modo consideratam clare distinguit inter praedestinationem sumptam inadaequate et praedestinationem sumptam adaequate, quia videlicet ab hisce distinctionibus pendebat sensus solutionis quam tradere parabat. Adde c) quod, si vera esset interpretatio adversariorum, oporteret dicere *sermonem* s. Doctoris non modo esse confusum, sed etiam falsum. Quod enim ipse loco citato asserit, Deum videlicet praeordinasse se nobis daturum gloriam ex meritis, hoc sic simpliciter et sine ulla limitatione assertum falsum est, si hoc non sit verum de omni praeordinatione ad gloriam, sed solummodo de ea praeordinatione ad gloriam quae sit mere executiva.

Quia tamen adversarii pugnant pro sua interpretatione ex sensu consequente verborum s. Thomae, idcirco, ut jam directe evertamus fundamentum quo nituntur, DICIMUS : *Optime stant simul haec duo, scilicet non esse duo decreta praedeterminantia, unum mere intentivum, alterum mere executivum, et nihilominus non solum gloriam praedestinari ex meritis, sed et gratiam praedestinari ex absoluta intentione gloriae.*

Patebit assertum, si distinguatur in voluntate Dei praedestinantis duplex veluti tendentia, una virtualis, altera actualis. Ita videlicet considerandum est.

Quando inter infinitos rerum, circumstantiarum et gratiarum ordines in quibus hominem constituere potuisset, Deus praesentem ordinem elegit, ea erat virtualis tendentia voluntatis ejus, ut, *quantum est praecise ex parte ipsius* (1),

(1) Dixi : *quantum est praecise ex parte ipsius :* quia si Deus scientia sua condicionata praenovisset eas gratias quas modo hominibus elargitur, alium habituras esse effectum atque eum quem revera modo sortiuntur, adfuisset proculdubio causa, non quidem ex parte Dei, sed ex parte ipsorum hominum, cur, quantum attinet ad eas gratias quae modo dantur hominibus propter merita eorum praecedentia vel quae qualitercumque praesupponunt factum aliquod a libertate hominum dependens, ipse non omnes et solas eas gratias quas modo hominibus concedit, eisdem tributurus fuisset. Sic, v. g., si de homine aliquo qui modo, gratiis sibi datis libere consentiendo, a peccato ad

eadem qua modo erga homines utitur distributione gratiarum, erga eos usurus fuisset, etiamsi scientia ejus condicionata ei praemonstrasset, gratias quae modo sunt efficaces, futuras esse inefficaces, gratias vero quae modo sunt inefficaces, futuras esse efficaces.

Propter talem porro virtualem tendentiam voluntatis divinae fit ut verum sit dicere id quod in priore ex duobus illis effatis de quibus inter se conciliandis modo agitur, s. Thomas docet, inter effectus videlicet praedestinationis eum qui est prior, esse in genere causae meritoriae rationem sive causam quare effectus posterior cadat sub voluntatem Dei praedestinantem. Sive, quod idem est, propter virtualem tendentiam voluntatis divinae, qualis haec modo explicata est, fit ut quae Dei beneficia non conferuntur in ordine exsecutionis nisi dependenter a meritis praecedentibus, ea in ipso etiam ordine intentionis non cadant sub praedestinationem divinam nisi dependenter ab iisdem meritis praece-

justitiam convertitur, Deus condicionate praevidisset eum hisce gratiis consensurum non esse, ipse nihilominus, dummodo supponatur ex parte aliorum agentium liberorum easdem adfuturas fuisse circumstantias, sub quibus modo is homo ponitur, easdem hasce gratias illi homini contulisset; propter ipsum tamen defectum cooperationis hujus hominis cum gratiis ei praestitis, idem homo subsequente tempore caruisset pluribus gratiis quas modo Deus ei largitur. Utrum vero in praedicta hypothesi Deus subsequente tempore huic homini elargiturus fuisset alias gratias vel finaliter aequivalentes vel etiam abundantiores, scire non possumus; id enim dependisset a libero Dei decreto, quod nullum exstitit, quia praedicta hypothesis verificata non est. Contra, si de alio quopiam homine, qui modo a justitia deficit, Deus praevidisset eum consensurum esse gratiis quarum ope in justitia perseverare potuisset, ipse nihilominus, dummodo rursum supponatur ex parte aliorum agentium liberorum adfuturas fuisse easdem circumstantias sub quibus modo iste homo ponitur, hasce easdem gratias huic homini collaturus fuisset; propter ipsam tamen perseverantiam hujus hominis in justitia ei plures gratias contulisset, quas modo ei non confert. Maxime elucescet id quod hic asserimus, si cogitetur de exitu quem habere potuisset gratia quam Deus generi humano in protoparente suo Adamo contulit. Si videlicet Deus scientia sua condicionata praevidisset, Adamum in ea gratia in qua conditus est, perseveraturum esse, eamdem certe hanc gratiam ei in sua conditione contulisset; propter ipsum tamen factum perseverantiae Adami, gratiae quibus in tali hypothesi Deus humano generi providisset, fuissent diversae ab iis quibus modo Deus hominibus providet : perseverassent enim in facta hypothesi gratiae quae sunt propiae status naturae integrae, non vero in eorum locum subiissent gratiae quae sunt propriae status naturae lapsae et reparatae.

dentibus. Et ratio hujus consequentiae apertissima est; supponatur enim aliquod Dei beneficium quod in ordine exsecutionis confertur propter merita, puta hoc peculiare Dei beneficium, quod est gloria, praedestinari in ordine intentionis independenter a meritis. Stante tali suppositione, necesse est dicere, Deum, si scientia sua media praenovisset gratias quas modo dat alicui praedestinato, futuras esse finaliter inefficaces, non hasce ipsissimas gratias, sed alias, tales videlicet quas scientia sua media praescivisset futuras esse finaliter efficaces, huic praedestinato collaturum fuisse. Et sic jam falsum esset dicere Deum, *quantum est praecise ex parte ipsius*, easdem gratias quas modo confert hominibus, eisdem collaturum fuisse, etiamsi scientia ejus media ei praemonstrasset finalem harum gratiarum exitum fore alium ab eo quem modo revera sortiuntur. Nam quod in praedicta suppositione Deus non easdem gratias quas modo dat alicui praedestinato, sed alias, ei daturus esset, id proveniret *ex causa unice se tenente ex parte Dei*, ex praedestinatione videlicet ad gloriam praecisive sumptam facta independenter a meritis. Eademque sequetur conclusio, si de alio quovis Dei beneficio quod in ordine exsecutionis datur propter merita, supponatur illud in ordine intentionis praedestinari independenter a meritis.

Quamobrem, si ea sit virtualis tendentia voluntatis divinae providentis hominibus media salutis, qualem eam nuper definivimus, in potestate erit uniuscujusque adulti, gratia Dei praeventi, efficere ut ad gloriam praecise sumptam sit electus potius quam non electus. Nec alia de causa id erit in potestate arbitrii uniuscujusque adulti gratia divina praeventi, nisi quia erit in potestate arbitrii ejusdem adulti gratia divina praeventi efficere ut voluntas Dei ei providendi media salutis habeat potius rationem praedestinationis quam rationem communis providentiae supernaturalis. Quia videlicet Deus, quantum est praecise ex parte ipsius, easdem gratias quas modo dat reprobis, eis dedisset, etiamsi scientia sua media ei praeostendisset hasce gratias fore finaliter efficaces, idcirco, sicuti in potestate cujusvis reprobi est cooperari hisce gratiis, ita et in ejus potestate est efficere ut voluntas Dei ei dandi gratias habeat potius rationem praedestinationis quam rationem communis providentiae superna-

turalis cum permissione peccati finaliter habiti, h. e. cum reprobatione, connexae. Et similiter, quia Deus, quantum est praecise ex parte ipsius, easdem gratias quas modo dat praedestinatis, eis dedisset, etiamsi scientia sua media ei praeostendisset hasce gratias fore finaliter inefficaces ; idcirco, sicut in potestate cujusvis praedestinati est dissentire hisce gratiis, ita in ejus potestate est efficere ut voluntas Dei ei dandi gratias habeat potius rationem communis providentiae supernaturalis cum reprobatione conjunctae quam rationem aeternae praedestinationis.

Stat tamen cum virtuali illa tendentia quam hactenus attribuimus voluntati divinae, Deum actuali suae voluntatis tendentia ferri super gratias quae modo dantur praedestinatis, tamquam super quaedam quibus certo et infallibiliter praedestinati perducentur in finem salutis aeternae. Actualis enim tendentia qua Deus sua voluntate fertur super gratias hominibus dandas, sequitur cognitionem quam ante omne suae voluntatis decretum Deus de effectu harum gratiarum habet per scientiam suam mediam ; quapropter, quum gratiae quae modo dantur praedestinatis, Deo per scientiam mediam repraesententur tamquam hujusmodi, quae, facta hypothesi quod Deus eligat eas dare, futurae sint finaliter efficaces, in eas, in quantum sunt hujusmodi, h. e. in quantum infallibiliter sunt perducturae praedestinatos in finem salutis, actuali sua tendentia fertur voluntas divina. Hinc porro fit ut verum sit dicere id quod in altero ex duobus illis suis effatis quibus inter se conciliandis modo incumbimus, s. Thomas docet, inter effectus videlicet praedestinationis eum qui est posterior, esse in genere causae finalis rationem sive causam quare effectus prior cadat sub voluntatem Dei praedestinantem. Sive, quod idem est, propter modum quo actuali sua tendentia voluntas divina fertur super gratias quae modo dantur praedestinatis, fit ut verum sit dicere, Deum ex absoluta intentione gloriae praedestinasse gratiam. Et hoc patet : ratio enim volendi id quod est medium, secundum omnem modum quo est volitum ut medium, sumitur ex fine in quem ordinatur medium ; ideoque, quod medium sit volitum tamquam certo et infallibiliter perducturum in finem, hoc non potest provenire nisi ex volitione finis intenti ut certo et infallibiliter futuri ; proindeque hoc provenit ex absoluta intentione finis. Et quia voluntas Dei, ut est prae-

destinans, non est voluntas dandi gratias quomodocumque consideratas, sed est voluntas dandi gratias, ut sunt finaliter efficaces, idcirco solummodo voluntas Dei, secundum quod consideratur quoad actualem suam tendentiam, est voluntas formaliter praedestinans, adeo ut simpliciter verum sit dicere praedestinationem gratiae, secundum quod habet formaliter rationem praedestinationis, pendere ab absoluta intentione gloriae.

Sic itaque patet in sententia ponente gloriam in ipso ordine intentionis non praedestinari nisi dependenter ab antecedentibus meritis gratiae, optime salvari id quod in Iª, q. 23, a. 5, docet s. Thomas, gratiam videlicet non praedestinari a Deo nisi dependenter ab absoluta intentione gloriae.

Nec vero alicujus sunt roboris rationes quae in argumento supra facto in oppositum fiebant ab adversariis, quaeque eo demum omnes recurrunt ut dicatur, contradictorium esse ponere, aliquid a Deo volitum esse in ordine intentionis simul prius et posterius quam aliud a Deo volitum ; non ergo cum hoc quod Deus praedestinat gratiam ex absoluta intentione gloriae, stare posse Deum in ipso intentionis ordine non velle gloriam adultis nisi propter praecedentia eorum merita ; secundum quod enim asseritur gratiam praedestinari dependenter ab absoluta intentione gloriae, gratiam et merita poni esse in intentione divina posteriora quam gloriam ; secundum quod vero asseritur gloriam in ipso intentionis ordine non praedestinari nisi dependenter a praecedentibus meritis gratiae, gratiam et merita poni esse in intentione divina priora quam gloriam. Nullius est roboris inquam, haec ratio in quam recurrunt rationes supra factae ab adversariis ; duplici enim defectu laborat. Nempe 1° ab adversariis ea ratione arguentibus sophistice confunditur hoc quod est esse in aliquo genere causae prius vel posterius ratione quam alterum, cum hoc quod est esse simpliciter prius vel posterius quam alterum. Nam contradictorium est quidem ponere aliquid esse secundum rationem simpliciter prius quam alterum, et idem esse secundum rationem simpliciter posterius quam hoc alterum ; at talis positio neutiquam recurrit in unum cum propositione dicente aliquid in uno quidem genere causae esse prius quam alterum, idem tamen in alio genere causae esse posterius quam hoc alte-

rum. In hac quippe posteriore propositione nulla prorsus involvitur repugnantia conceptuum. Neque hoc negare possunt Bannesiani, quibuscum in praesentiarum est nobis praecipua controversia : ad distinctionem enim modo allatam etiam ipsi recurrunt, quando contra Scotistas defendunt, cum hoc quod peccatum originale non est permissum a Deo nisi propter incarnationem Verbi tamquam finem absolute intentum a Deo, omnino stare, in ipso ordine intentionis incarnationem Verbi non esse volitam a Deo nisi dependenter a peccati originalis permissione et praescientia. Ad haec duo scilicet inter se concilianda aiunt, permissionem peccati originalis non esse in intentione divina omnibus modis priorem quam incarnationem Verbi, sed solummodo in genere causae materialis, h. e. eatenus dumtaxat, quatenus Deus non voluit Christum nisi huic subjecto quod est genus humanum, positum sub peccato originali permisso et praeviso a Deo ; itidemque incarnationem Verbi non esse in intentione Dei omnibus modis priorem quam permissionem peccati originalis, sed solummodo in genere causae finalis, h. e eatenus dumtaxat, quatenus Deus non voluit permittere peccatum Adae nisi propter hunc finem qui est Verbum incarnatum sive Christus; haec itaque duo quae sunt permissio peccati originalis et incarnatio Verbi, non esse volita a Deo nisi secundum quod est inter ea mutuus ordo dependentiae ; propter hoc ipsum autem quod haec duo tali modo sunt volita a Deo, neutrum eorum esse prius ratione volitum quam alterum, sed in quocumque signo rationis volitum est eorum unum, in eodem volitum esse et eorum alterum. Sicuti, inquiunt, materia est prior quam forma in genere causae materialis, et forma est prior quam materia in genere causae formalis ; unde quia haec duo non cadunt sub voluntatem divinam nisi secundum quod est inter ea mutuus ordo dependentiae, in nulla prioritate rationis unum eorum est volitum, in qua non sit volitum etiam alterum (Cf. Thomas de Lemos, in Panoplia gratiae, tom. II, tractatu 5, cap. 7 ; Gonetus, Clypeus theologiae thomisticae, tom. IV, parte 3, disp 5, § 6 ; Billuart, tom. XIV, De incarnatione Verbi, dissert. 3, art. 3, object. 1ª, nota 2ª) (1). Pari ergo ratione

(1) Notatu sane dignum est Bannesianos in argumentis quae adducunt pro sua sententia de gratuita praedestinatione ad gloriam per se sumptam, inniti.

et nos dicere possumus, gratiam et merita non esse in ordine intentionis divinae omnibus modis priora quam gloriam, sed solummodo in genere causae materialis, h. e. eatenus dumtaxat, quatenus Deus in ordine intentionis non voluit gloriam alicui praedestinato, nisi prouti vestitur iis meritis gratiae quibus revera in tempore ad aeternam beatitudinem perventurus est, itidemque gloriam non esse in ordine intentionis omnibus modis priorem quam gratiam et merita, sed solummodo in genere causae finalis, h. e. eatenus tantum, quatenus Deus non vult totam hanc concatenatam seriem gratiarum et meritorum quibus aliquis praedestinatus in tempore ad salutem perducitur, nisi propter finem gloriae a se absolute intentum ; haec itaque duo, quae sunt gratia et merita ex una parte, et gloria ex alia parte, non esse volita a Deo nisi secundum quod est inter ea mutuus ordo dependentiae ; propter hoc ipsum autem quod haec duo tali modo sunt volita

tamquam principiis quibusdam per se evidentibus, iis ipsissimis propositionibus quas tamquam evidenter falsas explodunt in controversia quae de causa incarnationis ipsis est cum Scotistis. Sic haec duo a s. Thoma asserta in I[a], q. 23, a. 5 : merita sunt causa praedestinationis ad gloriam in genere causae materialis, gloria vero est causa praedestinationis ad gratiam in genere causae finalis, contendunt inter se componi non posse, nisi dicatur prius assertum procedere de causa praedestinationis sumptae pro solo decreto exsecutivo, posterius vero assertum procedere de causa praedestinationis sumptae pro decreto intentivo. Et sic ut doctrinam duobus illis assertis s. Thomae comprehensam in suam sententiam inflectant, fundant se super hac propositione : Quod in ordine intentionis est prius altero in genere causae finalis, id in eodem ordine intentionis est simpliciter prius isto altero. Quae tamen propositio ab ipsis veluti falsa impugnatur, quando, tractantes de causa incarnationis, contra Scotistas defendunt vi praesentis decreti divini incarnationem Verbi quoad ipsam suam substantiam non esse volitam a Deo nisi in remedium peccati originalis. Itidem ut eamdem illam suam sententiam de gratuita praedestinatione ad gloriam adstruant, nituntur hac alia propositione : Omnis ordinate volens prius ratione vult finem quam ea quae sunt ad finem. Sed huic etiam propositioni tamquam falsae nonnulli ex ipsis contradicunt, quando suam sententiam de incarnatione quae sit decreta dependenter a praescientia peccati originalis, ab impugnationibus Scotistarum vindicare satagunt. Scotistis videlicet ex ea propositione arguentibus, Christum, quippe qui sit finis et caput omnium, esse prius ratione volitum a Deo quam ullam puram creaturam, respondent, quando finis est ejusmodi ut sine ulla inordinatione volentis possit pro libitu volentis indifferenter intendi vel non intendi, posse volentem sine ulla inordinatione non intendere finem nisi dependenter a determinato aliquo medio vel a determinata aliqua occasione.

a Deo, neutrum eorum esse prius ratione volitum a Deo quam alterum, sed in quo signo rationis unum eorum est volitum a Deo, in eodem esse volitum a Deo etiam alterum eorum. Atque huc tendit sententia quam in opere Concordiae, q. 23, aa. 4 et 5, disp. 1, membro 8, defendit Molina ; ibi videlicet asserit in negotio praedestinationis prorsus exterminanda esse instantia Scoti et aliorum, in quibus Deus unum voluerit ante aliud aut per scientiam liberam unum absolute praeviderit ante aliud : Deum enim, quum antequam quidquam libere vellet, beneficio scientiae suae mediae perfectissime perspectum haberet, quales, ex hypothesi quod praesentem ordinem rerum eligere vellet, futurae essent habitudines finium et mediorum, et gratiam et merita et gloriam voluisse suis electis, secundum quod haec omnia habent ordinem ad se invicem (1). Et quidem eo magis se probaret

(1) Auctor quidam recens, in opere Romae edito cui fecit titulum : *Tractatus de Deo uno et trino, commentarius in primam partem s. Thomae*, disputans quaestiones de praedestinatione divina, profitetur se in hac materia secuturum esse sententiam Molinae. Quam quidem sententiam mediam esse asserit inter sententiam Suarezii et sententiam Vasquezii, quatenus ex una quidem parte cum Vasquezio contra Suarezium per eam statuitur nullam admittendam esse antecedentem reprobationem negativam, ex alia tamen parte cum Suarezio contra Vasquezium per eamdem statuitur electionem ad gloriam *praecisive sumptam* esse prorsus gratuitam. Ubi autem et quibus verbis talem sententiam tradat Molina, indicat in propositione quadam generali, quam toti suae disputationi de praedestinatione praeponit. « Quoad praedestinationem, inquit ibi, placet doctrina quam conformiter ad principia summorum doctorum Augustini et Thomae, docuit Molina in libro Concordiae, q. 23, aa. 4 et 5, disp. 1, memb. XI, dicens : « Praecxistente in Deo, ante omnem actum liberum suae voluntatis, ratione ejus ordinis rerum, auxiliorum et circumstantiarum quam ex sua parte elegit, necnon infinitorum aliorum qui sua omnipotentia esse poterant, praevidente itidem [Deo] quid in unoquoque eorum pro libertate arbitrii creaturarum erat futurum ex hypothesi.... utique neque quod Deus hunc potius ordinem elegerit quam alium cumque exsecutioni ex parte sua mandare constituerit, nec proinde quod in Christo hos potius elegerit ad vitam aeternam... quam alios,... ulla datur causa, ratio aut condicio, etiam sine qua non, ex parte usus liberi arbitrii ipsorum et aliorum praevisi, ob quam illos praedestinaverit volueritve illis ea media per quae praevidebat perventuros illos in vitam aeternam, aut cur potius haec ipsa voluerit eis quam aliis, sed id totum in solam liberam ac misericordem voluntatem Dei est referendum, qui pro solo suo beneplacito id ita voluit. » Hujus porro propositionis generalis illustrandae causa subjicit praefatus auctor propositiones quasdam particulares quarum secunda

fortassis alicui modus ille dicendi Molinae, quod ad dissolvendam difficultatem quae ex doctrina tradita a s. Thoma

reddit illam ipsam sententiam quam propositione Moliniana contineri praedocuerat. Eam videlicet ita enuntiat : « Praedestinationi, quae est formaliter in intellectu practico, praesupponitur secundum rationem *gratuita prorsus ad gloriam electio* ; electioni autem ad gloriam nulla respondet reprobatio negativa. »

At vero A. haec ejus propositio, quatenus per eam asseritur, praedestinationi praesupponi secundum rationem electionem ad gloriam praecise sumptam quae sit prorsus gratuita, nullo pacto continetur in propositione illa ex opere Concordiae adducta cujus perhibetur esse distinctior quaedam expressio. In propositione enim Moliniana electio ad gloriam non perhibetur esse gratuita, nisi quatenus gloria sumitur in complexu cum tota serie gratiarum eam praecedentium ; proindeque in ea propositione non electio ad gloriam seorsum, sed praedestinatio considerata quoad totalem suum effectum est id quod asseritur esse prorsus gratuitum. Quod quidem patet a) ex eo quod in ea propositione non aliter Molina declarat hujus electionis gratuitatem, quam dicendo, « nullam dari causam, rationem aut condicionem sine qua non, ex parte usus liberi arbitrii ipsorum [praedestinatorum] aut aliorum praevisi, *ob quam Deus illos praedestinaverit voluerit ve illis* EA MEDIA *per quae praevidebat perventuros illos ad vitam aeternam.* Idem patet b) ex eo quod in sensum a nobis assignatum ipse Molina suam propositionem dissertissime explicat. In conclusione enim sua sexta, cujus principio, loco Concordiae supra citato, eam verbis a recenti illo auctore adductis expresserat, hisce aliis verbis, majoris perspicuitatis causa, eam enuntiat : « Itaque dicimus praescientiam usus liberi arbitrii praedestinatorum futuraeve talis liberae cooperationis cum donis et auxiliis Dei ut ad vitam aeternam in hoc ordine rerum quem Deus creare statuit, pervenirent, non fuisse causam, rationem, aut condicionem, *quare vel praedestinatione in genere hi essent praedestinati, aut hi potius quam alii, vel quare ea ipsa numero praedestinatione qua re ipsa praedestinati sunt, fuerint praedestinati*, QUASI DEUS VOLUERIT EX SUA PARTE ILLIS CONFERRE EA IPSA MEDIA QUAE CONFERRE ILLIS STATUIT, PER EAQUE EOS PRAEDESTINARE, QUIA PRAEVIDIT ILLOS ITA PRO SUA LIBERTATE COOPERATUROS UT EA VIA AD VITAM AETERNAM PERVENIRENT, *aut quasi id fuerit condicio, qua praevisa, id Deus erat facturus et sine qua id non erat voliturus*, SED PRO SUA TANTUM LIBERA VOLUNTATE EA MEDIA ILLIS CONFERRE VOLUISSE PER QUAE EOS PRAEDESTINAVIT. » Idem patet denique c) ex conclusione septima quam in opere Concordiae, loco supra citato, Molina ponit et qua asserit, non obstantibus iis quae conclusione sua sexta proxime praecedente statuerat, oportere dici, praescientiam Dei condicionatam, cui innititur praedestinatio, habere rationem ex parte nostra. Dum videlicet ibi paucis comprehendit conclusionem suam sextam, gratuitam electionem ad vitam aeternam de qua egerat in ea conclusione, vocat *propositum conferendi media salutis*. « Licet, inquit, praedestinationis adulti quoad actum voluntatis divinae per quem completur ratio praedestinationis, NEMPE *quoad propositum conferendi illi ea media quibus Deus altitudine sui intellectus praevidit illum pro sua libertate*

in I[a], q. 23, a. 5, ab adversariis movetur, videri posset esse accommodatissimus. In articulo enim illo 5 diserte reducit

perventurum in vitam aeternam, nec ratio, nec condicio, MODO EXPLICATO [in conclusione sexta] detur ex parte praedestinati; praescientiae tamen » etc.

Quod vero amplius est, B. toto decursu suarum disputationum de praedestinatione Molina diserte excludit duo illa a recenti isto auctore supra memorato in praecallata illa sua propositione particulari asserta, scilicet a) electionem ad gloriam praecisive sumptam esse factam in signo rationis antecedente praedestinationem gratiae, et b) electionem illam ad gloriam esse prorsus gratuitam. In directa enim et immediata oppositione ad haec duo ipse instantissime et verbis asseverantissimis inculcat, nullam in electione ad gloriam esse admittendam prioritatem rationis respectu praedestinationis ad gratiam; propterea porro talem prioritatem admittendam non esse, quia Deus non vult alicui adulto gloriam nisi dependenter a meritis gratiae. Sic, ut ex multis quae hac adduci possent, pauca seligamus, a) in opere Concordiae, q. 23, aa. 4 et 5, disp. 1, memb. 8, ubi expendit « progressum quem in praedestinandis reprobandisve hominibus *nonnulli Deum habuisse confingunt*, » explicat principalem conclusionem quam paulo ante finem ibi constituit, asserendo, nulla in negotio praedestinationis admittenda esse instantia rationis; assignat porro tamquam partem rationis in qua tale suum assertum fundat, dependentiam quam voluntas qua Deus vult gloriam suis electis, habet a proprio usu liberi arbitrii praedestinatorum. « Quare quod ad rem praesentem attinet, inquit, contemplari debemus Deum, antequam quidquam libere voluerit, intuentem infinitos rerum ordines quos creare poterat, et quid in unoquoque etiam per liberum arbitrium creatum esset futurum, si talem ordinem cum his vel illis circumstantiis creare vellet... Quum vero habitudines finium rerumque omnium perfectissime cognosceret,... *quum etiam*, *non solum ante ruinam generis humani*, *sed etiam post illam*, NULLI ADULTORUM VOLUERIT SEMPITERNAM BEATITUDINEM NISI DEPENDENTER A PROPRIO USU LIBERI ARBITRII CUJUSQUE,... *sane exterminanda omnino videntur instantia Scoti et aliorum*, in quibus in statuenda incarnatione, praedestinando Christo cum ceteris beatis aut reprobandis ceteris hominibus Deus unum voluerit ante aliud. » Idem b) repetit ibidem, in responsione ad fundamentum cui Scotus et alii patroni gratuitae electionis ad gloriam innituntur in asserendo gloriam esse volitam a Deo prius ratione quam gratiam et merita. « Ad fundamentum ergo illud cui Scotus et alii in ejusmodi instantium designatione innituntur, inquit, dicendum est, si velint eum qui ordinate, h. e. ordine quodam unum post aliud, vult finem et media, prius debere velle finem quam media, verum quidem esse: *Deum tamen non ita se habere*, *praesertim in re de qua disputamus*, SED SIMUL VELLE FINEM ET MEDIA. Si vero velle ordinate idem sit ac non praepostere sive indecenter.... *dicendum .. est, eum qui vult quidem finem, non tamen suum, sed alterius, cui illum vult tamquam praemium et sub condicione si ad illum per propria merita, gratiae tamen innixa, pervenire voluerit*, NON PRIUS VELLE ALICUI VOLUNTATE ABSOLUTA PRAEMIUM QUAM PRAEVIDEAT FUTURA VEL TQUE EIDEM MEDIA QUIBUS AD FINEM PERVENIET. Quare neque prius vult nobis Deus voluntate absoluta finem quam media,

s. Doctor causam meritoriam ad genus causae materialis ; proindeque iis verbis quibus pro sua sententia pugnant

neque prius praevidet nos habituros finem quam praevideat nos habituros media. » Eamdem etiam doctrinam tradit et a suorum censorum impugnationibus vindicat c) in appendice quem adnexuit membro 8 suae disputationis primae de praedestinatione. Inter tres videlicet eventus quorum respectu ibi contendit nullas in voluntate divina admittendas esse prioritates et posterioritates, ultimo loco eum assignat qui contingit « quando finis neque volitus neque proinde cognitus est absolute futurus *nisi dependenter a mediis.* » Quo supposito, ita infert : « Unde quia Deus non voluit hominibus beatitudinem nisi tamquam praemium, ad quod, si adulti essent, pervenirent per propria merita, quae gratiae ipsius (et meritis Christi post Adae peccatum) niterentur, *sane non prius absoluta voluntate voluit Deus illis praemium ad illudque eos elegit,* quam videret *velletque illis media ad id accommodata atque adeo quam per illa media illos praedestinaret.* Sicut paterfamilias non prius vult mercenario voluntate absoluta denarium diurnum quem in praemium et finem suorum laborum illi proponit, quam praevideat labores et merita illius, *eo quod dependenter ab illis eum illi velit.* » Tandem in illo ipso membro XI suae disputationis primae de praedestinatione ubi ponit conclusionem illam 6^{am}, cujus partem, ac si sibi faveret, citavit auctor iste recens supra memoratus, sancit Molina principium, quod, si firmum sit, omnino corruat oportet sententia asserens praedestinationem ad gloriam praecisive sumptam esse prorsus gratuitam. « Quae auxilia et dona, inquit, confert Deus in tempore propter aliquem bonum usum liberi arbitrii antecedentem, et quae peccata permittit aut quam poenam aliam infligit propter malum arbitrii usum antecedentem, *eadem ex aeternitate conferre, permittere aut infligere statuit propter eumdem bonum aut malum usum praevisum futurum ex hypothesi quod hunc vel illum ordinem condere vellet.* » Et notandum est Molinam hac sua propositione absolutam Dei voluntatem infligendi poenam et absolutam ejus voluntatem conferendi gloriam omnino parificare quantum ad hoc quod utraque haec Dei voluntas ex parte sui objecti habet rationem in usu antecedente liberi arbitrii creati. Ex quo fit ut non magis secundum ipsum voluntas dandi gloriam praecisive sumptam sit gratuita, quam voluntas infligendi poenam est gratuita.

C. Non solum, uti hactenus ostensum est, Molina diserte excludit sententiam ponentium electionem ad gloriam praecisive sumptam esse prorsus gratuitam, sed tam procul ab ea sententia abest ut in extrema ad eam oppositione aequivalenter doceat, esse in potestate cujusvis adulti gratia divina praeventi efficere ut voluntas divina ei providendi media salutis habeat rationem praedestinationis potius quam rationem communis providentiae supernaturalis. Patet assertum ex eo quod Molina nobiscum tenet, Deum eo animo ferri ad volenda hominibus media salutis, ut, quantum est praecise ex parte ipsius, eadem illa media salutis quae modo eis dat, ipsis daturus fuisset, etiamsi per scientiam suam mediam praevidisset finalem illorum mediorum effectum fore alium ab eo quem modo revera sortiuntur. Huc enim tendit a) id quod docet in opere Concordiae, q. 23, aa. 4 et 5, disp. 1, membro 11,

adversarii, ipse ibi tantummodo docet merita gratiae esse in praedestinatione divina priora quam gloriam in genere cau-

concl. 9, Deum scilicet, licet non praedestinaverit homines pro qualitate boni usus liberi eorum arbitrii ex hypothesi praevisi, sed gratis, non tamen eos praedestinasse sine habita ratione sive consideratione hujus boni usus eorum liberi arbitrii. Nam in sensum a nobis assignatum ipsemet hanc suam doctrinam explicat, quando eadem disputatione 1. membro 6, ab auctoribus quos ibi refellit, quaerit « quae demum aequitas, bonitas et clementia postulet ut PRO SUA TANTUM VOLUNTATE, *absque ulla consideratione libert arbitrii cujusque*, Deus decreverit ut hi in particulari essent praedestinati, illi reprobi. » Clarius adhuc perhibet Deum eo quo diximus animo ferri ad volenda hominibus media salutis, quando b) ibidem, membro 8, asserit fore ut « *voluntas Dei* donandi nobis totum illum ordinem gratiae qui per Christum loco ejus quem Adamus amisit, successit, multo uberiorem haberet effectum, *si per homines non staret.* » At clarissime praedictam doctrinam tradit, quando c) ibid., membro 13, asserit, « Deum ita unico electionis actu simul elegisse ex parte sua totum eum ordinem rerum qui a prima rerum constitutione coepit et usque ad consummationem saeculi decurret, *ac si, non existente in eo praescientia de rebus per arbitrium creatum futuris, eumdem per partes, prouti res successu temporis evenissent, elegisset.* « « Unde credimus, inquit, Deum tam ex animo ab aeternitate statuisse condere in suam beatitudinem in temporeque condidisse angelos omnes et homines in statu innocentiae, AC SI DE CASU ET RUINA QUORUMDAM ANGELORUM ET HOMINUM NIHIL PRAEVIDISSET... Arbitramur [itidem] Deum... ex eadem aeternitate relintegrationem generis humani per Christi adventum et merita, reliquumque ordinem usque ad consummationem saeculi decurrentem elegisse, AC SI IGNORANS QUID FUTURUM ESSET, *eamdem post lapsum primorum parentum reparationem elegisset.* »

Quod vero idem ille auctor recens supra memoratus in fine suae propositionis addit, gratuitae videlicet electioni ad gloriam praecisive sumptam a se propugnatae nullam ex adverso respondere antecedentem reprobationem negativam, id profecto neque cum genuina electionis notione neque etiam cum doctrina s. Thomae concordare potest. Electio enim quamdam discretionem importat; proindeque in hoc consistit quod quidam ad gloriam accipiuntur prae aliis, qui ab eadem gloria reprobantur. Quod disertissime profitetur s. Thomas in q. 6 de Verit., a. 1, in resp. ad ultimum arg. : *Sed contra :* « Qui eligit, inquit, alterum accipit, *et alterum rejicit*, QUOD DICITUR REPROBARE. » Nec aliunde probat actum illum quo Deus aliquibus vult salutem, habere rationem electionis, quam ex eo quod Deus quosdam reprobat. « Praedestinatio aliquorum in vitam aeternam, inquit in I^a^, q. 23, a. 4, praesupponit secundum rationem quod Deus illorum velit salutem. Ad quod pertinet electio et dilectio. Dilectio quidem, in quantum vult eis hoc bonum salutis aeternae. Electio autem, *in quantum hoc bonum aliquibus prae aliis vult, quum quosdam reprobet.* » Tam ergo secundum rei veritatem quam secundum doctrinam s. Thomae oportet dicere, in eodem signo rationis in quo fit electio aliquorum ad salutem, fieri rejectionem ceterorum a salute. Si ergo in eo signo rationis non habetur respectus ad usum liberi arbitrii anteceden-

sae materialis, gloriam vero esse in praedestinatione divina priorem quam gratiam in genere causae finalis. Quae ejus doctrina, uti modo ostensum est, omnino verificatur, si accipi velit modus dicendi Molinae.

Instauratio argumenti Bannesianorum.

216. At vero, quamvis modus dicendi Molinae neque contradictionem implicet, neque repugnet iis quae ponit s. Thomas in I[a], q. 23, a. 5, videri tamen posset repugnare iis quae idem s. Doctor asserit in I[a], q. 23, a. 4, in q. 6 de Verit., a. 1, in Sent. I, d. 41, a. 2, et in Quodlibeto 11, a. 3. Omnibus enim hisce locis disertissime docet Angelicus praedestinationi gratiae praesupponi secundum rationis intelligentiam electionem ad gloriam. Cujus oppositum modo dicendi Molinae videri posset stabiliri. Et eatenus argumentum partis adversae videri posset retinere totam suam vim probativam. Esto enim, dicent Bannesiani, non repugnet quidem secundum se et absolute, gloriam praedestinari dependenter a meritis gratiae et nihilominus gratiam praedestinari dependenter ab absoluta intentione gloriae ; hoc tamen repugnabit, si ponatur cum s. Thoma, praedestinationi gratiae praeire secundum rationis intelligentiam electionem ad gloriam. Nam si electio ad gloriam praecedat praedestinationem gratiae ; ergo gratia in intentione divina est simpliciter posterior quam gloria. Repugnabit proinde, stante praedicta doctrina s. Thomae, gloriam praedestinari dependenter a meritis gratiae ; quia ad hoc tuendum oporteret ponere gratiam et merita esse in ordine intentionis divinae vel priora quam gloriam, uti sciscit Lessius, vel simul cum gloria, uti sciscit Molina.

Ejus destructio.

217. Attamen, quamvis argumentum adversariorum, si sub tali forma proponatur, jam non amplius peccet falsitate principii cui innititur, communicat tamen cum argumento, quale prius proponebatur, in altero defectu, qui jam assignandus est. Nempe 2° sub quacumque tandem forma proponatur argumentum adversariorum, falso in eo supponitur, non posse asseri gratiam praedestinari dependenter a gloria

tem. necessario admittenda erit antecedens reprobatio, ea saltem quae dicitur negativa.

Alias rationes quibus idem probari posset, missas facimus; maxime enim hic nobis propositum fuit ostendere quantum a ratione Molinae abhorreat sententia quam summo huic theologo recens ille auctor affinxit.

absolute a Deo intenta, sine hoc quod consequenter asserendum sit, Deum secundum nullum considerationis modum velle gratiam suis electis nisi dependenter ab absoluta intentione gloriae. Talem videlicet suppositionem esse falsam, patebit, si inhaereatur distinctioni quae supra a nobis inducta est circa voluntatem divinam. Uti enim ibi dictum est, de voluntate qua Deus suis electis providet media salutis, possumus loqui dupliciter. Primo quidem modo, hanc voluntatem praecise considerando secundum virtualem suam tendentiam. Et secundum talem modum loquendi de Dei voluntate dandi gratias suis electis, oportet dicere eam non pendere nisi a condicionata voluntate salvandi electos. Et ratio cur ita dicendum sit, perspicua est : propter virtualem enim tendentiam voluntatis divinae de unaquaque gratia quam Deus dat alicui praedestinato, verum est dicere, si Deus scientia sua condicionata praevidisset quidem, ex parte liberi arbitrii creati ea adfore adjuncta sub quibus ea gratia revera modo datur, eadem tamen illa sua scientia condicionata simul praevidisset eam gratiam alium habiturum esse exitum atque eum quem revera modo sortitur, eum nihilominus eamdem illam gratiam homini qui modo est praedestinatus, daturum fuisse. Quod certe impossibile esset, si, quantum ad ipsam suam virtualem tendentiam, voluntas qua Deus vult dare gratiam suis electis, penderet ab absoluta intentione dandi gloriam electis. Voluntas itaque qua Deus vult dare gratiam suis electis, si praecise consideretur quantum ad virtualem suam tendentiam, non habet formaliter rationem praedestinationis, sed habet rationem communis providentiae supernaturalis. Quapropter etiam gratiae et merita gratiae, secundum quod praecise pendent a voluntate Dei considerata quoad virtualem suam tendentiam, non sunt effectus praedestinationis formaliter sumptae, sed sunt effectus communis providentiae supernaturalis. Ex quo ultimato efficitur ut merita gratiae, secundum quod dependenter ab ipsis praedestinatur gloria, non sint effectus praedestinationis formaliter sumptae, utque proinde ipsae, in quantum praedicto modo accipiuntur. non pendeant ab absoluta intentione dandi gloriam electis. Et hoc propterea, quia, uti antea ostensum est, virtuali tendentiae voluntatis divinae tribuendum est quod gloria non cadit sub absolutam intentionem

voluntatis divinae nisi dependenter a meritis gratiae. Porro gratiae, secundum quod praecise pendent a virtuali tendentia voluntatis divinae, sunt gratiae consideratae in praecisione a sua efficacia, h. e. in praecisione ab infallibili sui connexione cum meritis ex iis sequentibus et cum finali eventu salutis. Itidemque merita, secundum quod mediantibus gratiis tali modo consideratis dependent a virtuali tendentia voluntatis divinae, sunt merita considerata in praecisione ab infallibili sui consecutione ex gratiis.

Alio vero modo possumus loqui de voluntate qua Deus vult providere media salutis suis electis, hanc voluntatem considerando quantum ad actualem suam tendentiam. Et secundum talem modum loquendi de Dei voluntate dandi gratias suis electis, oportet dicere eam pendere ab absoluta intentione dandi gloriam electis. Nam, uti supra ostensum est, Deus actuali suae voluntatis tendentia fertur super gratias et super merita ex eis consequentia, secundum quod habent infallibilem connexionem inter se et cum finali eventu gloriae; impossibile porro est eum tali modo ferri super gratias et merita, nisi dependenter ab absoluta intentione gloriae. Et quia voluntas Dei dandi gratias electis non est formaliter praedestinans, nisi in quantum tendit in gratias, tamquam in media salutis quae futura sint finaliter efficacia, idcirco ad voluntatem Dei dandi gratias electis, in quantum est formaliter praedestinans, praesupponitur secundum rationis intelligentiam absoluta intentio dandi gloriam electis.

Patet itaque per hoc quod ponitur et gloriam praedestinari dependenter a meritis, et nihilominus gratiam non praedestinari nisi praedestinatione quae sit facta dependenter ab absoluta intentione gloriae eam praecedente, non incurri in contradictionem quae argumento partis adversae concludi intendebatur. Sive, quod idem est, ex tali positione non est consequens id quod inde inferunt Bannesiani, idem videlicet respectu ejusdem esse in intentione divina simul prius et posterius. Id videlicet quod a nobis ponitur pendere in ordine intentionis divinae ab absoluta intentione gloriae et esse in hoc ordine intentionis divinae posterius quam gloriam, sunt gratiae et merita, prouti habent infallibilem connexionem inter se et cum gloria; a gratiis autem et meritis tali modo intentis non ponimus pendere praedestinationem gloriae. Sed

gloriam in ordine intentionis divinae dicimus pendere a gratiis et meritis, secundum quod praecise accipiuntur ut pendentia a virtuali tendentia voluntatis divinae; secundum quem modum praecisum ea considerandi, gratiae et merita non intelliguntur intendi a Deo veluti quaedam infallibiliter nexa inter se et cum fine salutis.

218. Nec tamen, quum ita decernimus, intendimus negare, de gratia et meritis electorum, quocumque modo spectentur, recte affirmari ea esse praedestinationis effectus. Voluntas enim Dei praedestinans includit communem rationem providentiae supernaturalis, et ei superaddit id quod est proprium praedestinationis. Quare, quando sermo est de effectibus praedestinationis, oportet discernere inter eos effectus in quibus praedestinatio communicat cum communi providentia supernaturali, et effectus proprios praedestinationis. Gratiae ergo et merita electorum, secundum quod accipiuntur in sui praecisione ab infallibili connexione quam habent inter se et cum eventu salutis, sunt quidem effectus praedestinationis, sed non proprii; secundum quod videlicet tali modo accipiuntur, procedunt a praedestinatione, secundum quod includit communem rationem providentiae supernaturalis. Gratiae vero et merita electorum, secundum quod accipiuntur in sui infallibili connexione inter se et cum eventu salutis, sunt effectus proprius praedestinationis; secundum quod videlicet tali modo considerantur, procedunt a praedestinatione, secundum quod haec est formaliter praedestinans.

Duplex modus loquendi de gratiis et meritis, prouti sunt effectus praedestinationis.

219. Porro solutione quam modo tradidimus, non solum congrue explicari doctrinam qua asserit s. Thomas, tum gratiam praedestinari dependenter a gloria absolute intenta a Deo, tum etiam ad praedestinationem gratiae praesupponi absolutam intentionem gloriae, sed insuper, attento toto complexu eorum quae de praedestinatione tradit s. Doctor, eam doctrinam aliter explicari non posse, liquet ex eo quod in multis illis testimoniis quae antea ex eo adduximus, ipse disertissime perhibet gloriam in ipso ordine intentionis divinae praedestinari dependenter a meritis gratiae. Huc enim pertinet a) quod de voluntate antecedente qua Deus vult omnes homines salvos fieri, ipse perhibet, eam objective condicionari per usum liberi arbitrii creati (in Sent. I, d. 46, a 1, ad 2[m]). Esset enim falsum hoc ejus assertum, si in ordine

Conformitas solutionis traditae cum doctrina s. Thomae.

intentionis, ad quem utique pertinet voluntas illa Dei antecedens salutis, Deus electis suis vellet gloriam independenter ab eorum meritis. Contradictionem enim implicat dicere, Deum in ordine intentionis non velle antecedenter suis electis salutem nisi voluntate quae ex parte sui objecti sit condicionata per merita prius acquirenda, et simul dicere eum in ordine intentionis velle antecedenter suis electis salutem voluntate quae sit independens a praevisione meritorum. Huc itidem pertinet b) quod in I^{a}, q. 23, a. 4, ad 3^{m}, ipse asserit, electionem ad gloriam pertinere ad voluntatem Dei consequentem. Juxta constantem enim ejus doctrinam voluntas Dei consequens eo distinguitur a voluntate Dei antecedente, quod concipitur dependenter a praeviso bono vel malo usu liberi arbitrii creati. Huc etiam pertinet c) quod in Sent. I, d. 41, q. 1, a 3, et in I^{a}, q. 23, a. 5, nulla facta distinctione inter ordinem intentionis et ordinem executionis, ipse simpliciter docet « praedestinationem, in quantum est de gloria, habere rationem ex parte effectus in meritis, » et « Deum praeordinasse se daturum alicui gloriam ex meritis. » Ad haec accedit d) quod ex una parte ipse perhibet, in eodem signo rationis in quo fit electio aliquorum ad salutem, fieri reprobationem reliquorum a salute (in q. 6 de Verit., a. 1, in resp. ad 4^{m} arg. : *Sed contra*, et in I^{a}, q. 23, a. 4), ex alia vero parte ipse docet Deum non rejicere aliquos a salute nisi « propter indispositionem eorum », nisi « quia creatura impeditur propter suum defectum a fine » [salutis], nisi « quia quidam suae saluti adversantur, quos ordo suae sapientiae ad salutem venire non patitur. » (in q. 23 de Verit., a. 2) Hac videlicet sua doctrina ipse aequivalenter asserit electionem ad gloriam seorsum fieri propter praevisa merita. Non enim stat reprobationem aliquorum a salute fieri dependenter a praeviso malo usu liberi arbitrii eorum, et hoc in eodem illo rationis instanti in quo ad gloriam eliguntur ceteri, nisi ipsamet haec ceterorum electio ad gloriam fiat dependenter a praeviso bono usu liberi arbitrii eorum. Accedit denique e) quod in q. 5 de Verit., a. 7, s. Doctor asserit Deum providentia sua praemiativa vel punitiva, ad quam utique pertinet vel maxime praedestinatio ad gloriam vel reprobatio a gloria, diversimode hominibus adhibere bona vel mala dependenter a modo quo ipsi homi-

nes, bene vel male agendo, diversimode sibi provident. « Respondeo dicendum, inquit, quod divina providentia se extendit ad homines dupliciter : uno modo, in quantum ipsi providentur, alio modo, in quantum ipsi providentes fiunt. Ex hoc autem quod providendo deficiunt vel rectitudinem servant, boni vel mali dicuntur; ex hoc autem quod providentur a Deo, eis bona vel mala praestantur; *et secundum quod ipsi diversimode se habent in providendo, diversimode eis providetur a Deo*. Si enim rectum ordinem in providendo servant, et in eis divina providentia ordinem servat congruum humanae dignitati, ut scilicet nihil eis eveniat quod in eorum bonum non cedat, et quod omnia quae eis proveniunt, eos in bonum promoveant, secundum illud quod dicitur Rom. VIII, 28 : *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. Si autem providendo ordinem non servant, quod congruit naturae rationali, sed provideant secundum modum brutorum animalium, et divina providentia de eis ordinabit secundum ordinem qui brutis competit, ut scilicet ea quae in eis bona vel mala sunt, non ordinentur in eorum bonum proprium, sed in bonum aliorum, secundum quod in psalmo XLVIII, 13, dicitur : *Homo, quum in honore esset, non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis*. » Et notandum est, in testimonio Epistolae ad Rom., quo primam partem sui propositi s. Doctor probat, non agi nisi de praedestinatis, uti ipsemet s. Doctor constanter docet in omnibus suorum operum locis ubi illud testimonium data opera explanat.

Essentialis dependentia quam ea Dei beneficia, quibus competit ratio praemii, habent in praedestinatione divina ab iis meritis propter quae in tempore conferuntur.

220. III. **Ordo dependentiae quo colligantur inter se beneficia supernaturalia in aeterna Dei praedestinatione**. Quum quidquid Deus operatur, voluntate operetur, impossibile sit autem eum in tempore aliquid incipere velle, necesse est dicere, nihil esse bonorum quae Deus in tempore operatur, quod secundum omnem rationem sub qua illud operatur, non ab aeterno absoluta voluntate ab eo fuerit intentum. Ex quo consequitur gloriam seorsum sumptam ab aeterno absoluta voluntate fuisse a Deo intentam sub ratione praemii et coronae. Et ratio hujus consequentiae in propatulo est : hoc enim bonum, quod est gloria seorsum sumpta, non confertur adultis in tempore a Deo modo quocumque, sed secundum quod habet rationem praemii et coronae. Non autem est

possibile gloriam ab aeterno esse intentam a Deo sub ratione praemii et coronae, si ab aeterno non sit ab eo intenta propter merita, h. e. secundum quod dependet a meritis. Est quippe de essentiali ratione praemii ut dicat ordinem ad merita, tamquam ad quaedam unde dependet ; proindeque contradictionem implicat ponere,gloriam in aeterna Dei praedestinatione esse intentam a Deo sub ratione praemii, et nihilominus ponero gloriam cadere sub praedestinationem divinam independenter a meritis.

Nec valet quod in oppositum arguit Gonetus, in Clypeo theologiae thomisticae, tom. II, tractatu 5, disput. 2, art. 2, § 2, dicens, ex eo quod in ipso ordine intentionis Deus vult gloriam adultis sub ratione praemii et coronae, sequi quidem Deum in ordine intentionis velle gloriam adultis per merita, non tamen inde sequi eum in ordine intentionis velle gloriam adultis propter merita. Nempe ex eo quod Deus intendit gloriam conferendam per modum praemii et coronae, solummodo legitime inferri posse, Deum vi talis intentionis determinari ad volendum merita quibus adultus in tempore perducatur ad gloriam ; et sic merita esse effectus derivatos ex volitione gloriae intentae sub ratione mercedis, non vero ea esse hujus volitionis rationem sive motivum. Hoc non valet, inquam ; non enim, uti supponit Gonetus ita arguens, gloria, spectata in ratione mercedis, dependet solummodo a meritis tamquam a mediis quibus pervenitur ad gloriam, sicut sanitas dependet a medicina ; sed gloria dependet a meritis tamquam a talibus unde nanciscitur rationem mercedis. Oriturque inde differentia inter dependentiam quam gloria spectata in ratione mercedis habet a meritis, et dependentiam quam sanitas habet a medicina. Nam gloriae spectatae in ratione mercedis est essentialis dependentia a meritis, non vero sanitatis est essentialis dependentia a medicina. Haec porro est ratio cur repugnet gloriam intendi in ratione praemii, absque hoc quod intendatur tamquam aliquid dependens a meritis eam praecedentibus. Et quidem oportet gloriam spectatam in ratione mercedis intendi dependenter a determinatis illis meritis propter quae revera in tempore confertur et ex quibus solis habet ut sit tale praemium in specie et in numero determinatum. Si enim intenderetur solummodo dependenter a meritis indeterminate sumptis, jam falsum

evaderet Deum ab aeterno intendisse gloriam sub omni omnino ratione, tam individuali quam specifica, sub qua eam in tempore operatur.

Porro quod hactenus diximus de gloria, hoc universaliter affirmandum est de omni omnino beneficio quod a Deo in tempore confertur propter merita. Omne enim hujusmodi beneficium habet aliquo modo rationem mercedis et qua tale ab aeterno a Deo intenditur ; proindeque oportuit illud ab aeterno intendi a Deo dependenter ab iis determinatis meritis propter quae illud revera in tempore a Deo confertur. Huc accedit quod merita non causant beneficium divinum quod ratione ipsorum in tempore datur, nisi in quantum aliquo modo sunt in causa cur Deus illud beneficium homini merenti conferre velit, non autem possunt merita esse in causa cur homini merenti Deus beneficium aliquod conferre velit, nisi in quantum beneficium a Deo dandum nonnisi dependenter ab ipsis cadit sub voluntatem divinam.

221. Talibus itaque rationibus nixi affirmant nostrae sententiae auctores, in aeterna Dei praedestinatione dona gratiae et gloriae eodem inter se devinciri dependentiae ordine quo inter se colligantur in temporali sui exsecutione. Quod et aliter exprimunt dicendo, Deum in aeterna praedestinatione eodem modo beneficia sua praeparasse quo ea in tempore exsequitur. Quaestio hic est utrum talem propositionem tradat etiam s. Thomas et utrum per consequens inde etiam suppeditetur argumentium efficaciter ostendens ipsum suffragari sententiae ponenti gloriam praedestinari dependenter a praevisis meritis gratiae. Affirmant id nostrae sententiae auctores, qui huc afferunt haec s. Doctoris effata : « Deus, sicut nos salvat, ita praedestinavit nos salvos facere » (in I[a], q. 23, a. 5, argum. : *Sed contra*) ; « Deus ordinat res, sicut agit res » (in Opusculo cujus est titulus : Declaratio quorumdam articulorum contra Graecos, Armenos et Sarracenos) ; « sub praedestinatione aeterna cadit non solum id quod est fiendum in tempore, sed etiam modus et ordo secundum quem est complendum in tempore » (in III[a], q. 24, a. 4). Negant vero assertores gratuitae praedestinationis ad gloriam praedictam propositionem in sensu nuper explicato traditum esse a doctore angelico. Quod videlicet locis proxime citatis ipse asserit, Deum videlicet eo modo sua

Duplex sententia de mente s. Thomae circa ordinem dependentiae quem habent inter se in ipsa praedestinatione praedestinationis effectus.

beneficia praedestinasse quo ea confert in tempore, aiunt ex ejus mente facere sensum longe diversum ab eo in quo talis propositio ab auctoribus nostrae sententiae usurpatur. Quod tamen non uno modo declarant, sed duas praedictae propositionis ineunt interpretationes haud parum inter se differentes. Prima interpretatio quam afferunt, nititur decantatae ab ipsis distinctioni inter decretum praedestinans intentivum et decretum praedestinans exsecutivum. Aiunt praedicta propositione statui quidem a s. Doctore, beneficia Dei in aeterna Dei praedestinatione eodem inter se connecti dependentiae ordine quo inter se connectuntur in temporali sui exsecutione ; ceterum ipsum, quum ita pronuntiat, non loqui de decreto praedestinante pertinente ad ordinem intentionis, sed de decreto praedestinante pertinente ad ordinem exsecutionis ; solummodo videlicet ab eo ita perhibente intendi dici, Deum decreto suo praedestinante, prouti illud respicit exsecutionem eorum quae jam prius ratione in ordine intentionis volita erant, voluisse conferre ea quae in ordine exsecutionis sunt posteriora dependenter ab iis quae in eodem ordine exsecutionis sunt priora. Cum quo stat, inquiunt, decretum Dei praedestinans intentivum, quod ratione praecedit decretum illud praedestinans exsecutivum, secundum s. Doctorem ordine prorsus opposito procedere, tali videlicet suo decreto Deus secundum ipsum ea quae in exsecutione sunt priora, vult dependenter ab iis quae in exsecutione sunt posteriora (Cf. Thomas de Lemos, in Panoplia gratiae, tom. II, tractatu 2, cap. 15, nn. 404-406 ; Gonetus, in Clypeo theologiae thomisticae, tom. II, tractatu 5, disp. 2, art. 2, § 2, nn. 69-71 ; Billuart, de Deo et ejus attributis, tom. 2, dissert. 9, art. 5, § 4, object. 2ª). Altera vero interpretatione ad quam recurrunt, concedunt quidem s. Thomam in praedicta sua propositione loqui de decreto praedestinante intentivo, addunt tamen ibi aeternam praedestinationem beneficiorum Dei et temporalem exsecutionem eorumdem non ab eo adaequari inter se quantum ad hoc quod quo ordine dependentiae haec beneficia inter se connectuntur in temporali sui exsecutione, eodem etiam inter se connectuntur in aeterna Dei praedestinatione, sed solummodo quantum ad hoc quod quae sunt causae ex quibus haec beneficia in tempore proveniunt, eaedem in praedestinatione divina ab

aeterno sunt praeparatae. Sive, quod idem est, altera sua interpretatione perhibent adversarii, s. Thomam, quando dicit Deum, sicut confert sua beneficia, ita ea ab aeterno praedestinasse, solummodo intendere dicere Deum eum modum quo beneficia gratiae et gloriae in tempore eveniunt, decreto suo praedestinante intentivo ab aeterno praeordinasse. Cum quo stat profecto, inquiunt, Deum in ordine intentionis, non beneficia quae in ordine executionis sunt effectus, praeordinasse dependenter a beneficiis quae in ordine exsecutionis sunt causae, sed, contra, ordine inverso, eum beneficia quae in ordine exsecutionis sunt causae, praeordinasse dependenter a beneficiis quae in ordine exsecutionis sunt effectus (Cf. Thomas de Lemos, loco citato n. 405 ; Gonetus, loco citato, nn. 63, 64).

Testimonia s. Thomae clare edicentia beneficia salutaria in aeterna Dei praedestinatione eodem inter se connecti dependentiae ordine quo connectuntur inter se in temporali exsecutione.

222. Jam, adductis locis in quibus praedicta propositio s. Thomae comparet, determinandum est utrum ex contextu et ex scopo a s. Doctore intento haec propositio eum nanciscatur sensum in quem eam interpretantur nostri auctores, an vero prae se ferat aliquem ex duobus sensibus in quem eam interpretantur adversarii.

223. 1°. In I^{a}, q. 23, a. 5, post inducta argumenta quae fiebant pro sententia ponente praedestinationem simpliciter sumptam esse ex meritis, ita pro propria sua sententia arguit s. Doctor in argumento *Sed contra* : « Sed contra est quod dicit Apostolus ad Titum, III : *Non ex operibus justitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit* : sicut autem salvos nos fecit, ita praedestinavit nos salvos fieri ; non ergo praescientia meritorum est causa vel ratio praedestinationis. »

Primum testimonium.

In hoc suo argumento Angelicus loquitur de salute, prouti comprehendit totam seriem beneficiorum quae praedestinatis in tempore conferuntur ; solummodo enim a) salus sic accepta est objectum praedestinationis simpliciter dictae, de qua ibi agebat, itidemque b) solummodo de salute sic accepta verificatur id quod ibi affirmat secundum Apostolum, eam in tempore gratis conferri. Porro salutem sic sumptam independenter a meritis praedestinari, concludit ex eo quod salus in exsecutione confertur independenter a meritis. Nititurque in sic concludendo hoc principio : « Sicut Deus salvos nos fecit, ita praedestinavit nos salvos fieri. » Sed vi hujus prin-

cipii non concluditur intentum, nisi ejus sensus sit : Quoad hoc quod est dependere vel non dependere a meritis, eodem modo se habent beneficia Dei in aeterna Dei praedestinatione atque in temporali sui exsecutione. Ex modo enim quo relate ad hoc quod est dependere vel non dependere a meritis, beneficia Dei se habent in exsecutione, impossibile est aliquid concludi de modo quo relate ad hoc idem eadem beneficia se habent in praedestinatione, si in principio vi cujus conclusio inferri intenditur, non agitur de modo quo beneficia Dei considerata in exsecutione et eadem beneficia considerata in praedestinatione, comparative se habent quantum ad hoc quod est dependere vel non dependere ex meritis. Et quo magis hoc pateat, supponatur propositionem in qua fundatur conclusio s. Thomae, esse accipiendam eo sensu quem ei affingunt adversarii in secundo suo interpretationis modo. Arguatur ergo ex eo principio tali modo intellecto hunc in modum : Deus ex operibus justitiae quae fecimus nos, nos salvat in tempore ea salute quae consistit in gloria seorsum sumpta. Sed sicut nos salvos fecit, ita praedestinavit nos salvos fieri. Ergo praescientia meritorum est causa vel ratio praedestinationis ad gloriam seorsum sumptam. Ad tale argumentum dicent adversarii conclusionem non sequi, quia, quae est suppositio modo facta, in principio ex quo procedit argumentum, beneficia Dei prouti sunt in exsecutione, et eadem beneficia, prouti sunt in praedestinatione, non comparantur inter se quantum ad hoc quod est dependere vel non dependere a meritis. Immo non aliam ob causam nisi ut vitetur conclusio modo deducta, adversarii adhibent principio cui nititur s. Thomas, eam interpretationem quam modo impugnamus. Ergo pari ratione nos dicemus in argumento ab ipso s. Thoma facto non sequi conclusionem, si principium ex quo procedit illud argumentum, sit accipiendum sensu quem ei affingunt adversarii in secundo suo interpretationis modo.

Sic ergo secundus ille interpretationis modus exclusus manet. Nec vero priorem interpretationis modum ad quem recurrunt adversarii, admitti posse, h. e. dici non posse propositionem cui ceu principio in suo argumento : *Sed contra*, s. Thomas nititur, procedere de praedestinatione, non prouti est intentiva,sed solummodo prouti est exsecutiva,

liquet ex eo quod conclusio quam inde ipse infert, quae est, praedestinationem non esse ex praevisione meritorum, evidenter procedit de praedestinatione utrovis modo spectata. Adducit enim s. Doctor suum argumentum : *Sed contra*, in directa oppositione ad argumenta quae prius ab eo inducta fuerant pro sententia ponente praedestinationem esse ex praevisione meritorum. Quibus certe argumentis concludi intendebatur praedestinationem in ipso ordine intentionis esse ex meritis.

Concludendum est itaque hac sua propositione : « Sicut [Deus] nos salvos facit, ita praedestinavit nos salvos fieri », doceri a Doctore angelico, in aeterna Dei praedestinatione, etiam secundum quod pertinet ad ordinem intentionis, eodem ordine dependentiae inter se connecti beneficia Dei supernaturalia, quo haec beneficia inter se colligantur in temporali sui exsecutione. Ex quo jam ulterius est consequens, sententiam esse s Doctoris, gloriam seorsum sumptam, sicut in temporali sui exsecutione dependet a meritis, ita in ordine intentionis divinae praedestinari dependenter a meritis.

224. 2°. In III^{a}, q. 24, a. 4, quaerit s. Thomas « utrum praedestinatio Christi sit causa nostrae praedestinationis. » Solvit autem quaestionem sub bimembri distinctione, sic dicendo : « Respondeo dicendum quod si consideretur praedestinatio secundum ipsum praedestinationis actum, praedestinatio Christi non est causa nostrae praedestinationis, quum uno et eodem actu Deus praedestinaverit ipsum et nos. Si autem consideretur praedestinatio secundum terminum praedestinationis, sic Christus est causa nostrae praedestinationis. Sic enim Deus praedestinavit nostram salutem, ab aeterno praedestinando ut per Jesum Christum compleretur. *Sub praedestinatione enim aeterna non solum cadit id quod est fiendum in tempore, sed etiam modus et ordo secundum quem est fiendum in tempore.* »

Secundum testimonium.

Propositum s. Doctoris ita respondentis nullum sane relinquit locum alterutri interpretationi quam adversarii nituntur adhibere propositioni universali quam sub fine suae responsionis enuntiat. Nam primo quidem, a) quando quaestionem a se propositam solvit dicendo, praedestinationem Christi esse causam nostrae praedestinationis, manifestum est ab ipso intendi dici, in ipso ordine intentionis praedestinationem

Christi esse causam nostrae praedestinationis. Nam suam solutionem limitat quidem dicendo, eam non valere de praedestinatione entitative sumpta, sed solummodo de praedestinatione terminative sumpta, non tamen ulterius eam limitat, addendo eam non valere de praedestinatione spectata quoad intentionem, sed solummodo de praedestinatione spectata quoad exsecutionem. Nec est quod ad id probandum argumenta multiplicentur : ipsi enim Bannesiani, quibuscum nobis est praecipua controversia, ultro fatentur certam esse doctrinam s. Thomae, nos in ipso ordine intentionis non praedestinari nisi dependenter a meritis Christi, proptereaque in ordine intentionis Christum esse primum praedestinatorum, ejusque praedestinationem esse in hoc ordine causam nostrae praedestinationis. Oportet ergo ut et propositio in qua s. Doctor suam solutionem fundat, procedat de praedestinatione spectata quoad ipsum ordinem intentionis. Nempe, quando ipse ceu fundamentum suae responsionis adsciscit hanc propositionem : « Sub praedestinatione aeterna non solum cadit id quod est fiendum in tempore, sed etiam modus et ordo secundum quem est fiendum in tempore, » ipse intendit dicere sub ipsam intentionem Dei praedestinantis cadere modum et ordinem quo dona praedestinata fienda sunt in tempore. Nullus ergo hic est locus primo interpretationis modo ad quem adversarii recurrunt. At vero nec secundus interpretationis modus ad quem confugiunt, hic adhiberi potest. Quippe b) propositione in qua loco citato suam conclusionem fundat, a s. Doctore prorsus aequiparari modum et ordinem quo dona Dei exsecutioni mandantur, modo et ordini quo eadem dona Dei cadunt sub praedestinationem divinam, patet ex eo quod alioquin ex propositione illa fundamentali non sequeretur conclusio. Nam ex eo quod Christus in ordine exsecutionis est causa nostrae salutis, nequit vi praedictae propositionis inferri praedestinationem Christi esse causam cur nobis praedestinata sit salus, nisi sensus illius propositionis sit, eodem modo eodemque ordine dona Dei inter se colligari in aeterna Dei praedestinatione, quo modo et quo ordine inter se colligantur in temporali sui exsecutione. Et sic rursum consequitur, secundum s. Doctorem merita, sicuti sunt causa cur in tempore nobis conferatur gloria seorsum sumpta, ita etiam esse causam cur ab aeterno nobis sit praedestinata gloria seorsum sumpta.

225. 3°. In capite 10 Opusculi quod in ordine editionis romanae est secundum quodque hunc titulum praefert « Declaratio quorumdam articulorum contra Graecos, Armenos et Sarracenos, » s. Thomas ad conciliandam aeternam Dei praedestinationem cum libero arbitrio creato, adsciscit hanc propositionem universalem : « Deus sic ordinat res, sicut agit res. » Quae certe ejus propositio intelligenda est procedere de ipsamet ordinatione Dei intentiva ; ut enim salva sit libertas creata, oportet cum ea posse conciliari ordinationem divinam, non solum secundum quod est exsecutiva, sed etiam secundum quod est intentiva. Subsumit autem sub dicta propositione s. Doctor in haec verba : « In actione autem divinae virtutis hoc considerare oportet, quod operatur in omnibus et movet singula ad suos actus secundum modum uniuscujusque, ita quod quaedam ex actione divina ex necessitate suas actiones perficiunt,... quaedam vero contingenter, quae interdum a propria actione deficiunt. » Quorum ejus verborum, in quantum pertinent ad modum quo Deus operatur actiones nostras liberas, hic est manifestus sensus : Propterea actio qua divina virtus agit ad actus nostros, non infert necessitatem hisce actibus, quia motio qua Deus operatur in voluntate humana est per se indifferens ; et quia per consequens, ex tali motione non sequitur effectus nisi dependenter a determinatione libera ipsius voluntatis creatae. Quando ergo sub tali subsumptione ipse ex praejacta propositione generaliter infert : « Sic ergo divina sapientia de rebus ordinat *ut* ordinata proveniant secundum modum propriarum causarum », sensus horum ejus verborum, in quantum pertinent ad modum quo Deus ordinat de actibus humanis, nequit esse nisi talis : Deus non ordinat aliquid de actibus humanis, nisi dependenter a praevisa determinatione liberi arbitrii nostri. Hoc est ergo quod intendit dicere, quando, generalem suam conclusionem ad propositum applicans, ita subinfert : « Sic igitur Deus ordinat *de actibus humanis*, UT actus humani necessitati non subdantur, sed proveniant ex arbitrii libertate. » Et notandum est, sicut s. Doctor loco supra adducto ex III^{a}, q. 24, a. 4, dixerat : « Sic Deus praedestinavit nostram salutem, ab aeterno praedestinando UT per Christum compleretur », ita eodem plane constructionis modo in praesenti

Tertium testimonium.

loco eum dicere : « Sic Deus ordinat de actibus nostris, UT... proveniant ex arbitrii libertate. » Sicut ergo priore illa sua propositione intendebat dicere, propter hoc ipsum quod praedestinatum est ut salus nostra per Christum compleretur, nostram salutem non esse praedestinatam nisi dependenter a Christo, ita et posteriore propositione intendit dicere propter hoc ipsum quod a Deo ordinatum est ut actus nostri proveniant ex arbitrii libertate, actus nostros non esse ordinatos a Deo nisi dependenter a determinatione liberi arbitrii creati.

Ab afferendis aliis rationibus quibus idem adhuc efficacius ostendi posset, consulto hic abstinemus, ne praevertamus quaestionem mox tractandam de modo quo s. Doctor concordat aeternam Dei praedestinationem cum libertate arbitrii creati.

Testimonia s. Thomae evincentia ex ejus mente praescientiam praesupponi praedestinationi.

226. IV. **Necessaria praesuppositio praescientiae ad praedestinationem.** Constanter et multimodis in variis suis scriptis s. Thomas inculcat ad praedestinationem praesupponi praescientiam. Etenim a) in Sent. I, d. 39, q. 2, a. 1, in corp., et in resp. ad 1^m^, asserit de providentia, cujus praedestinatio est pars, eam *addere supra scientiam*, in quantum conceptioni ordinis rerum in finem, quae per se est pure speculativa, addit voluntatem ordinem illum praeconceptum opere exsequendi. Scientia autem illa supra quam ait addere providentiam, quaeque proinde secundum ipsum praesupponitur providentiae, comprehendi praescientiam actuum liberorum, significat ibidem, a. 2, in corp., dicens Deum, *quum praesciret* defectus ex libertate voluntatis creatae contingentes, hosce defectus providentia sua ordinasse. Idemque adhuc magis manifestat, quando in Commento in distinctionem mox sequentem, ex eo quod reprobatio est pars providentiae, infert eam addere supra praescientiam. « Respondeo dicendum, inquit in Sent. I, d. 40, q. 4, a. 1, quod reprobatio *addit supra praescientiam rationem providentiae.* » Et in I^a^, q. 23, a. 3 : « Reprobatio, inquit, non nominat praescientiam tantum, *sed aliquid addit secundum rationem*, *sicut et providentia*, *cujus est pars.* Ceterum b) in Sent. I, d. 41, q. 1, a. 2, jam speciatim loquens de praedestinatione, diserte asserit eam addere supra praescientiam. » Respondeo dicendum, inquit, quod

praedestinatio et electio addunt aliquid supra praescientiam, sicut dispositio et providentia. » Nec ambigi potest quin eo loco hoc quod est « praedestinationem addere supra praescientiam, » sumat tamquam aequipollens ei quod est « ad praedestinationem praesupponi praescientiam. » Ibidem enim ex eo quod praedestinatio addit etiam supra electionem, colligit electionem secundum rationem esse priorem quam praedestinationem. Insuper c) q. 6 de Verit., a. 2, argumentum quod ibi tertio decimo loco inductum fuerat pro sententia ponente praedestinationem esse ex praescientia meritorum, solvit dicendo, praescientiam esse quidem *aliquo modo priorem* quam praedestinationem, non tamen eo modo eam esse priorem quo causa dicitur esse prior. Eodemque modo idem argumentum solvit in Sent. I, d. 41, q. 1, a. 3; concedit enim hoc loco id quod in eo argumento, quod ibi est 3^m^, assumebatur, ad voluntatem scilicet praedestinantem praesupponi praescientiam, sed negat inde sequi conclusionem ab arguente intentam. « Dicendum, inquit, quod praescientia non est causa voluntatis, quia voluntas libera est. *Possum enim illud quod scio, non velle :* ET IDEO RATIO NON PROCEDIT. » Quod vero apertissime propositionem supra a nobis assertam probat, d) in Quodlibeto 11, a. 3, ita pronuntiat s. Doctor : « Respondeo dicendum quod praedestinatio certitudinem habet, et tamen necessitatem non imponit. In praedestinatione enim tria sunt consideranda, *quorum duo praesupponit ipsa praedestinatio*, scilicet *praescientiam Dei et dilectionem, i. e. voluntatem qua vult praedestinatum salvari*, et tertium est ipsa praedestinatio, quae nihil aliud est quam directio in finem quem vult Deus rei dilectae. » Et quidem e) secundum s. Doctorem tam est necessaria praesuppositio praescientiae ad praedestinationem, ut nisi praeiret praescientia, impossibilis esset praedestinatio. Nam in Commento in ep. ad Rom., cap. VIII, lect. 6 : « Dicit autem [Apostolus], inquit : *Quos praescivit, et praedestinavit*, non quod omnes praescitos [Deus] praedestinet, *sed quia eos praedestinare non posset, nisi praesciret.* »

227. Non autem potest poni cum Bannesianis praescientiam illam quam locis citatis magister angelicus docet praesupponi praedestinationi, esse ex ejus mente praescientiam aliquam absolutam, nempe vel praescientiam absolutam

Probatio ostendens praescientiam illam quae praesupponi-

tur praedestinationi esse ex mente s. Thomae praescientiam condicionatam.

ipsius subjecti praedestinandi, uti dixit Thomas de Lemos (in Panoplia gratiae, tom. II, tractatu 3, capp. 7 et 8), vel praescientiam absolutam futurorum, etiam contingentium, non tamen omnium, sed eorum dumtaxat quae pertinent ad ordinem naturae, uti post Cajetanum (in III^{am}, q. 1, a. 3) dixit Gonetus (in Clypeo theologiae thomisticae, tom. II, disp. 2, art. 1, § 6, n. 25). Non potest admitti, inquam, haec Bannesianorum expositio, apertissime enim excluditur verbis quae ponit s. Doctor locis supra citatis. Nam a) in loco supra adducto ex Quodlibeto 11, a. 3, postquam dixerat in praedestinatione esse tria consideranda, quorum duo, quae sunt praescientia et dilectio, praesupponuntur praedestinationi, et tertium est ipsa praedestinatio, aggreditur ostendere nihil istorum praejudicare libero arbitrio creato, hoc suum propositum hisce verbis manifestans : « *Quodlibet* autem *horum trium* certitudinem habet, et tamen necessitatem non imponit. » Prescientiam porro, quae est prima inter haec tria, conciliat cum libertate creata ea ratione quod *omnia futura, tam necessaria quam contingentia*, Deus cognoscit in sua praesentialitate. Ex quibus ejus verbis habetur, praescientiam quam ibi ponit praeire praedestinationi, se extendere ad omnia omnino futura, h. e. ad ea etiam quae sunt ordinis supernaturalis, inter quae sunt praedestinationis effectus. Nec profecto ad scopum ejus, qui loco citato unice erat amoliri a praedestinatione impositionem necessitatis, ullo pacto attinuisset conciliare praescientiam cum libertate, si praescientia de qua ei sermo erat, latitudine sui objecti non comprehendisset ea futura contingentia quae sunt effectus praedestinationis. Insuper b) praescientia quam in q. 6 de Verit., a. 2, ad 13^{m}, et in Com. in lib. Sent. I, d. 41, q. 1, a. 3, ad 3^{m}, s. Doctor asserit esse priorem quam praedestinationem, est ea praescientia quae in argumentis ad quae ibi respondet, defendebatur esse causa praedestinationis ; hac porro praescientia, uti accipitur ex iisdem argumentis, Deus supponebatur praescire tum bona opera quibus aliquis se praeparat ad gratiam, tum bona opera jam informata gratia quibus aliquis meretur gloriam ; ad hujusmodi proinde opera, proindeque ad ea etiam futura libera, quae sunt praedestinationis effectus, se objective extendit secundum s. Doctorem ea praescientia quam ipse asserit esse praedestinatione priorem.

In oppositione itaque ad Bannesianos dicendum est, praescientiam illam quam s. Thomas locis supra citatis docet praesupponi praedestinationi, esse ex ejus mente praescientiam condicionatam omnia decreta voluntatis divinae antevertentem. Et ratio ita dicendi in promptu est : absoluta enim praescientia eorum quae sunt effectus praedestinationis, praedestinationem non antecedit, sed consequitur ; proindeque ea quae sunt effectus praedestinationis, nequeunt antecedenter ad praedestinationem praesciri a Deo nisi sola praescientia condicionata.

Duplex sententia de usu scientiae mediae in negotio praedestinationis.

228. Ut jam inde veniamus ad pressius determinandum statum specialis quaestionis quae de mente s. Thomae in praesentiarum tractanda est, sciendum est, inter auctores qui, rejectis gratiis physice praedeterminantibus Bannesianorum, interventu scientiae mediae explicant vim et efficaciam auxiliorum gratiae, duos obtinere dicendi modos circa necessarium usum praedictae scientiae in negotio praedestinationis. Est videlicet prima sententia asserens praescientiam condicionatam in negotio praedestinationis eo solummodo inservire ut ejus ope Deus suis electis praedestinet gratias ex quibus tamquam intrinsece quidem indifferentibus, extrinsece tamen efficacibus propter praevisum consensum voluntatis creatae, libere simul et infallibiliter sequantur tum actus boni antecedenter a Deo praedefiniti, tum ultimato salus antecedenter a Deo praedestinata. Ita decernunt omnes ii auctores qui, uti Suarez (De praedestinatione et reprobatione, Lib. I, capp. 7 et 13) et Ruiz (in duplici suo opere De providentia divina et De praedestinatione ac reprobatione), una cum doctrina scientiae mediae defendunt doctrinam antecedentis praedestinationis ad gloriam et antecedentis praedefinitionis omnium actuum bonorum. Qui quidem putant se, ponendo Deum non exsequi sua decreta antecedenter praedefinientia nisi ope gratiarum intrinsece indifferentium, in tuto ponere libertatem praedestinatorum in faciendis operibus bonis et in operanda salute. Secunda vero est sententia asserens, usum praescientiae condicionatae in negotio praedestinationis in eo cerni quod Deus — neque praedestinet actus bonos praedestinatorum nisi dependenter a condicionata praevisione liberi concursus praedestinatorum cum iis determinatis gratiis quarum ope hi actus in ordine exsecutionis ab

iisdem elicientur — neque etiam praedestinet salutem praedestinatorum nisi dependenter a condicionata praevisione finalis boni usus totalis seriei earumdem gratiarum eisdem in tempore conferendarum. Quae sententia, uti jam superius declaratum est, eo redit ut asseratur, Deum eo animo suis electis praeparasse gratias ut, quantum est praecise ex parte ipsius, easdem illas gratias quas modo ipsis dat, eis elargiturus fuisset, etiamsi condicionate praenovisset hasce gratias non habituras esse eum exitum quem revera modo sortiuntur. Nam si sub tali condicionata praevisione Deus, quantum est praecise ex parte ipsius, alias suis electis gratias providisset; ergo non dependenter a condicionata praevisione concursus electorum cum gratiis quas modo eis dat, Deus eorum bona opera et eorum salutem praedestinavit. Atque hinc est quod ab auctoribus praedictae sententiae consequenter asseritur, esse in potestate cujusque hominis adulti gratia divina praeventi efficere ut voluntas dandi gratias quam respectu ipsius Deus ab aeterno concepit, habeat rationem praedestinationis potius quam rationem communis providentiae supernaturalis.

Testimonia ostendentia secundum s. Thomam bona opera et salutem praedestinari dependenter a condicionata praescientia concursus liberi arbitrii creati cum iis gratiis quae in tempore ei a Deo conferentur. Primum testimonium.

229. Jam ostendendum est s. Thomam sentire cum auctoribus hujus posterioris sententiae; ab eo videlicet rationem necessariae praesupponitionis praescientiae ad praedestinationem in eo reponi quod Deus neque bona opera neque salutem electorum praedestinat nisi dependenter a condicionate praeviso bono usu sive concomitante sive antecedente earum gratiarum quae in ordine exsecutionis revera dantur electis.

230. 1°. In q. 6 de Verit., a. 3, contra conclusionem quam ibi stabilire intendit, quae est « praedestinationem habere certitudinem, » s. Doctor inducit hoc argumentum, quod ibi est 6^{m} : « Praeterea secundum Anselmum (in dialogo de Veritate, cap. 11) eadem est veritas praedestinationis et propositionis de futuro. Sed propositio de futuro non habet certam et determinatam veritatem, sed variari potest, ut patet per Philosophum in lib. Periherm. (cap. ult.) et in II de Generat., ubi dicit, quod futurus quis incedere, non incedet. Ergo nec veritas praedestinationis certitudinem habet. » Responsio ejus est : « Ad sextum dicendum quod similitudo Anselmi quantum ad hoc tenet, quod sicut veritas propositionis de futuro non aufert futurorum contingentiam, ita nec

veritas praedestinationis; sed differt quantum ad hoc, quod propositio de futuro non respicit futurum nisi ut futurum est, et hoc modo non potest habere certitudinem; *sed veritas praedestinationis et praescientiae respicit futurum ut est praesens, ut in quaest. de scientia Dei* (quaest. 2, a. 12) dictum est; ET IDEO CERTITUDINEM HABET. »

Duo observanda circa testimonium allatum.

231. Duo circa hoc testimonium observanda veniunt. *Primum* est, in eo agi de certitudine quae competit praedestinationi respectu eorum ipsius effectuum qui sunt contingentes, cujusmodi effectus sunt et actus salutares et ipsa salus et ea etiam gratiae beneficia quae in tempore non conferuntur praedestinatis nisi dependenter a bono usu libertatis eorum dem. Rationes ita dicendi sunt — tum a) quod in argumento ad quod respondet s. Doctor, certitudo praedestinationis eo nomine impugnabatur quod propositio de futuro non habet determinatam veritatem, tali autem nomine non valet impugnari certitudo praedestinationis, nisi secundum quod praedestinatio consideratur respectu eorum ipsius effectuum qui sunt contingentes, quandoquidem solummodo de propositionibus quae versantur circa futura contingentia, verum est dicere eas, in quantum sunt de futuris consideratis in formali ratione futurorum, non habere veritatem determinatam — tum b) quod in sua responsione diserte significat s. Doctor se loqui de iis propositionibus in praedestinatione fundatis quarum veritas stat cum contingentia futurorum circa quae versantur. *Alterum* eorum quae hic observanda veniunt, est, non posse praedestinationem respicere futura contingentia, ut praesentia, nisi secundum quod eam praecedit praescientia condicionata, voluntati Dei praedestinanti ostendens futura haec contingentia, prouti sunt in sua praesentialitate. Quod quidem in sua solutione significat s. Doctor, non de sola praedestinatione, sed simul etiam de praescientia affirmando per eam non respici futura, ut sunt futura, sed ut sunt praesentia. Non enim alia potest esse ratio cur, agendo de certitudine praedestinationis, etiam de praescientia hoc ibi affirmet, nisi haec tantummodo quod praedestinatio non respicit futura, ut sunt praesentia, nisi mediante praescientia. Hucque revera spectare ejus mentem, quum ita respondet, clarius adhuc patet ex Sent. I, d. 40, q. 3, ad 4^{m}, ubi eamdem difficultatem tractando, eam non aliter solvit quam

dicendo « futurum contingens, ut est motus liberi arbitrii, quamvis non sit determinatum in causa sua, *esse tamen determinatum in esse suo, secundum quod est actu*, ET SIC ILLUD SUBJACERE CERTITUDINI PRAESCIENTIAE. » Sane, si ibi non intendisset asserere, ipsam praedestinationem, praelucente praescientia, ferri supra contingentia, prouti habent esse determinatum in seipsis, ne attigisset quidem difficultatem quam sibi ibi objecerat, quae erat de certitudine praedestinationis. Nam quod praescientia aliqua praedestinationem consequens trahit suam certitudinem ex eo quod ei subjacent contingentia, prouti sunt in seipsis, hoc neutiquam ostendit ipsam praedestinationem certitudinem habere, nisi supponatur consequentem illam praescientiam vi praedestinationis ex condicionata evasisse absolutam, et sic in priori aliquo rationis instanti, in quo erat adhuc mere condicionata, eam praeluxisse voluntati divinae decretum suum praedestinativum efformanti.

Porro, suppositis duobus praedictis, manifeste sequitur conclusio quam circa mentem s. Doctoris hic stabilire intendimus. Ea enim futura contingentia, quae sunt effectus praedestinationis, non sunt in sua praesentialitate, sive, ut alibi loquitur s. Doctor, ea non sunt in esse suo omnino actuali et determinato, nisi dependenter a libero concursu hominis praedestinati cum iis determinatis gratiis quae sub talibus vel talibus determinatis circumstantiis homini praedestinato revera in tempore dantur; proindeque dicere id quod loco citato s. Doctor affirmat, Deum praedestinando ferri voluntate sua super effectus contingentes praedestinationis, prouti sunt in sua praesentialitate, idem est atque dicere Deum non praedestinare tales effectus, puta actus salutares et ipsam salutem, nisi dependenter a condicionata praevisione liberi concursus hominis praedestinati cum iis determinatis gratiis quae revera ei homini in tempore conferentur. Et confirmatur haec conclusio ex eo quod in I^{a}, q. 19, a. 6, ad 1^{m}, et in Sent. I, d. 47, a. 1, s. Doctor hoc quod est Deum voluntate sua absoluta ferri supra res, prouti sunt in seipsis, explicat dicendo, Deum non ferri supra tales res, nisi consideratis omnibus circumstantiis illius subjecti cui res est absolute volita a Deo. Inde enim est consequens Deum non velle voluntate sua praedestinante effectum ali-

quem contingentem nisi dependenter a condicionata praevisione concursus liberi arbitrii cum determinatis illis gratiis ex quibus proveniet ille effectus ; talis enim concursus apprime numerandus est inter circumstantias personae cujus est actus salutaris a Deo volitus vel quod est subjectum salutis a Deo volitae:

Objectio Suarezianorum.

232. Oppones : Etiam in sententia Suarezii asserentis Deum antecedenti praedefinitione praedestinare et salutem et omnes actus bonos praedestinatorum, verum est dicere Deum sua voluntate praedestinante ferri super effectus contingentes, prouti sunt in sua praesentialitate. Ponit enim Suarezius Deum non praedefinire effectum aliquem contingentem praedestinationis, nisi prius ratione praescientia sua condicionata sciat sibi non deesse media contingentia quorum ope effectum praedefinitum in tempore exsequi possit. Non ergo ex eo quod s. Doctor loco citato docet, praedestinationem divinam respicere contingentia ut praesentia, efficaciter concludi potest ex ejus mente aliquem effectum contingenter a libero arbitrio procedentem non praedestinari a Deo, nisi dependenter a praeviso concursu liberi arbitrii cum iis gratiis determinatis quae ad producendum praedictum effectum homini praedestinato revera in tempore conferentur.

Ejus solutio.

233. Respondetur, in sententia Suarezii verificari quidem antecedentes praedefinitiones divinas trahere suam certitudinem ex praescientia condicionata praecedente, non tamen in ea verificari id quod loco citato dicit s. Doctor, Deum scilicet voluntate sua praedestinante ferri super effectus contingentes praedestinationis, prouti sunt in seipsis. Propter hoc ipsum enim quod Suarezius ponit effectus contingentes praedestinationis antecedenter praedefiniri a Deo, ipse ponit hosce effectus cadere sub praedestinationem divinam modo quodam abstracto, h. e. in praecisione ab omnibus circumstantiis dependenter a quibus hi effectus ponuntur in esse suo actuali, hoc autem ponere idem est atque ponere hosce effectus non subjacere praedestinationi divinae, prouti sunt in sua praesentialitate.

Instantia contra solutionem modo assignatam.

234. Instabis dicendo, ex Sent. I, d. 40, q. 3, responsione ad 4^{m}, collata cum argumento quod ibi intenditur solvi, apertissime elucescere futura contingentia non posse respici

a voluntate alicujus nisi dupliciter, scilicet — vel a) prouti sunt in causis suis, vel b) prouti habent esse actuale in seipsis. Non autem posse dici, ex sententia Suarezii esse consequens futura contingentia respici a voluntate divina secundum quod praecontinentur in causis suis — tum quia a) futura contingentia, prouti sunt in causis suis, non habent determinatam veritatem et quia, per consequens, si ea futura tali modo respicerentur a praedestinatione divina, praedestinatio divina non esset certa, talis autem consequentia non verificatur in sententia Suarezii, uti supra concessum est — tum, b), et in idem redit. quia futura quae habent certitudinem in causis suis, non sunt contingentia, sed necessaria, in sententia autem Suarezii ponentis Deum non exsequi sua decreta antecedenter praedefinientia nisi ope scientiae mediae et sic per media intrinsece indifferentia, omnino verificatur eos effectus praedestinationis qui sunt actus boni et salus aeterna, non esse necessarios, sed contingentes. Stat ergo in sententia Suarezii salvari id quod s. Thomas docet de modo quo praedestinatio divina fertur super eos effectus praedestinationis qui in ordine exsecutionis dependent a libertate humana, proindeque ex tali doctrina s. Doctoris concludi non posse, Deum secundum ipsum non praedestinare effectus contingentes praedestinationis nisi dependenter a concursu liberi arbitrii creati condicionate praeviso.

Ejus repulsio. **235**. Respondetur, non valere argumentum, quia, licet vera sit Major, falsa tamen est Minor. Scilicet, stante sententia Suarezii, oportet consequenter asserere Deum voluntate sua praedestinante ferri super actus salutares et super ipsam salutem, secundum quod habent determinatam veritatem in causa sua. Ideoque in praedicta sententia salvatur quidem certitudo praedestinationis, at in ea non salvatur contingentia eorum effectuum praedestinationis qui in ordine exsecutionis dependent a concursu voluntatis creatae. Frustraque ad hujus oppositum ostendendum fit vis in eo quod Suarezius et qui cum eo sentiunt, non excludunt usum scientiae mediae quodque proinde secundum hos auctores Deus non exsequitur decreta sua praedefinientia nisi praedestinando gratias intrinsece indifferentes. Quod ut percipiatur, considerandum est posse quidem voluntatem creatam, eo quod se habet ad opposita, omni omnino auxilio divino

singillatim et determinate sumpto resistere; quia tamen voluntas creata ita se habet ad opposita ut sit contingens, et ut sic de bono in malum et de malo in bonum sit mutabilis, non est ei possibile omnibus omnino auxiliis gratiae divinae, etiamsi supponantur usque variari et multiplicari et augeri, sine fine resistere. Quare inter infinitas gratiarum series quibus auxiliari potest Deus voluntati creatae ad hoc ut haec capax evadat eliciendi talem vel talem actum salutarem, sunt series quaedam gratiarum de quibus non tantum propter eventum sub condicione futurum, sed etiam propter contingentem naturam voluntatis creatae verum est dicere esse in eis gratias, non quidem determinate has et illas, sed indeterminate aliquas, quibus voluntas creata certo sit consensura. Jam vero Deus voluntate sua praedestinante, si, uti ponit Suarezius, ea sit antecedenter praedefiniens, fertur super actus salutares et super salutem, prouti propter contingentem naturam voluntatis creatae certo secuturae sunt ex gratiis non determinate his et illis, sed indeterminate aliquibus. Ideoque, stante praedicta positione, eo solummodo inservit scientia media ut Deus eligere possit determinatas gratias quibus antecedentia sua decreta exsequatur. Adeo ut in sententia Suarezii id quod pendet a libero usu voluntatis creatae non sint ipsi actus salutares ipsaque salus aeterna quoad suam substantiam considerati, sed sit solummodo modus quo efficiuntur actus salutares et quo pervenitur ad salutem. Scilicet in ea sententia id solummodo in libera potestate cujusque praedestinati positum est, ut non per eas gratias quae revera ei in tempore dantur, sed per alias gratias operetur opera bona et perveniat ad salutem. Nec propter aliam causam libertas creata quantum ad hoc salvatur in modo dicendi Suarezii, nisi propter hanc quod a Suarezio ponitur Deum nullam gratiam determinatam praedestinare electis nisi dependenter ab eorum cum hac gratia concursu condicionate praeviso. Asserit nimirum Suarez idque consequenter ad ea quae statuit de modo quo Deus praedestinat actus bonos et salutem electorum, Deum, si scientia sua media praescivisset gratias quae modo dantur electis, futuras esse inefficaces, non easdem hasce gratias, sed alias eis praedestinaturum fuisse, tales videlicet quas praevidisset cum effectu praedefinito conjunctum iri.

Alia instantia. **236**. ADHUC INSTABIS dicendo, nos, tali responsione utendo, pro doctrina s. Thomae afferre propria nostra ratiocinamenta.

Ejus repulsio. **237**. RESPONDETUR, doctrinam quam solutione modo data exhibuimus, non quidem diserte tradi a s. Thoma, eam tamen necessario esse consertam cum modo quo s. Doctor conciliat certitudinem praedestinationis cum contingentia effectuum praedestinationis. Ceterum ea doctrina aequivalenter ab eo traditur pluribus suorum operum locis, ubi agit de ratione propter quam ad providentiam Dei pertinet permittere peccata hominum. Hanc videlicet rationem principaliter repetit ex eo quod, si non permitterentur defectus ex voluntate humana contingentes, tolleretur ab homine propria conditio suae naturae, quae in libertate consistit. Sic in Sent. I, d. 39, q. 2, a. 2, in corp. « Ex conditione sua [h. e. ex conditione naturae intellectualis] sequitur, inquit, quod rectum ordinem tenere possit, tendendo in finem, et etiam deficere. *Si autem inevitabiliter in finem tenderet, per divinam providentiam tolleretur sibi conditio suae naturae*,... et ideo taliter a Deo instituta est ut etiam deficere posset, ita tamen quod in potestate ejus esset deficere vel non deficere, quod non erat in defectu naturalis principii. *Et istos defectus voluntatis contingentes praeter intentionem providentiae, praescivit Deus et ordinavit eos in bonum.* » Et ne dubites esse de mente s. Doctoris ita loquentis asserere, permissionem ut voluntas humana deficiat a bono, requiri ex parte providentiae divinae ad hoc ut voluntas humana non inevitabiliter tendat in bonum, sed libere possit eligere inter bonum et malum, in hunc sensum ipse sua verba explicat ibid., in resp. ad 1^{m} : « Dicendum, inquit, quod providentiae divinae est dirigere unumquemque in finem et subtrahere impedimenta, *salvata tamen natura in finem directa*, ex cujus conditione defectibili mala contingunt, et non ex divina intentione, quae ipsa mala in bonum ordinat. » Eamdem rationem permissionis malorum culpae assignat Angelicus in Sent. II, d. 23, q. 1, a. 2 : « Si aliqua natura, inquit, *a suo gradu translata*, in altiorem per providentiam mutaretur, quamvis aliquid bonum illi naturae adcresceret, tamen bonitati universi aliquid detraheretur, dum non omnes gradus bonitatis impleti essent,

illo gradu ex quo natura illa translata erat, vacuo remanente. *Dico ergo quod si peccatum omnino impediretur,... tolleretur natura illa quae potest peccare et non peccare.* » Et ibid., in resp. ad 3^{m} : « Dicendum, inquit, quod *sapientis est removere hoc modo impedimentum quod natura non tollatur, quod non fieret, si hominem vel angelum in peccatum cadere non permitteret, quamdiu est in statu viae.* » Denique ad eamdem rationem explicandi permissionem peccati recurrit s. Doctor in Summa theologica, quod est ultimum ejus opus. Ibi enim, in 2^{a} II^{ae}, q. 65, a. 1, ad 2^{m} : « Dicendum, inquit, quod sicut Deus sciebat quod homo per tentationem in peccatum esset dejiciendus, ita etiam sciebat quod per liberum arbitrium resistere poterat tentatori. *Hoc autem requirebat conditio naturae ipsius ut propriae voluntati relinqueretur.* » Jamvero praedicta ratio permissionis malorum culpae male assignata esset a s. Doctore, si vera esset sententia asserens, cum antecedenti praedefinitione actuum bonorum et salutis stare posse liberam electionem hominis inter bonum antecedenter praedefinitum et malum huic bono oppositum. Supposita enim veritate hujus sententiae, oporteret diceret potuisse Deum antecedentibus suis praedefinitionibus statuere ut homines non operarentur nisi bonum utque nulli prorsus tentationi succumberent utque sic omnes salvarentur, nec tamen exinde secuturum fuisse ut tolleretur ab homine propria conditio suae naturae, quae in libertate eligendi inter bonum et malum consistit. Doctrina ergo quam tradit de ratione permissionis malorum culpae, aequivalenter s. Doctor asserit antecedentem praedefinitionem actuum bonorum et salutis consistere non posse cum libertate eligendi inter bonum et malum, quam homini, attenta conditione naturae ipsius, asservari oportet. Sive, quod idem est, ipse tali sua doctrina aequivalenter asserit, fore ut Deus suis decretis, si haec essent antecedenter praedefinientia, ferretur super actus bonos et super salutem hominis, secundum quod habent determinatam veritatem in causa sua eo modo quo id in responsione supra data explicatum est.

238. 2° In III^{a}, q. 1, a. 3, contra conclusionem quam ibi veluti convenientiorem defendit, nempe « incarnationis opus ordinatum esse a Deo in remedium contra peccatum, ita

Secundum testimonium.

quod, peccato non existente, incarnatio non fuisset, » doctor Angelicus proponit sub numero 4 hoc argumentum : « Praedestinatio Dei est aeterna. Sed dicitur Rom. I de Christo : *Qui praedestinatus est Filius Dei in virtute*; ergo etiam ante peccatum necessarium erat Filium Dei incarnari ad hoc quod Dei praedestinatio impleretur. » Solvit porro argumentum hoc modo : « Ad quartum dicendum quod praedestinatio praesupponit praescientiam futurorum ; et ideo, sicut Deus praedestinat salutem alicujus hominis per orationes aliorum implendam, ita etiam praedestinavit opus incarnationis in remedium humani peccati. »

Ex hoc loco manifestissimum redditur quid ex mente s. Doctoris sibi velit haec toties et tam diversis modis ab eo inculcata propositio : « Praedestinatio praesupponit praescientiam futurorum. » Quia praedestinatio praesupponit praescientiam futurorum, ideo, inquit, Deus praedestinavit opus incarnationis in remedium humani peccati. Falsa est proculdubio a) haec propositio ab eo asserta, quae causalis est, nisi propositione quae in ea fungitur munere antecedentis, intendatur universaliter asseri, si qui praedestinationis effectus non impleatur in tempore nisi dependenter a libero arbitrio creato vel merente, vel concurrente, vel qualitercumque occasionante, talem effectum etiam in aeternitate non praedestinari nisi dependenter a praevisione ejusdem liberi arbitrii creati vel merentis, vel concurrentis, vel qualitercumque occasionantis. Et hoc patet ; quod enim in consequente praedictae propositionis causalis ex ejusdem propositionis antecedente infertur, illud est, incarnationem non esse praedestinatam nisi dependenter a praevisione peccati originalis, tamquam remedium ipsius. Hoc autem non potest ex antecedente praedictae propositionis causalis inferri nisi in eo antecedente agatur de dependentia quam habent effectus praedestinationis, *prouti sunt praedestinati*, a praevisione eorum dependenter a quibus in tempore fiunt. Accedit b) quod in praedicta propositione causali consequens ex antecedente infertur comparative ; qualis videlicet sit habitudo quam vi propositionis antecedentis incarnatio, ut est praedestinata, habeat ad praevisionem peccati originalis, magister angelicus in consequente illius propositionis causalis illustrat ex habitudine quam salus alicujus hominis, ut est praedestinata, habet

ad praevisionem orationum per quas in tempore ejus salus impletur. « Ideo, inquit [h. e. quia praedestinatio praesupponit praescientiam futurorum], sicut Deus praedestinavit salutem alicujus hominis per orationes aliorum implendam, ita etiam praedestinavit opus incarnationis in remedium humani peccati. » Inde porro rursum evidentissime colligitur propositum. Attento enim sensu quem verba quae ponit s. Doctor in secundo membro consequentis prae se ferunt quemque ejus intentum omnino exigit, non procedit comparatio ab eo in consequente instituta neque ulla in eo consequente fit illustratio unius ex alio, nisi eodem consequente, in quantum est comparativum, intendatur dici, sicuti salus alicujus hominis non praedestinatur nisi dependenter a praevisione orationum per quas in tempore impletur, ita etiam opus incarnationis non esse praedestinatum nisi dependenter a praevisione peccati originalis. Quia ergo comparatio quae in consequente instituitur, non tenet nisi vi antecedentis, manifestum est hac propositione, quae in propositione causali a s. Doctore asserta, est antecedens : « Praedestinatio praesupponit praescientiam futurorum », universaliter affirmari, eos effectus praedestinationis qui in tempore non implentur nisi dependenter ab exercitio libertatis creatae, etiam in aeternitate divina non praedestinari nisi dependenter a praeviso exercitio libertatis creatae. Et confirmatur c) ratio proxime adducta ex modo quo loquitur s. Doctor de praedestinatione salutis hominum in III[a], q. 24, a. 4, ita ibi decernendo : « Sic Deus praedestinavit nostram salutem, ab aeterno praedestinando *ut per Jesum Christum compleretur*. Ubi manifestum est ab eo intendi dici nostram salutem esse praedestinatam dependenter a praevisione Jesu Christi, h. e. dependenter a praevisione redemptionis a Jesu Christo factae ; illud quippe ibi agebat ut ostenderet « praedestinationem Christi esse causam nostrae praedestinationis. » Ergo, quando simili prorsus usus modo loquendi, in loco, de quo modo est quaestio, asserit, « Deum praedestinasse salutem alicujus hominis *per orationes aliorum implendam* », itidem intendit dicere, salutem alicujus hominis esse praedestinatam dependenter a praevisione orationum per quas in tempore impletur. Tandem d) plenissime confirmatur interpretatio hactenus tradita ex loco omnino

parallelo qui legitur in Commento s. Doctoris in Epist. primam ad Timotheum, cap. 1, lect. 4. Ibi enarrans haec Apostoli verba : « Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere », tale proponit dubium : « Sed si nullus fuisset peccator, numquid incarnatus non fuisset? Videtur quod non : quia venit peccatores salvos facere. Non ergo fuisset necessaria incarnatio. Item Glossa : Tolle morbum, et medicina non opus erit. » Respondet autem : « Dicendum est quod ex verbis sanctorum satis hoc patet. Sed haec quaestio non est magnae utilitatis : *quia Deus ordinavit fienda secundum quod res fiendae erunt.* Et nescimus quid ordinasset, *si non praescivisset peccatum.* Nihilominus tamen auctoritates videntur expresse sonare quod non fuisset incarnatus, si non peccasset homo, in quam partem ego magis inclino. » Duo hic decernit s. Doctor. *Primum* est vi praesentis decreti incarnationem Verbi non esse decretam nisi dependenter a praevisione peccati originalis. *Secundum est*, longe quidem probabilius esse Deum incarnationem non fuisse decreturum, si homo non peccasset, hoc tamen certo sciri non posse, quia nescimus quid Deus ordinasset, si non praevidisset peccatum. Ubi intendit dicere nos nescire quid consequenter ad praevisam hominis in justitia perseverantiam Deus ordinaturus fuisset ; non enim potest ibi agi de decreto antecedente omnem praevisionem exercitii libertatis humanae : quia quaestio de tali decreto non potest procedere dependenter ab hac condicione : si homo non peccasset. Porro utrumque praedictorum probat s. Doctor, recurrendo ad hoc principium : « Deus ordinavit fienda secundum quod res fiendae erunt. » Quae probatio non tenet, nisi sensus principii quo nititur, talis sit : Quae non fiunt a Deo nisi dependenter ab exercitio libertatis creatae, etiam non ordinantur a Deo nisi dependenter a praeviso exercitio ejusdem libertatis humanae. Hoc est ergo quod s. Doctor intendit dicere, quando in loco prius a nobis adducto, eamdem defendens sententiam de incarnationis causa, hoc adsciscit principium : « Praedestinatio praesupponit praescientiam futurorum. »

Tertium testimonium.

239. 3° In Sent. I, d. 41, q. 1, a. 4, tractans quaestionem : « Utrum praedestinatio juvetur aliquo opere humano, » inducit doctor angelicus sub numero secundo hoc

argumentum : « Illud, quo posito vel remoto, nihilominus manet effectus, non videtur juvare ad consecutionem effectus. Sed ex quo praedestinatio ponitur esse alicujus, sive aliquis oret pro eo, sive non oret, salvabitur : quia praedestinatio irrita esse non potest. Ergo videtur quod omnino non juvet ad salutem ejus. » Responsio est : « Ad secundum dicendum quod in argumento supponitur falsum. Si enim Stephanus pro persecutoribus non orasset, *forte Paulus salvus non fuisset;* sicut si aliquis non faceret opera meritoria, non acciperet coronam quae praedestinata est sibi. Nec tamen praedestinatio frustrari potest, *quia praescitum est a Deo quod iste tali causa et tali ordine salvabitur*. Unde, sicut est incompossibile praedestinationi quod iste non salvetur, ita est etiam sibi incompossibile quod non fuerit oratum pro eo, quamvis utrumque in se sit possibile non esse. »

Ex hoc etiam testimonio evidentissime elucescit quaenam sit mens S. Doctoris de ordine quem habet praedestinatio salutis ad praescientiam operum quibus in tempore comparatur salus. In argumento enim ad quod ibi respondet, distinguenda sunt duo, scilicet suppositio ex qua procedit argumentum, et ratio cui ea suppositio nititur. *Suppositio* est, ex quo ponitur aliquem praedestinatum esse, necesse esse eum salvari, sive pro eo oretur, sive pro eo non oretur. *Ratio cui nititur suppositio*, est immobilis certitudo praedestinationis, quae eo ipso, quod est, irrita esse non potest. Jamvero respondet s. Doctor suppositionem ex qua procedit argumentum, esse falsam; quare in directa ad eam oppositione asserit, si Stephanus pro suis persecutoribus non orasset, forte futurum fuisse ut Paulus non salvaretur. Quo ejus asserto, uti manifestum est, ponitur a) certitudinem salutis praedestinati pendere ab iis operibus quibus in tempore praedestinatus ad salutem perducitur. Esset autem haec ejus positio falsa, suppositio vero quae per eam excludi intenditur, esset vera, si, uti decernunt adversarii, praedestinatio ad gloriam seorsum sumptam esset simpliciter antecedens, h. e. talis quae fiat independenter a praevisione operum quibus in tempore aliquis consequitur salutem. Et hoc patet : quod enim est prius, id, in quantum est prius, nequit pendere ab eo quod est posterius; jam vero in sententia ponente praedestinationem gloriae per se

sumptae esse antecedentem, certitudo salutis est prior, certitudo vero operum quibus pervenitur ad salutem, est posterior : in eo enim rationis instanti in quo praedestinatur salus, certa est salus, quia praedestinatio est infrustrabilis, nondum vero in eo rationis instanti, si stet sententia adversariorum, certa sunt opera quibus in tempore comparatur salus, quia juxta adversarios nondum Deus in eo rationis instanti decrevit quibusnam mediis ei cujus salutem praedestinavit, adminiculaturus sit ad salutem. Responsione ergo sua significat s. Doctor bona opera sive propria sive aliorum esse ex parte effectus rationem cur nobis praedestinetur gloria seorsum sumpta. Et re quidem vera b) non aliter ipse suum assertum adstruit et rationem cui nitebatur suppositio huic suo asserto contradictorie opposita, destruit, quam dicendo propterea praedestinationem frustrari non posse sive habere immobilem certitudinem, « quia praescitum est a Deo quod iste tali causa et tali ordine salvabitur. » Quibus suis verbis jam diserte affirmat praedestinationem salutis fieri dependenter a praevisione operum quibus in tempore aliquis consequitur salutem. Quippe, uti modo dictum est, praedestinatio salutis certitudinem habet in eo ipso rationis instanti in quo praedestinatur salus ; quare non potest praedestinatio salutis inniti quoad suam certitudinem praescientiae eorum operum quibus in tempore pervenitur ad salutem, nisi dependentur a praevisione eorumdem operum salus ab aeterno praedestinetur. Rursum ergo concludendum est, propterea secundum s. Doctorem praedestinationi praesupponi praescientiam futurorum, quia quae Dei beneficia non conferuntur in tempore nisi dependenter a bono usu liberi arbitrii creati, ea etiam in aeternitate non praedestinantur nisi dependenter a praevisione ejusdem boni usus liberi arbitrii creati.

Objectio Bannesianorum.

240. *Sed contra interpretationem modo allatam insurgunt Bannesiani, dicentes* eam apertissimae falsitatis convinci ex omnibus locis ubi, sicut in ipso corpore illius articuli ubi habentur verba proxime citata, s. Thomas tractat quaestionem de modo quo praedestinatio juvatur orationibus sanctorum. Adducuntque huc speciatim solutionem hujus quaestionis quam tradit s. Doctor in q. 6 de Verit., a. 6, et in I^{a}, q. 23, a. 8. Priore loco ita perhibet : « Respondeo dicendum

quod praedestinationem juvari precibus sanctorum, dupliciter potest intelligi. Videlicet uno modo, quod orationes sanctorum juvent ad hoc quod aliquis praedestinetur, et hoc non potest esse verum neque de orationibus secundum quod in propria natura existunt, quia temporales sunt, praedestinatio autem aeterna; neque etiam secundum quod existunt in praescientia Dei, quia praescientia meritorum vel propriorum vel aliorum non est causa praedestinationis, ut supra (art. 2 hujus quaestionis) dictum est. Alio modo potest intelligi praedestinationem precibus sanctorum posse juvari, quod oratio juvet ad consequendum praedestinationis effectum, sicut aliquis juvatur instrumento quo suum opus perficit; et sic est inquisitio de hac quaestione ab omnibus qui Dei providentiam circa res humanas posuerunt, sed diversimode est ab eis determinatum. » Altero vero loco ejus solutio est talis : « Et ideo aliter dicendum, quod in praedestinatione divina duo sunt consideranda, scilicet *ipsa praedestinatio divina et effectus ejus*. Quantum igitur ad primum, nullo modo praedestinatio juvatur precibus sanctorum. Non enim precibus sanctorum fit quod aliquis praedestinetur. Quantum vero ad secundum, dicitur praedestinatio juvari precibus sanctorum et aliis bonis operibus. »

Inde ita arguunt adversarii : Ille asserit praedestinationem qualiscumque effectus praedestinationis esse simpliciter antecedentem, qui asserit neque orationes sanctorum neque alia bona opera posse esse in causa cur aliquis effectus cadat sub praedestinationem. Sed hoc posterius utroque loco proxime citato asserit s. Doctor. Ergo. *Probatio assumpti.* Etenim a) praedestinatio simpliciter et sine addito aliquo restringente usurpata supponit tam pro praedestinatione terminative spectata quam pro praedestinatione entitative spectata; proindeque effectus praedestinationis, prouti distinguitur contra praedestinationem simpliciter acceptam, nequit stare pro effectu praedestinationis, prouti cadit sub praedestinationem, quia sic unum distinctionis membrum in suo intellectu includeret alterum; in praedicta ergo distinctione effectus praedestinationis supponit tantummodo pro effectu, prouti est in ipsa exsecutione; quando igitur S. Thomas verbis citatis asserit precibus sanctorum vel aliis bonis operibus non juvari ipsam praedesti-

nationem, sed ejus effectum tantummodo, ipse intendit asserere, orationes sanctorum vel alia bona opera non posse esse in causa cur aliquis effectus sub praedestinationem cadat. Et re quidem vera b) praedestinationem quoad ipsam praedestinationem sive quoad ipsam praeordinationem non posse juvari precibus sanctorum vel aliis bonis operibus, ex eo probat s. Doctor quod in quaestione de causa praedestinationis ostensum fuerat praescientiam bonorum operum vel propriorum vel aliorum non esse praedestinationis causam; sed talis ratio procedit de praedestinatione terminative sumpta; de praedestinatione enim ita accepta procedit quaestio de causa praedestinationis ad quam in sua probatione remittit s. Doctor; quia ergo, uti dictum est, in intellectu praedestinationis terminative sumptae includitur effectus praedestinationis tamquam cadens sub ipsam, et quia, per consequens, contra praedestinationem terminative sumptam nequit distingui effectus praedestinationis nisi secundum quod est in exsecutione, rursum concludendum est a. s Doctore solutione quam affert locis citatis, significari nihil se tenens ex parte libertatis creatae posse esse in causa cur aliquis praedestinationis effectus cadat sub ipsam praedestinationem.

Ejus solutio. **241**. Respondetur, sensum ad quem trahunt adversarii doctrinam a. s. Thoma in duobus testimoniis proxime allegatis stabilitam, repugnare et claro intellectui verborum quae ibi ponit s. Doctor, et contextui in quo haec ejus verba comparent, et rationi in qua inibi fundat secundam suae responsionis partem, et iis quae alibi perhibet de sensu distinctionis juxta quam procedit bimembris ejus responsio. Etenim a) utroque loco citato asserit s. Doctor, preces sanctorum et alia bona opera, eo quod conferunt ad consequendum effectum praedestinationis, aliquo modo juvare praedestinationem. Sed hoc ejus assertum esset falsum, si preces sanctorum et alia bona opera juvarent quidem ad hoc ut effectus praedestinationis exsecutioni mandetur, non tamen juvarent etiam ad hoc ut ille effectus sub praedestinationem cadat; sic enim exsecutio quidem praedestinationis, non vero praedestinatio precibus sanctorum vel aliis hujusmodi aliquo modo juvaretur. Insuper b) in posteriore testimonio ab adversariis allegato diserte asserit s. Doctor haec duo quae

ibi inter se distinguit, praeordinationem videlicet divinam et effectum ejus, inveniri *in praedestinatione*. Idemque asserit in q. 6 de Verit., a. 2, ad quem locum remittit in priore testimonio pro intellectu distinctionis ibi a se assignatae. « *In praedestinatione*, inquit, *duo est considerare*, scilicet ipsam praedestinationem aeternam et effectum ejus temporalem duplicem. » Sed effectus qui invenitur in praedestinatione et qui ibi est considerandus, est effectus prouti cadit sub praedestinationem et terminat eam. Quando ergo jam deinceps utroque loco citato s. Doctor dicit preces sanctorum et alia bona opera valere ad consequendum praedestinationis effectum, de mente ejus est asserere haec omnia non solum valere ad hoc ut effectus praedestinationis in propria sua natura exsistat, sed etiam ad hoc ut effectus ille sub praedestinationem cadat. Praeterea c) postquam in q. 6 de Verit., a. 6, unde excerpta sunt verba in priore testimonio allegata, s. Doctor dixerat, quaestionem quam ibi tractat, non procedere de juvamine praestito ipsi praedestinationi, sed de juvamine praestito praedestinationis effectui, ipse ante propriam suam solutionem affert duas alias solutiones quae quaestioni praedicto modo intellectae a diversis sunt appositae. Harum porro solutionum ea quae ab eo secundo loco recitatur, ponebat « sacrificia et orationes valere, *quia per hujusmodi mutatur praeordinatio* eorum ad quos pertinet disponere de actibus humanis. » Ex quo manifestissimum redditur quaestione qua ab ipso quaeritur utrum precibus sanctorum praedestinatio juvari possit, illud revera quaeri, utrum preces sanctorum juvare possint ad hoc ut effectus aliquis sub praedestinationem cadat. Quando ergo propriam suam solutionem ipse proponit tamquam mediam inter praedictam positionem et positionem eorum qui dicebant « orationem vel sacrificium vel hujusmodi in nullo prodesse posse », intendit dicere preces sanctorum posse quidem conferre ad hoc ut effectus aliquis respiciatur a praedestinatione divina, nec tamen propter hoc praedestinationem divinam precibus sanctorum mutari. Et re quidem vera d) huc tendit ratio qua utroque loco unde excerpta sunt verba ab adversariis allegata, s. Doctor utitur ad solutionem suam probandam. Hanc videlicet rationem ex eo ibi repetit quod causa prima vult ordinatione sua

ordinem causae secundae ad effectum, « in quantum causa secunda non ordinatur ad effectum nisi ex ordinatione causae primae » (q. 6 de Verit., a. 6), quod « providentia, cujus praedestinatio est pars, non subtrahit causas secundas, sed sic providet effectus ut etiam ordo causarum secundarum subjaceat providentiae. » Quae quorsum ex ejus mente pertineant, accipitur ex ejus Commento in librum I Sententiarum. Ibi in dist. 41, q. 1, a. 3, docet Deum « velle ordinem causae secundae ad effectum, secundum quod ab aeterno hunc ordinem praesciens, « vult effectum esse quia causa est, et sic causam effectus esse rationem quamdam voluntatis divinae ex parte effectus. » Et ibidem, dist. 47, a. 1, ad 2^{m}, hoc quod est » voluntati divinae non solum subjacere expletionem effectus [salutis], sed etiam omnium causarum praecedentium ordinem », explicat dicendo, Deum voluntate qua absolute et efficaciter vult salutem alicujus, ferri in hoc « quod talis volens et merens salutem salvetur. » Attenta ergo ratione qua locis in argumento partis adversae allegatis s. Doctor suam solutionem probat, concludendum est hac sua solutione ab eo intendi dici, orationes sanctorum esse rationem quamdam praedestinationis ex parte effectus, Deumque voluntate sua praedestinante non ferri ad volendum salutem alicujus adulti, nisi quatenus haec ab eo praevidetur ex orationibus sanctorum vel aliis bonis operibus secutura esse. Denique e) in Sent. I, d. 41, a. 1, ubi eadem tractatur quaestio atque in locis a parte adversa allegatis, s. Doctor expressis verbis asserit, « eo modo juvari praedestinationem quo causam habet », ideoque sub eadem distinctione sub qua solvitur quaestio quaerens utrum praedestinatio causam habeat, solvendam esse quaestionem quaerentem utrum praedestinatio juvetur aliquo opere humano. Quia ergo, quando s. Doctor tractat de causa praedestinationis, ipse distinguit inter praedestinationem spectatam ex parte actus volendi et praedestinationem spectatam ex parte effectus (in I^{a}, q. 23, a. 5), inter praedestinationem spectatam quoad actum et praedestinationem spectatam quoad terminum suum (in III^{a}, q. 24, a. 4), immo, quia in Sent. I, d. 41, a. 3, ubi, sicuti in testimoniis a parte adversa adductis, distinguit inter praedestinationem et effectum ejus, ipse diserte significat posterius hujus distinctio-

nis membrum stare pro praedestinatione considerata ex parte effectus, additque ibidem, a. 4 mox sequente, prius ejusdem distinctionis membrum stare « pro actu divino quem Deus, nulla creatura cooperante, operatur », manifestum est, quando tractans de modo quo juvatur praedestinatio, ipse asserit, precibus sanctorum non juvari quidem ipsam praedestinationem, iisdem tamen juvari praedestinationis effectum, haec ejus verba eo valere ut asseratur precibus sanctorum non juvari quidem praedestinationem consideratam ex parte actus praedestinantis, iis tamen juvari praedestinationem consideratam ex parte sui effectus.

Ad primam ergo rationem factam pro interpretatione adversariorum *dicitur*, praedestinationem sive praeordinationem, eo ipso quod contra eam distinguitur praedestinationis effectus, tamquam aliquid quod et ipsum in praedestinatione considerandum sit, determinari ad significandum praedestinationem consideratam ex parte actus praedestinantis. Eoque sensu a se accipi vocem praedestinationis, quotiescumque in quaestionibus de causa praedestinationis vel de modo quo praedestinatio juvatur, distinguit inter praedestinationem et effectum ejus, diserte significat s. Thomas in Sent. I, d. 41, aa. 3 et 4. Et in q. 6 de Verit., a. 2, ubi, tractando de causa praedestinationis, pro more suo distinguit inter ipsam praedestinationem et effectum ejus, ipse, postquam ostenderat *ipsam praedestinationem* non habere causam in meritis nostris, instituit jam ulterius inquirere utrum praedestinatio considerata ex parte effectus sui totalis non habeat causam ex parte nostra. Quo sane suo processu apertissime significat, voce *ipsius praedestinationis*, quam posuerat in priore membro distinctionis a se praemissae, a se significari praedestinationem consideratam ex parte actus praedestinantis, voce vero *effectus*, quam posuerat in posteriore membro ejusdem distinctionis, a se significari effectum prouti ad eum terminatur praedestinatio.

Ad secundam rationem factam pro interpretatione adversariorum, *dicitur*, falso in ea supponi probationem qua utitur s. Thomas ad ostendendum *ipsam praedestinationem* non juvari precibus sanctorum, procedere de praedestinatione terminative sumpta. In articulis enim antecedentibus, agens de causa praedestinationis, duo ostenderat s. Doctor, sci-

licet a) praedestinationem ex parte actus praedestinantis non habere causam ex parte nostra, et b) praedestinationem ex parte effectus sui totalis non habere causam ex parte nostra; jam vero ad prius horum respicit, quando ex eo quod *ipsa praedestinatio* non habet causam in aliquo opere nostro, infert eam non juvari orationibus sanctorum.

Ceterum, dato et non concesso rationem qua probat s. Doctor *ipsam praedestinationem* non juvari precibus sanctorum, ab eo repeti ex eo quod praedestinatio terminative sumpta non habet causam ex parte nostra, adhuc falsa manet interpretatio adversariorum. In quaestione enim de causa praedestinationis, ad cujus quaestionis solutionem se refert s. Doctor, quando probat *ipsam praedestinationem* non juvari precibus sanctorum, ipse, quantum attinet ad praedestinationem terminative sumptam, solummodo ostenderat eam ex parte effectus sui totalis non habere causam ex parte nostra. Jam vero ex eo quod praedestinatio terminative sumpta, si consideretur quoad totalem suum effectum, non habet causam ex parte nostra, non est concludere id quod in testimoniis supra citatis a s. Doctore priore suae responsionis parte affirmari contendunt adversarii, scilicet praedestinationem terminative sumptam, ne respectu quidem alicujus effectus sui partialis, precibus sanctorum juvari.

Contra, etiamsi supponatur in ratione qua s. Doctor primam partem suae responsionis probat, accipi ab eo pro medio probationis illud quod ab adversariis assignatur, adhuc vera manet interpretatio nostra. Nihilominus enim valebit praedicta ratio ad probandum praedestinationem entitative sumptam non habere causam ex parte nostra. Ad cujus evidentiam considerandum est, juxta doctrinam quam tradit s. Thomas in Sent. I, d. 41, q. 3, in corp., et in resp. ad 2^{m}, eatenus praedestinationem considerari ex parte actus praedestinantis, quatenus praedestinatio consideratur *ut elicita ex motivo* quo tamquam objecto formali voluntas divina determinatur ad volendum ea quae sub praedestinationem cadunt. Jam vero ex eo quod praedestinatio ex parte effectus sui totalis non habet aliquam causam ex parte nostra, optime sequitur praedestinationem, quatenus per eam Deus fertur supra totum effectum praedestinationis, non elici, tamquam ex objecto formali, ex aliquo motivo se tenente ex

parte nostra. Et quia idem est actus quo Deus fertur super totum effectum praedestinationis et quo fertur super effectum aliquem partialem praedestinationis, ex priore illa consequentia ulterius sequitur praedestinationem, etiam quatenus per eam Deus fertur super effectum aliquem partialem praedestinationis, non elici ex aliquo motivo se tenente ex parte nostra. Atque inde tandem sequitur, praedestinationem, quoad ipsum actum praedestinandi, nullo modo juvari precibus sanctorum. Et hoc propterea, quia uti ait s. Doctor in Sent. I, d. 41, a. 4, eo modo juvatur praedestinatio quo causam habet.

Ratio ostendens antecedentem praedestinationem ad gloriam antecedentesque praedefinitiones actuum bonorum repugnare libero usui arbitrii creati.

242. V. Concordia praedestinationis et reprobationis cum contingenti eventu salutis praedestinatorum et damnationis reproborum. Si finis aeternae salutis independenter a praeviso bono usu gratiarum in praesenti ordine datarum praedestinetur a Deo, et si, quod ex tali suppositione est consequens, omnia bona opera praedestinatorum antecedenti praedefinitione praedefiniantur a Deo, nulla est praedestinatorum libertas respectu ipsius salutis consequendae et respectu ipsorum bonorum operum faciendorum. Non enim sumus liberi nisi respectu eorum quae ita sunt in nostra potestate ut a nobis dependeat illa esse vel non esse. Sed si salus et bona opera independenter a praeviso antecedente vel concomitante concursu liberi arbitrii praedestinatorum praedestinentur a Deo, non est in potestate praedestinatorum efficere ut voluntas quam circa eos Deus habet, non sit formaliter praedestinans; unde neque erit in eorum potestate non consequi salutem vel non operari bona opera. Et ratio hujus consequentiae manifesta est; propter immobilem enim certitudinem praedestinationis divinae haec condicionalis est vera : Si iste est praedestinatus, finaliter bene operabitur et salvabitur; jam vero quoties in condicionali aliqua vera antecedens non est in nostra potestate, neque consequens, quod ex eo necessario sequitur, est in nostra potestate. Et quod dicimus de praedestinatis, idem dicendum est de reprobatis; non enim possibile est simul stare haec duo, aliquem scilicet non esse praedestinatum et eum nihilominus finaliter perseverare in bonis operibus et salvari; quare, si non sit in potestate reprobati efficere ut voluntas Dei circa eum habeat potius rationem praedestinationis

quam rationem reprobationis a salute, non erit in ejus potestate finaliter bene operari et salvari. Sane si, stante aliqua condicione, impossibile est aliquid aliud non esse, fatuum est conari ad hoc ut cum illa condicione istud aliud non jungatur; sed conatus istud aliud impedire volentis debet esse ad hoc ut ne verificetur condicio, qua stante, impossibile est istud aliud non esse. Sicut si necessarium est Socratem mori, si omni cibo fraudetur; qui vult impedire ne Socrates moriatur, debet impedire ne omni cibo fraudetur. Si ergo non sit in potestate praedestinatorum efficere ut non sint praedestinati, neque itidem in potestate sit reproborum efficere ut non sint reprobati, stantibus autem praedestinatione et reprobatione, impossibile sit illos non salvari et istos non reprobari, fatuum erit consiliari de bonis operibus et de salute, aut ad haec conari, aut ad haec homines exhortari, aut ut haec ab hominibus fiant, Deum orare. Uti enim modo ostensum est, salus et bona opera quoad praedestinatos et eorum opposita quoad reprobatos sunt inevitabilia, si praedestinatio illorum et reprobatio horum sint inevitabiles; jam vero nullus consiliatur de inevitabili, aut conatur, aut exhortatur, aut orat circa inevitabilia.

Variae adversariorum evasiones earumdemque praeclusio.

243. *Nec juvat dicere* cum Suarezio et aliis adversariis qui nobiscum doctrinam scientiae mediae defendunt, antecedentem Dei praedestinationem nihil tollere de expedita potestate praedestinatorum ad opposita, quandoquidem Deus antecedentes suas praedefinitiones non exsequatur nisi ope auxiliorum gratiae intrinsece indifferentium. — Hoc non juvat dicere, inquam; quantumvis enim gratiae quas Deus adhibet praedestinatis, sint intrinsece indifferentes, si tamen ejus decreta sint antecedenter praedefinientia, praedictae gratiae, non quidem quantum est per se et ex intrinseca sua indole, sed secundum quod dicunt ordinem ad decreta antecedenter praedefinientia, occulto quodam modo tollunt a voluntate praedestinatorum expeditam potentiam non faciendi bona opera et non perveniendi ad salutem. Et hoc propterea, quia vi decretorum antecedenter praedefinientium praedictae gratiae non dantur a Deo praedestinatis nisi quia et quatenus sunt efficaces. Hinc videlicet fit ut in casu proposito inter gratias intrinsece indifferentes et gratias intrinsece

efficaces illud quidem intersit, quod sub prioribus illis gratiis, non vero sub posterioribus istis, perseveret in praedestinatis libertas quantum ad hoc praecise quod ab ipsis pendet ut non per eas gratias quae revera eis dantur, operentur bona opera et finaliter salventur; nec tamen propter hoc ullo pacto salvatur in sententia illa Suarezii libertas praedestinatorum respectu ipsorum bonorum operum et respectu ipsius salutis, quia juxta sententiam illam Suarezii, si Deus scientia sua media praevidisset praedestinatos eis gratiis quae modo eis dantur, cooperaturos non esse ex hypothesi quod eis illae gratiae darentur, ipso vi suorum decretorum antecedenter praedefinientium non hasce ipsissimas gratias, sed alias eis dedisset, tales videlicet de quibus certo praenovisset eas cum effectu conjunctum iri. Adeo ut, si decreta Dei circa praedestinatos sint antecedenter praedefinientia, praedestinati respectu bonorum operum per gratias intrinsece indifferentes ab ipsis eliciendorum et respectu salutis ab ipsis consequendae se habeant sicut homo cui absoluta quidem necessitas imponatur tendendi ad talem determinatum locum, cujus tamen liberae optioni relinquatur ut non hoc determinato jumento, sed alio potius jumento vectus, ad praedestinatum ei locum perveniat.

Hinc non valet id quod dicunt auctores praedicti modi conciliationis, praedestinationem videlicet antecedentem nihil auferre a praedestinatis, neque aliquid in eis ponere quod in eis non poneretur vel poni non posset vi praedestinationis consequentis, qualis haec a nobis defenditur. — Hoc non valet, inquam; quia, uti modo ostensum est, vi praedestinationis antecedentis et vi gratiarum, prouti dicunt ordinem ad praedestinationem antecedentem, ponitur in praedestinatis occultum quoddam ligamen sive impedimentum, auferens ab eis expeditam potestatem ad oppositum illius quod antecedenter praedefinitum est, sine qua certe expedita potestate nulla est libertas in praedestinatis respectu bonorum operum et respectu salutis.

Nec valet alius modus conciliationis, quem tentant Bannesiani, dicentes, stante antecedente praedestinatione, non esse quidem evitabilia bona opera et salutem in sensu composito, quia cum suppositione antecedentis praedestinationis nequeat componi actualis omissio bonorum operum et

actualis jactura salutis; esse tamen evitabilia bona opera et salutem in sensu diviso, quia cum suppositione antecedentis praedestinationis possit componi potentia non faciendi bona opera et non acquirendi salutem, talis tamen quae sit divisa ab actuali hujus potentiae exercitio. — Neque hoc valet, inquam; quia, uti proxime ostensum est, potestas illa ad oppositum quae stare potest cum antecedenti praedestinatione, non est potestas expedita, qualis requiritur ad actualem usum libertatis, sed est potestas saltem occulto quodam modo impedita atque ligata.

Hinc nec valet, quod iidem autores dicunt, et recurrit in idem, inevitabilitatem videlicet eorum quae antecedenter praedefinita sunt, sequi praedefinitionem divinam, tamquam rem respectivam ad Deum, et propterea ea quae antecedenter praedefinita sunt, esse de facto inevitabilia respectu Dei, non autem respectu nostri. — Neque hoc valet, inquam; quia propter hoc ipsum quod in sententia adversariorum praedefinitiones divinae sunt suppositio simpliciter antecedens exercitium libertatis, eae praedefinitiones se tenent ex parte actus primi, ponentes videlicet in praedestinatis occultum aliquod ligamen impediens expeditionem potentiae eorum ad oppositum illius quod praedefinitum est; unde fit ut ea quae antecedenter praedefinita sunt, non solum sint de facto inevitabilia respectu Dei, sed etiam respectu nostri.

Testimonia ostendentia, secundum s. Thomam concordiam praedestinationis cum libertate creata in eo esse sitam quod Deus nullum effectum a voluntate humana dependentem praedestinet nisi dependenter a praeviso bono usu antecedente vel concomitante liberi

244. Sed aiunt adversarii, modos conciliationis quos proxime veluti inanes exclusimus, esse eos ipsos ad quos s. Thomas perpetuo recurrit in omnibus suorum operum locis ubi tractat de concordia praedestinationis cum libero arbitrio creato. Semper enim, quando s. Doctor studet cum certitudine praedestinationis salvare liberum eventum effectuum praedestinationis, *vel* eum satis habere ostendere, media salutis quae Deus providet praedestinatis, esse ex natura sua contingentia, *vel* eum recurrere ad distinctionem sensus compositi et sensus divisi, eo sensu intellectam quo et ab ipsis ea distinctio declaratur. Nos vero contra contendimus, locos ad quos adversarii, ita dicendo, respiciunt, sinistra interpretatione ab iisdem perverti; asserimus videlicet in omni modo concordiae quem circa praedestinationem vel reprobationem et liberum eventum effectuum praedestinationis vel reprobationis s. Doctor adhibet, semper ei esse

propositum ostendere, Deum circa ea quae ab homine libere exsequenda vel merenda sunt, nihil absolutis suis decretis statuere, nisi dependenter a praeviso usu antecedente vel concomitante liberi arbitrii voluntatis humanae. Quare, quum ab eo qui ponit effectus contingentes praedestinationis non praedestinari nisi dependenter a praeviso concursu liberi arbitrii humani, oporteat consequenter asseri, Deum, quantum est praecise ex parte ipsius, ea auxilia salutis quae modo dat hominibus, eis daturum fuisse, etiamsi praevidisset horum auxiliorum exitum fore diversum ab eo quem revera modo sortiuntur, tale autem assertum aequivaleat propositioni dicenti, esse in potestate cujusvis adulti efficere ut voluntas Dei habeat respectu ipsius rationem praedestinationis potius quam rationem reprobationis, vel rationem reprobationis potius quam rationem praedestinationis, asserimus concordiam praedestinationis vel reprobationis cum libero arbitrio voluntatis creatae in eo a Doctore angelico ultimato reponi quod tam praedestinatio quam reprobatio est suppositio ita consequens exercitium libertatis humanae ut in potestate cujusvis hominis adulti sit efficere ut respectu ipsius talis suppositio numquam adfuerit. arbitrii voluntatis humanae.

Sed jam afferenda sunt testimonia s. Doctoris, e quibus id quod diximus, luculenter patescet.

245. In q. 6 de Verit., a. 3, s. Thomas proponit sub numero 3 argumentum concludere intendens non posse poni praedestinationem habere certum ordinem ad suum effectum, sine hoc quod asserendum sit effectum praedestinationis ex necessitate evenire. Solvitque ibidem hoc argumentum, dicendo Deum non solum velle effectum, sed etiam modum effectus, et quidem talem qui sit conformis naturae causarum secundarum quarum ministerio voluntatem suam exsequitur, et propterea quaedam ex iis quae Deus vult fieri, evenire necessario, quaedam vero contingenter, quamvis illud quod Deus vult, semper fiat. Statim autem contra hanc solutionem inducit argumentum, quod ibidem est 4^m^ quodque ita proponit : « Sed dicebat [in solutione allata] quod praedestinationis certitudo ad effectum est cum praesuppositione causae secundae. — Sed contra, omnis certitudo quae est cum suppositione alicujus, non est certitudo absoluta, sed condicionalis; sicut non est certum, si sol causet fructum Primum testimonium.

in planta, nisi cum hac condicione, si virtus generativa in planta fuerit bene disposita; propter hoc quod dispositio solis ad effectum praedictum praesupponit virtutem plantae quasi causam secundam. Si igitur certitudo praedestinationis sit cum praesuppositione secundae causae, non est certitudo absoluta, sed condicionalis tantum; sicut in me est certitudo quod Socrates movetur, si currit, et quod iste salvabitur, si praeparabit se; et ita non est in praedestinatione divina alia certitudo de salvandis quam in me, quod est absurdum. » Destruit porro hanc impugnationem, ita respondendo : « Ad quartum dicendum quod causa secunda, quam oportet supponere ad inducendum praedestinationis effectum, etiam ordini praedestinationis subjacet; non est autem ita in virtutibus inferioribus respectu alicujus superioris virtutis agentis; *et ideo ordo divinae praedestinationis, quamvis sit cum suppositione voluntatis humanae*, nihilominus tamen absolutam habet certitudinem, etsi in exemplo inducto contrarium appareat. »

Singularis vis testimonii allati ad ostendendum quorsum spectet s. Doctor, quando ait ipsam contingentiam effectuum praedestinationis esse provisam a Deo.

246. Hic locus, magis quam quilibet alius, in perspicuo ponit quaenam sit Angelici mens de modo quo concilianda sit certitudo praedestinationis cum contingentia effectuum praedestinationis. Nam familiare quidem est ei, quando infallibilitatem voluntatis divinae concordat cum libertate arbitrii creati, rationem hujus concordiae ex eo assignare quod Deus non solum vult fieri effectus causarum secundarum, sed vult hos effectus fieri secundum modum ipsarum causarum secundarum, quodque ideo quosdam effectus vult evenire necessario, quosdam vero contingenter. Tali videlicet ratione utitur ad concludendum propositum non solum in loco proxime citato, sed etiam in I^{a}, q. 19, a. 8; q. 23, a. 4, ad 1^{m} et ad 2^{m}; in Summa c. Gent., Lib. III, c. 94; in q. 23 de Verit., a. 5; in Quodlib. XI, a. 3, et in aliis suorum operum locis quam plurimis. At vero locus quem proxime adduximus, illud habet ferme singulare quod in eo s. Doctor diserte explicat quo modo intelligenda sit propositio asserens Deum sua voluntate ferri non solum super effectum, sed etiam super modum quo fit effectus. Omnino videlicet ibi concedit id quod in argumento contra solutionem prius a se assignatam inducto contendebatur, praedicta scilicet propositione significari « praedestinationis certitudinem ad suum

effectum esse cum praesuppositione causae secundae. » Qua sua responsione prorsus profligat interpretationem ad quam praedictam propositionem adversarii trahunt, eam vero ejusdem propositionis interpretationem quam nos defendimus, omnino statuit. Etenim a) in eo ipso rationis instanti in quo Deus absolute vult aliquem effectum, ejus voluntas respectu hujus effectus certitudinem habet; proindeque quod praesupponitur ad certitudinem voluntatis divinae, id praesupponitur ad ipsammet voluntatem divinam; si igitur, uti s. Doctor asserit, certitudo quam habet praedestinatio respectu alicujus effectus contingentis, est cum praesuppositione voluntatis humanae, oportet dicere ipsimet praedestinationi, prouti respicit effectum aliquem contingentem, praesupponi voluntatem humanam. Hinc porro jam ulterius oportet concludere, Deum voluntate sua praedestinante non velle effectum aliquem contingentem, puta salutem vel bonum aliquod opus, nisi dependenter a praeviso concursu concomitante vel antecedente liberi arbitrii voluntatis humanae. Et hoc propterea, quia voluntati praedestinanti, secundum quod per eam Deus vult effectum aliquem contingentem praedestinationis, nequit praesupponi voluntas humana, nisi secundum quod et ipsamet voluntas humana subest voluntati praedestinanti, et quia, per consequens, idem est dicere, voluntati qua Deus vult effectum aliquem contingentem praedestinationis, praesupponi voluntatem humanam, atque dicere, Deum non velle effectum aliquem contingentem praedestinationis, nisi dependenter ab hoc quod sub certa praevisione effectus, tamquam contingenter secuturi ex voluntate humana talibus determinatis condicionibus affecta, ipse voluntatem humanam talibus determinatis condicionibus affectam ad effectum contingentem infallibiliter ordinat. Et re quidem vera b) tali sensu a se intendi asseri « certitudinem praedestinationis ad effectum contingentem esse cum praesuppositione voluntatis humanae, » s. Doctor disertissime significat, quando jam ostendit praesuppositionem voluntatis humanae ad praedestinationem effectus contingentis, nihil tollere de absoluta certitudine praedestinationis. « Causa secunda, inquit, quam oportet supponere ad inducendum praedestinationis effectum, *etiam ordini praedestinationis subjacet*,... et ideo ordo divinae praedestinationis [ad effectum contingentem], quam-

vis sit cum suppositione voluntatis humanae, nihilominus tamen absolutam habet certitudinem. » Nempe, qui est sensus perspicuus horum verborum, voluntas humana non praesupponitur praedestinationi effectus contingentis, nisi secundum quod et ipsa subjacet praedestinationi; ordo igitur divinae praedestinationis ad effectum contingentem, non obstante hoc quod sit cum suppositione voluntatis humanae, manet absolute certus, quia Deus voluntate sua praedestinante non vult effectum aliquem contingentem, nisi secundum quod, certo praesciens effectum ex voluntate humana tali determinato auxilio gratiae praeventa contingenter secuturum esse, voluntatem humanam mediante tali determinato auxilio gratiae ad effectum infallibiliter ordinat. Talemque esse sensum verborum proxime adductorum, colligitur etiam c) ex facta eorum collatione cum verbis plane similibus quae ponit s. Doctor in Sent. I, d. 47, a. 1. Eo loci in argumento quod ibi est tertium, movet contra efficacitatem sive certitudinem voluntatis divinae eamdem difficultatem quam contra eam movet loco supra citato; objicit sibi videlicet causam secundam contingentem, qua mediante Deus producit effectum a se volitum, ab eo effectu deficere posse; et propterea impossibile esse voluntatem divinam esse efficacem. Respondet autem : « Ad tertium dicendum quod voluntati divinae non solum subjacet expletio effectus, *sed etiam omnium causarum praecedentium ordo secundum illas conditiones quibus determinantur ad effectum sine defectu*, ut quod talis volens et merens salutem salvetur ; voluntati enim consequenti subjicitur effectus cum omnibus causis suis, secundum quod sunt non impeditae. » Ubi, quando generaliter asserit, « voluntati divinae non solum subjacere expletionem effectus, sed omnium causarum praecedentium ordinem secundum illas conditiones quibus determinantur ad effectum sine defectu », esse de mente ejus asserere totum illum causarum praecedentium ordinem, *secundum quod subjacet voluntati divinae secundum eas condiciones quibus causae determinantur ad effectum sine defectu*, praesupponi absolutae volitioni effectus, patet ex eo quod applicans illud assertum ad casum particularem de quo ibi agebatur, ait, id quod cadit sub voluntatem absolutam qua Deus vult salutem alicujus hominis, esse hoc « *quod talis volens et merens salutem salve-*

tur. » Idemque apparet etiam d) ex his verbis quae ibidem continuo subdit : « Voluntati enim consequenti subditur effectus cum omnibus causis suis, secundum quod sunt non impeditae. » Ita enim loquendo, diserte asserit, Deum voluntate sua consequente, quae est de iis quae pendent a libero arbitrio creato, non velle aliquem effectum in praecisione ab influxu omnium earum causarum quibus mediantibus ille effectus in tempore producendus est. Sive, quod idem est, ita loquendo, diserte docet nullum effectum qui pendeat a libero arbitrio creato, a Deo absoluta voluntate esse volitum, nisi dependenter a concursu ipsius liberi arbitrii creati cum iis gratiis quae in ordine ad hunc effectum producendum libero arbitrio creato in tempore conferendae sunt. Quam doctrinam clare etiam tradit e) in ipso corpore illius articuli 3 quaestionis 6 de Veritate, unde responsio ad 4^{m} argumentum ibi propositum supra adducta est. Ibi videlicet infallibilem ordinem quem habet praedestinatio respectu salutis, ex eo repetit quod, quamvis singula auxilia quibus Deus praedestinatis adminiculatur ad salutem, non solum carere possint effectu intento, sed quaedam eorum revera careant effectu intento, tota tamen horum auxiliorum collectio habet infallibilem connexionem cum effectu salutis. Proindeque ibi docet, certitudinem quam habet praedestinatio respectu salutis, esse cum suppositione cooperationis saltem finalis liberi arbitrii creati cum iis determinatis gratiis quae in tempore Deus ei largiturus est. Quae doctrina eo recidit ut dicatur, Deum non praedestinare effectum salutis nisi dependenter a concursu antecedente liberi arbitrii creati, uti discursu supra facto clare deductum est.

247. 2°. In eadem q. 6 de Verit., a. 3, inducit s. Thomas contra certitudinem praedestinationis hoc argumentum, quod est ibi 7^{m} : « Praeterea aliquis praedestinatus quandoque est in peccato mortali, sicut patet de Paulo, quando ecclesiam persequebatur. Potuit autem in peccato mortali perseverare usque ad mortem, vel statim tunc interfici ; quorum utrolibet posito, praedestinatio effectum suum non consequeretur. Ergo possibile est praedestinationem non consequi effectum suum. » Respondet autem : « Ad 7^{m} dicendum quod aliquid potest dici posse dupliciter. Uno modo, considerando potentiam quae in ipso est ; sicut dicimus, quod lapis potest

Secundum testimonium.

moveri deorsum. Alio modo, considerando id quod ex parte alterius est, sicut si dicerem, quod lapis potest moveri sursum, non per potentiam quae in ipso est, sed per potentiam projicientis. Quum ergo dicitur : Praedestinatus iste potest in peccato mori, si consideretur potentia ipsius, verum est; si autem loquamur de praedestinato secundum ordinem quem habet ad aliud, scilicet ad Deum praedestinantem, sic ordo ille non compatitur secum istum eventum, quamvis compatiatur secum istam potentiam. Et ideo potest distingui *secundum distinctionem primo inductam*, scilicet consideratio subjecti cum forma et sine forma. »

Distinctio autem illa prius inducta, quam tamquam solutione sua stabilitam omnino approbat, tradita ab eo fuerat sub initium numeri 8, ubi fit instantia contra eam. Hisce autem verbis ibi prolata fuerat : « Sed dicendum quod, quum dicitur quod praedestinatus in peccato mortali potest mori, si accipiatur subjectum prout stat sub forma praedestinationis, sic est composita et falsa, si autem accipiatur prout consideratur sine tali forma, sic est divisa et vera. »

Nullam sane hic difficultatem creat quod initio suae solutionis s. Doctor significat, posse quidem praedestinatum in peccato mortali mori, si consideretur potentia quae in ipso est, hoc tamen eum non posse, si consideretur id quod est ex parte alterius, scilicet ex parte Dei praedestinantis. Non enim, quando sic loquitur, intendit dicere, praedestinationem esse suppositionem antecedentem, talem videlicet ut non aliquo modo sit in potestate praedestinati efficere ut respectu ipsius haec suppositio non adsit. Sed, uti patet ex consequentibus, sensus quem intendit, est, habere quidem praedestinatum expeditam potestatem moriendi in peccato mortali; non tamen esse in ejus potestate efficere ut, facta suppositione eum esse praedestinatum, nihilominus moriatur in peccato mortali, quia certa connexio praedestinationis cum effectu salutis non pendeat a potestate praedestinati, sed tantummodo ab efficacitate voluntatis divinae, cujus decreta sunt immutabilia.

Vis testimonii allati ad ostendendum quorsum in negotio praedestinationis spectet

248. Reliqua vero parte verborum quae in solutione citata ponit s. Doctor, in clarissima luce collocatur, quorsum demum ex ejus mente pertineat distinctio inter sensum compositum et sensum divisum, quando ejus ope nititur ostendere ex praedestinatione divina nullam provenire praedesti-

natis inevitabilem necessitatem. Scilicet a) asserit quidem Angelicus, si de praedestinato loquamur secundum ordinem quem habet ad Deum praedestinantem, sic ordinem illum non compati secum mortem praedestinati in peccato mortali; unde et ait hanc propositionem : Praedestinatus potest mori in peccato mortali, si sit composita, esse falsam, quia sensus compositus hujus propositionis in eo consistat quod praedicatum in ea attribuitur subjecto, prouti stat sub forma praedestinationis. At simul asserit, si praedestinatus praecise spectetur quantum ad potentiam ad utrumlibet quae in ipso est, sic eum accipi prouti non intelligitur stare sub forma praedestinationis, proptereaque hanc propositionem : Praedestinatus potest mori in peccato mortali, si sit divisa, esse veram, quia sensus divisus hujus propositionis in eo consistat quod in ea praedicatum attribuitur subjecto, prouti non intelligitur stare sub forma praedestinationis. Sed si, uti tali ejus doctrina apertissime statuitur, praedestinatus non intelligitur stare sub forma praedestinationis, si consideretur tantum quoad potentiam ad utrumlibet quae in ipso est; ergo ad hoc ut intelligatur stare sub forma praedestinationis oportet ipsum considerari quoad actuale exercitium suae potentiae ad utrumlibet, et quidem quoad tale hujus potentiae exercitium quo ipse usque ad finem vitae perseveret in bono. Sive, quod idem est, ut stet doctrina s. Doctoris modo relata, oportet dicere salutem non praedestinari praedestinato nisi dependenter a praevisa finali ejus perseverantia in bono. Et sic vere salvatur in praedestinato libera potestas moriendi in peccato mortali. Nempe, quia praedestinatio salutis est suppositio usum liberi arbitrii praedestinatorum non antecedens, sed consequens, idcirco necessitas quam importat falsitas sensus compositi hujus propositionis : Praedestinatus potest mori in peccato mortali, non consistit nisi in impossibilitate ut praedestinatus faciat contradictoria esse simul vera, ut scilicet faciat simul esse vera, se finaliter perseverasse in bono et se non finaliter perseverasse in bono, sed se in peccato obiisse. Ob eamdemque rationem, sensu diviso praedictae propositionis, qui verus est, intenditur affirmari, eo ipso quod in libera potestate praedestinati est mori in peccato mortali, esse etiam in ejus libera potestate efficere ut numquam fuerit praedesti-

distinctio inter sensum compositum et sensum divisum.

natus. Ceterum b) conclusio quam ex solutione supra citata modo deduximus, vix non aperte ab ipsomet s. Doctore perhibetur. Nam primo quidem clare docet distinctionem sensus compositi et sensus divisi, quando adhibetur ad salvandum cum certitudine praedestinationis divinae libertatem arbitrii humani, fundari in hoc quod in praedestinato distingui possunt duo veluti status sive duae condiciones secundum quarum unam ipse dicit respectum ad praedestinationem divinam, secundum quarum alteram vero ipse non dicit respectum ad praedestinationem divinam. Sic q. 6 de Verit., a. 4, argumento 8, quod, uti diximus, est instantia contra solutionem proxime allatam, s. Doctor sibi objicit, in formis quae non possunt removeri a subjecto, non esse locum distinctioni inter sensum compositum et sensum divisum proptereaque, quum praedestinatio sit talis forma quae non possit a praedestinato removeri, secundum nullum modum considerationis posse attribui praedestinato aliquid quod suae praedestinationi repugnet. Respondet autem, solummodo de iis formis inseparabilibus quae sunt formae existentes in ipso subjecto, verum esse dicere in iis non esse locum distinctioni inter sensum compositum et sensum divisum; praedestinationem autem non esse talem formam, quia non est in praedestinato, sed in praedestinante. « Sicut, inquit, et scitum denominatur a scientia quae est in sciente; ET IDEO, quantumcumque praedestinatus immobiliter sit sub ordine scientiae, tamen potest attribui aliquid ei considerando suam naturam, etiamsi repugnet ordini praedestinationis. » Sensus sane perspicuus horum verborum est, praedestinationem, quum sit actus Dei praedestinantis, posse respicere praedestinatum uno modo consideratum, et eum non respicere alio modo consideratum; hoc porro revera in proposito verificari; non enim praedestinationem referri ad praedestinatum secundum quod hic consideratur quoad solam suam naturam, h. e. quoad nudam suam potentiam ad utrumlibet; et propterea praedestinato considerato quoad potentiam ad utrumlibet quae in ipso est, posse attribui aliquid quod ordini praedestinationis repugnet. Clarius idem perhibet s. Doctor in Quodlib. 12, a. 3, ad. 2^{m}, ubi, sicut loco proxime citato, respondet ad objectionem contendentem, si praedestinatio sit certa, hanc propositionem : Prae-

destinatum possibile est damnari, esse simpliciter falsam, eo quod in formis inseparabilibus non valeat distinctio inter sensum compositum et sensum divisum. « Ad 2^m^ dicendum, inquit, quod bona est distinctio. Sed ad objectum de formis dicendum quod aliter est de formis realibus, *et aliter de praedicatis quae important aliquid pertinens ad actum rationis :* quia in primis, scilicet realibus, si in eis debeat habere locum talis distinctio, oportet inesse separationem in re et in consideratione, *in secundis non requiritur, sed oportet quod res illa cadat sub alia consideratione. Et sic dico quod iste praedestinatus potest considerari vel in se, vel ut divinae cognitioni relatus, et sic uno modo attribuitur ei quod possit damnari, alio vero non.* » Quod vero caput est et jam secundo loco notandum est, utroque loco proxime citato significat s. Doctor, praedestinatum eo modo cadere sub praedestinationem divinam, quo modo cadit sub praescientiam divinam. Utrobique enim loquitur convertibiliter de scientia Dei et de praedestinatione, quantum ad modum quo sub utramque praedestinatus cadit. Et quidem utrobique nomine scientiae ab eo significari praescientiam, manifestum est ; non enim de scientia Dei qua late patet, sed solummodo de ea scientia Dei, quae est praescientia, verificatur, res contingentes quae ei subjectae sunt, non secundum omnem modum eas considerandi, sed solummodo secundum peculiarem aliquem modum considerationis ad ipsam referri.

Porro secundum quemnam modum considerationis ea quae dependent a libero arbitrio creato, cadant sub praescientiam divinam, secundum quemnam vero modum considerationis ea sub praescientiam divinam non cadant, et quale, per consequens, sit fundamentum distinctionis inter sensum compositum et sensum divisum hujus propositionis : Omne scitum a Deo necessarium est esse, s. Doctor exponit in q. 2 de Verit., a. 12, ad 4^m^, ubi nititur ostendere per praescientiam divinam non imponi necessitatem futuris contingentibus ut eveniant. « Ad 4^m^ dicendum, inquit, quod quum dicitur : Omne scitum a Deo, est necessarium, haec est duplex : quia potest esse vel de dicto vel de re ; si sit de dicto, tunc est composita et vera, et est sensus : Omne scitum a Deo est necessarium, quia non potest esse quod Deus sciat aliquid esse et illud non sit. Si sit de re, sic est divisa et falsa, et

est sensus : Id quod est scitum a Deo, necessarium est esse : res enim quae a Deo sunt scitae, non propter hoc necessario eveniunt, ut ex dictis in corp. art. patet. Et si objiciatur quod ista distinctio non habet locum nisi in formis quae sibi invicem succedere possunt in subjecto, ut nigredo et albedo ; non autem potest esse quod aliquid sit scitum a Deo, et postea nescitum; et sic praedicta distinctio hic locum non habet : dicendum, quod quamvis scientia Dei invariabilis sit et semper eodem modo; *tamen dispositio secundum quam res refertur ad cognitionem Dei invariabilem, non semper eodem modo se habet ad ipsam : refertur enim res ad Dei cognitionem secundum quod est in sua praesentialitate, praesentialitas autem rei non semper ei convenit; unde res potest accipi cum tali dispositione vel sine ea*, ET SIC PER CONSEQUENS *potest accipi illo modo quo refertur ad Dei cognitionem, vel alio modo*, ET SECUNDUM HOC PRAEDICTA DISTINCTIO PROCEDIT. »

Disertissime hic asserit s. Doctor, in rebus contingentibus duas esse distinguendas dispositiones, unam secundum quam hae res referuntur ad praescientiam divinam, alteram secundum quam eaedem res non referuntur ad praescientiam divinam. Et quidem, determinando hoc suum assertum, expressis verbis docet, dispositionem secundum quam contingentia referuntur ad praescientiam divinam, esse statum praesentialitatis; quem statum praesentialitatis ait eis non semper convenire, quum aliquando non habeant esse nisi in causis suis tantum, in quibus quamdiu sunt, nondum sunt praesentia, sed futura tantum. Hanc porro ait esse rationem cur valeat distinctio sensus compositi et sensus divisi, quando ad salvandam libertatem arbitrii creati adhibetur circa hanc propositionem : *Omne scitum a Deo necesse est evenire*. Eadem proinde est juxta ipsum ratio cur valeat distinctio sensus compositi et sensus divisi, quando ad salvandam libertatem arbitrii creati adhibetur circa hanc alteram propositionem : « Omne quod praedestinatum est a Deo, necesse est evenire. » Nam, uti notatum est circa testimonia prius allegata, ipse ponit modum quo contingentia terminant respectum praedestinationis divinae, esse eumdem atque modum quo contingentia terminant respectum praescientiae divinae. Atque adeo in q. 6 de Verit., a. 3, ad 6^{m}, diserte docet praede-

stinatione divina non respici contingentia nisi secundum quod sunt in sua praesentialitate. Notatque insuper in q. 2 de Verit., a. 12, id quod ceteroquin est per se manifestum, rem aliquam non esse in sua praesentialitate, nisi dependenter ab influxu omnium suarum causarum ; inter quas causas, quando agitur de iis contingentibus quae sunt effectus praedestinationis, proculdubio numerandae sunt determinatae eae gratiae quae in tempore praedestinatis a Deo conferuntur. Sed si, uti ex his omnibus simul acceptis habetur, effectus contingentes praedestinationis non cadunt sub praedestinationem nisi secundum quod sunt in sua praesentialitate, non autem sunt in sua praesentialitate nisi dependenter a concursu liberi arbitrii praedestinatorum cum determinatis iis gratiis quae in tempore eis a Deo conferuntur ; ergo necessitas quam habent effectus contingentes praedestinationis, prouti stant sub forma praedestinationis, h. e. necessitas quam habent hi effectus in sensu composito, est necessitas quae juxta s. Doctorem non sequitur ex praedestinatione, nisi secundum quod praedestinatio est suppositio consequens praevisionem antecedentis vel concomitantis concursus liberi arbitrii praedestinatorum cum determinatis iis gratiis quae in tempore iisdem a Deo conferuntur. Et, per consequens, juxta ipsum, sicut est in potestate praedestinatorum non cooperari gratiis sibi a Deo datis, ita est in eorum potestate efficere ut numquam bona eorum opera et eorum salus fuerint a Deo praedestinata. Hoc est itaque quod intendit dicere, quando ait effectus contingentes praedestinationis, h. e. salutem et bona opera, non esse necesse evenire in sensu diviso. Quando ergo ad conciliandam praedestinationem cum libero eventu eorum quae praedestinata sunt, s. Doctor recurrit ad distinctionem inter sensum compositum et sensum divisum, ipse intendit excludere antecedentes praedefinitiones bonorum operum et antecedentem praedestinationem salutis.

249. Ad rationes hactenus pro tali conclusione allatas accedit c) auctoritas principis veteris scholae Thomisticae, Capreoli, qui expressis verbis docet, distinctionem sensus compositi et sensus divisi, quando usurpatur ad concordandam infallibilitatem praedestinationis divinae cum libertate arbitrii creati, eo ex mente magistri angelici pertinere ut

Confirmatio praedictorum ex Capreolo.

affirmetur esse in potestate praedestinati efficere ut non sit praedestinatus. Nam in Sent. I, d. 40, q. 1, a. 3, respp. ad argumenta contra 3^am^ conclusionem, ad primum argumentum Aureoli contendentis immutabilitatem praedestinationis divinae non posse stare cum libertate creata, quia fatuum sit conari ad immutandum immutabile, in haec verba respondet : « Dico ad 1^m^, quod ille qui salvatur, immutabiliter salvatur, sic quod non potest mutari de praedestinato in reprobatum [h. e. quod non potest esse prius praedestinatus, et postea reprobatus], et similiter ille qui damnatur, immutabiliter damnatur, sic quod non potest mutari de reprobo in praedestinatum [h. e. non potest esse prius reprobus et postea praedestinatus]. Et ideo fatuum est conari vel consiliari quomodo hoc vel illud *mutaretur. Non tamen probat quod praedestinatus inevitabiliter necessitate absoluta salvatur, sic quod non sit in potestate alicujus quod talis salvetur. Praedestinatus enim potest taliter facere quod ipse numquam fuerit praedestinatus*, licet non possit mutare suam praedestinationem, et debet conari ad facienda bona, nec debet negligere seipsum. Proportionaliter dico de reprobato : non enim potest cassare aut mutare aut impedire suam praedestinationem ; quia istud supponit quod primo fuisset reprobatus et postea praedestinatus ; *potest tamen facere quod non sit reprobatus ;* potest enim aliqua facere cum quibus non stat reprobatio, scilicet perseverare usque in finem. Sicut enim dicit s. Thomas, de Veritate, q. 6, a. 3, ad 7^m^ : Praedestinatio alicujus patitur secum potentiam moriendi in peccato mortali, non tamen compatitur actum vel eventum illum. Similiter a. 4, ad 4^m^, dicit quod, demonstrato aliquo praedestinato, puta Petro, ista est secundum se possibilis : Iste non habebit finalem gratiam ; non tamen est compossibilis isti propositioni, scilicet Petrus est praedestinatus. » Et ibid. in resp. ad argumenta Aureoli contra 4^am^ conclusionem : « Omnia [argumenta illa], inquit, istud habent unicum motivum, quod si praedestinatio vel providentia vel fatum sit immobile quocumque modo sive absolute sive ex suppositione vel quomodolibet aliter, vanum est conari ad oppositum illius quod provisum est aut praedestinatum aut fatatum. Et quidem istud consequens potest intelligi vel in sensu composito

vel diviso. Si in sensu composito, conceditur; in diviso autem, negatur. Si enim in sensu composito accipiatur, tunc est sensus quod vanum est conari ad faciendum quod aliquid simul sit provisum et non eveniat, vel fatatum aut praedestinatum, et non eveniat. Istud autem constat vanissimum esse... Si autem intelligatur consequens in sensu diviso, est sensus quod, demonstrato aliquo quod Deus providit aut fatavit aut praelocutus est, vanum est conari ad hoc quod hoc non eveniat, quia scilicet provisum in se necessarium est evenire. Sic quod non solum ista condicionalis est necessaria : « Si Deus providit hoc, istud eveniet; immo quia ista est absolute necessaria : Hoc eveniet, et iste sensus est falsus; *non enim in vanum Judas conatus fuisset ad sui salvationem, quam tamen Deus praeviderat non eventuram: non enim hoc fuisset conari ad mutandum fatum vel praedestinationem*, SED AD FACIENDUM ALIQUID UNDE SEQUERETUR IPSUM FUISSE PRAEDESTINATUM ET NON REPROBATUM, NEC FATATUM AD MORTEM SED AD VITAM. HOC ENIM ERAT IN EJUS POTESTATE. »

Quorsum pertineat ex mente s. Thomae distinctio inter necessitatem absolutam et necessitatem condicionalem, quando in negotio praedestinationis adhibetur ad salvandam libertatem arbitrii creati.

250. 3° Sicuti necessitatem quae sequitur praedestinationem, componit s. Thomas cum libertate creata, recurrendo ad distinctionem inter sensum compositum et sensum divisum, ita alio loquendi modo utriusque concordiam manifestat, adhibita distinctione inter necessitatem simplicem sive absolutam et necessitatem condicionatam. Sic in I^a, q. 19, a. 8, resp. ad 1^m, asserit hac propositione s. Augustini : *Si Deus voluerit aliquem salvari, necesse est eum salvari*, non esse intelligendam de necessitate absoluta, uti supponebat objectio quam ibi refellit, sed de necessitate condicionata tantum. Refertque se ad hanc responsionem in I^a, q. 23, a. 3, ad 3^m, ubi ponit haec verba : « Quum dicitur quod reprobatus non potest gratiam [finaliter habitam] adipisci, non est hoc intelligendum secundum impossibilitatem absolutam, sed secundum impossibilitatem condicionatam, *sicut supra dictum est, quod praedestinatum necesse est salvari necessitate condicionata, quae non tollit libertatem arbitrii.* » Et in I^a, q. 19, a. 8, ad 3^m, universaliter pronuntiat, ex eo quod Deus voluntate absoluta vult effectum aliquem contingentem, sequi dumtaxat eum effectum habere necessitatem condicionalem. Quod et docet in Sent. I, d. 47, q. 1, a. 1,

ad 2m, ubi data opera hanc doctrinam adhibet ad concordandum invincibilitatem absolutae Dei voluntatis cum libertate arbitrii creati. Tum autem hoc loco tum in Ia, q. 23, a. 6, pro intellectu necessitatis condicionalis quae sequitur praedestinationem omnemque absolutam voluntatem eirca effectus contingentes a Deo habitam, remittit ad ea quae in quaestione de scientia Dei determinata fuerant de ratione propter quam praescientia divina non affert iis quae a Deo praescita sunt nisi condicionalem necessitatem. Ibi autem dixerat propterea necessitatem quae affirmatur hac propositione : *Omne scitum a Deo necesse est evenire*, esse necessitatem condicionalem tantum, quia scientia divina fertur super futura, non secundum quod sunt futura, sed secundum quod sunt in sua praesentialitate, et quia, per consequens, scitum a Deo, in quantum est scitum a Deo, non est necesse evenire nisi ea necessitate qua omne quod est, quando est, necesse est esse (in Sent. I, d. 38, q. 1, a. 5, ad 3m, et in Ia, q. 14, a. 13, ad 2m). Ubi, uti manifestum est, supposuerat, quidquid est necessarium necessitate condicionata, non esse necessarium nisi eo necessitatis modo quo omne quod est, quando est, necesse est esse. Ad talemque necessitatis modum reduci necessitatem condicionatam, qua late patet, diserte docet in Comm. in Lib. I Perihermenias, lect. 14. Quia autem effectus aliquis non est in sua praesentialitate sive in esse suo actuali, nisi dependenter ab actuali influxu causae suae proximae, ad effectum autem causae proximae causa prima concurrit concursu physice indifferenti, idcirco alibi docet, effectum non habere necessitatem sive absolutam sive condicionalem ex causa sua prima, sed ex causa sua proxima (in Sent. I, d. 47, a. 1, ad 2m), et « non esse defectum ex divina scientia quod tale scitum a Deo non est necessarium absolute, sed esse defectum ex causa proxima » (q. 6 de Verit., a. 4, ad 4m). Ex quibus omnibus consequitur, quando s. Doctor asserit praedestinatione divina non afferri bonis operibus et saluti praedestinatorum nisi necessitatem condicionatam ut eveniant, de mente ejus esse asserere, propterea praedestinatione divina nihil auferri de libertate praedestinatorum, quia Deus non praedestinat salutem et bona opera, nisi dependenter a condicionata praescientia boni usus vel antecedentis vel concomitantis liberi arbitrii creati.

251. Quod ceteroquin vix non immediate accipitur ex iis quae de necessitate condicionata quam post se trahunt praedestinatio et reprobatio, s. Doctor tradit in q. 6 de Verit., a. 4. Ibi, quum sub numero 4 sibi objecisset, praescitum, quippe qui possit et praeparando se ad gratiam acquirere gratiam et in gratia semel acquisita usque ad mortem perseverare, posse ex reprobato fieri praedestinatum, et sic numerum praedestinatorum augeri posse; tali ratione objectionem diluit. « Ad quartum dicendum quod ex hoc quod ponitur aliquis praescitus [h. e. reprobatus], ponitur non habiturus finalem gratiam, *quum cognitio Dei feratur super res futuras, sicut super praesentia*, ut alibi, quaestione de scientia Dei, art. 12, dictum est, ET IDEO, sicut hoc quod est non esse habiturum finalem gratiam, est incompossibile ei quod est esse praedestinatum, *quamvis in se sit possibile*, ita esse habiturum finalem gratiam, est incompossibile ei quod est esse praescitum [h. e. reprobatum], *quamvis in se sit possibile.* »

Tertium testimonium.

252. Porro hanc suam responsionem, quantum ad id quod in ea dicitur de reprobatione, tali verborum compendio comprehendit sub initium numeri 5, ubi inducit instantiam contra eam : « Sed dicendum quod praescitum [h. e. reprobatum] mori sine gratia est necessarium necessitate condicionata, quamvis non absoluta. » Teste itaque ipsomet s. Doctore, hac propositione causali : « Quum cognitio Dei feratur super res futuras, sicut super praesentia, IDEO, etc., ipse affirmaverat reprobatum mori sine gratia non esse necessarium nisi necessitate condicionata. Eadem ergo propositione causali etiam affirmaveret praedestinatum mori in gratia non esse necessarium nisi necessitate condicionata. Nam una eademque ratione nixus, duo in consequente praedictae propositionis causalis ex aequo affirmaverat, scilicet 1° quamvis hoc quod est non esse habiturum finalem gratiam sit incompossibile ei quod est esse praedestinatum, non tamen propter hoc tolli a praedestinato liberam potestatem moriendi sine gratia, et 2° quamvis hoc quod est esse habiturum finalem gratiam sit incompossibile ei quod est esse reprobatum, non tamen propter hoc tolli a reprobato liberam potestatem moriendi in statu gratiae. Porro ratio utriusque istorum quam in antecedente ejusdem propositionis

Vis hujus testimonii ad ostendendum propterea secundum s. Thomam ea quae praedestinata sunt, non esse necesse evenire nisi necessitate condicionata, quia Deus non praedestinat effectus contingentes praedestinationis nisi dependenter a praeviso concursu liberi arbitrii creati.

causalis assignaverat, unice ibi ab eo reposita fuerat in hoc, quod cognitio Dei fertur super res futuras sicut super praesentia. Ubi nomine *rerum futurarum* intenderat significare actus liberos praedestinatorum et reproborum, scilicet liberam permansionem in bono vel liberam perseverantiam in malo; hoc enim palam fit tum ex contextu antecedente et consequente, tum ex objectione ad quam ibi respondet, quae ex hoc sumebatur quod reprobatus potest libere permanere in bono usque ad mortem. Quia ergo aliquid non est ratio alterius nisi secundum quod hoc alterum ab eo dependet, manifestum est rationem duorum praedictorum quam reddit s. Doctor, eo redire ut dicatur, propterea et praedestinatum mori in gratia et reprobatum mori sine gratia non esse necessarium nisi necessitate condicionata, quia Deus neque praedestinat homines neque eos reprobat, nisi dependenter a condicionata praescientia boni vel mali usus liberi arbitrii eorumdem. Et quidem hunc esse sensum responsionis a se datae diserte perhibet s. Doctor in solutione instantiae quam, uti diximus, loco citato, argum. 5, contra eam induxerat. Ait videlicet ibi necessitatem illam condicionatam de qua locutus fuerat in responsione ad argumentum praecedens, pendere tamquam a condicione eam condicionante a causa proxima, h. e. a libero arbitrio se ad bonum vel ad malum determinante.

Quartum testimonium.

253. 4°. In Sent. I, d. 46, a. 1, arg. 5, ita contra conclusionem articuli objicit s. Doctor : « Praeterea nullus potest salvari, nisi Deus eum velit salvare. Si ergo Deus non omnem hominem salvare vult, non est in potestate cujuslibet hominis ut salvetur. Sed pro eo quod non est in potestate nostra, non meremur poenam vel vituperium. Ergo non est imputandum eis qui non salvantur : quod falsum est. Ergo videtur quod Deus omnes homines salvare velit [voluntate absoluta]. » Responsio ejus est : « Ad quintum dicendum quod istae condiciones quibus homo efficitur deordinatus a consecutione finis, sub quibus existentem Deus eum salvum esse non vult, sunt ex ipso homine : et ideo totum quod sequitur, sibi imputatur ad culpam. »

Affirmando hac sua responsione, « condiciones quibus homo efficitur deordinatus a consecutione finis, sub quibus existentem Deus eum salvum esse non vult, esse ex ipso homine, » apertissime docet Angelicus, hoc quod est a Deo

abesse voluntatem salvandi aliquem hominem, dependere a culpis ipsius hominis praevisis a Deo. Excludit ergo s. Doctor tali sua responsione omnem omnino antecedentem reprobationem negativam, h. e. tam eam quae appellatur formalis, quam eam quae appellatur virtualis; et, per consequens, excludit etiam omnium eorum qui eliguntur, antecedentem praedestinationem ad gloriam seorsum sumptam, quippe quae inseparabiliter cohaereat cum antecedente reprobatione negativa, saltem virtuali, ceterorum.

Pro speciali tamen quaestione quam hic tractamus, maxime concludimus intentum ex ratione qua loco citato s. Doctor conciliat certitudinem reprobationis cum contingenti eventu damnationis reproborum. Omnino eo loci concedit, cum hoc quod Deus non vult aliquem hominem salvari, stare non posse eum hominem salvari. Negat tamen inde esse consequens non esse in potestate reprobi adipisci salutem, ideoque negat etiam id quod ex incompossibilitate duorum praedictorum ulterius inferebatur, reprobo scilicet non esse imputandum in paenam ejus defectionem a salute. Ratio autem cur utrumque istorum neget, haec est, quod nonnisi dependenter a culpis quibus reprobus se deordinat a consecutione salutis, Deus non vult salutem ipsius. Sive, quod idem est, propterea utrumque praedictorum negat, quia in potestate est reprobi, usque in finem bene operando, efficere ut voluntas quam respectu ipsius Deus habet, sit potius voluntas eum salvandi quam voluntas eum reprobandi. Sed ex tali ratione conciliandi certitudinem reprobationis cum contingenti eventu damnationis reproborum est evidenter consequens, Deum secundum s. Doctorem nec salutem nec bona opera praedestinare, nisi dependenter a praevisō bono usu vel antecedente vel concomitante earum determinatarum gratiarum quae revera in tempore praedestinatis conceduntur. Nam, si propter incompossibilitatem quam habet salus reprobi cum hoc quod est Deum non velle eum salvari, nequit poni reprobo in paenam inputandam esse ejus defectionem a salute, nisi simul ponatur esse in potestate reprobi, usque in finem bene agendo, efficere ut voluntas quam respectu ipsius Deus habet, sit potius voluntas eum salvandi quam voluntas eum reprobandi; ergo, pari ratione, quia aliquem non consecuturum esse salutem est incompossibile

ei quod est Deum velle eum salvari, nequit etiam defendi praedestinato in praemium imputandam esse ejus perventionem in salutem, nisi simul ponatur esse in potestate praedestinati, non cooperando gratiis sibi datis, efficere ut voluntas Dei respectu ipsius sit potius voluntas eum damnandi quam voluntas eum salvandi, Itidemque, quia aliquod bonum opus non fieri est incompossibile ei quod est Deum velle bonum illud opus fieri; pari ratione atque ea qua in sua responsione nititur s. Doctor, asserendum erit, propterea, nihil obstante incompossibilitate duorum praedictorum, praedestinato bonum opus in meritum imputandum esse, quia in ejus est potestate, non cooperando gratiis sibi a Deo datis, efficere ut Deus bonum illud ejus opus numquam praedestinaverit. Manifestum est ergo a s. Doctore loco supra citato virtualiter excludi tum antecedentem praedestinationem gloriae seorsum sumptae tum antecedentes praedefinitiones actuum bonorum.

Praecipua testimonia quibus perhibet s. Thomas praedestinationi praesupponi electionem et electioni dilectionem.

254. VI. Examen capitum doctrinae s. Thomae quibus pro sua sententia pugnant assertores antecedentis praedestinationis ad gloriam. In doctrina quam de praedestinatione s. Thomas tradit, duo inveniuntur capita quibus assertores gratuitae electionis ad gloriam seorsum sumptam contendunt suam sententiam luculentissime contineri. Prius doctrinae caput pertinet ad ordinem qui secundum prius et posterius existit inter electionem et praedestinationem. Illud hisce verbis proponit s. Doctor in I^a, q. 23, a. 4 : « Respondeo dicendum quod praedestinatio secundum rationem praesupponit electionem, et electio dilectionem. Cujus ratio est, quia praedestinatio (ut dictum est) est pars providentiae. Providentia autem, sicut et prudentia, est ratio in intellectu existens, praeceptiva ordinationis aliquorum in finem, ut supra dictum est. Non autem praecipitur aliquid ordinandum in finem, nisi praeexistente voluntate finis. Unde praedestinatio aliquorum in salutem aeternam praesupponit secundum rationem quod Deus illorum velit salutem. Ad quod pertinet dilectio et electio. Dilectio quidem, in quantum vult eis hoc bonum salutis aeternae. Nam diligere est velle alicui bonum, ut supra dictum est. Electio autem, in quantum hoc bonum aliquibus prae aliis vult, quum quosdam reprobet, ut supra dictum est. Electio tamen et dilectio

aliter ordinantur in nobis et in Deo, eo quod in nobis voluntas diligendo non causat bonum, sed ex bono praeexistente incitamur ad diligendum. Et ideo eligimus aliquem quem diligamus. Et sic electio dilectionem praecedit in nobis, in Deo autem est e converso. Nam voluntas ejus qua vult bonum alicui diligendo, est causa quod illud bonum ab eo prae aliis habeatur. Et sic patet quod dilectio praesupponitur electioni secundum rationem, et electio praedestinationi. Unde omnes praedestinati sunt electi et dilecti. » Idem aliis verbis perhibet s. Doctor in q. 6 de Verit., a. 1, ubi quaerit « utrum praedestinatio ad scientiam vel voluntatem spectet » « Unde, sicut de providentia supra dictum est, inquit, quod consistit in actu rationis, sicut et prudentia, cujus est pars, eo quod solius rationis est dirigere vel ordinare; ita etiam et praedestinatio in actu rationis consistit dirigentis vel ordinantis in finem. Sed ad directionem in finem praeexigitur voluntas finis; nullus enim aliquid in finem ordinat quod non vult : unde etiam perfecta prudentiae electio non potest esse nisi in eo qui habet virtutem moralem, secundum Philosophum in VI Ethicorum (capp. 12 et 13); per virtutem enim moralem affectus alicujus in fine stabilitur ad quem prudentia ordinat. Finis autem ad quem praedestinatio ordinat, non est universaliter consideratus, sed secuudum comparationem ejus ad illum qui finem ipsum consequitur, quem oportet esse distinctum apud dirigentem ab his qui finem illum non consequuntur : et ideo praedestinatio praesupponit dilectionem, per quam Deus vult salutem alicujus. Unde sicut prudens non ordinat in finem, nisi in quantum est temperatus vel justus; ita Deus non praedestinat, nisi in quantum est diligens. Praeexigitur etiam et electio, per quam ille qui in finem infallibiliter dirigitur, ab aliis separatur qui non hoc modo in finem diriguntur. Haec autem separatio non est propter diversitatem aliquam inventam in his qui separantur, quae posset ad amorem incitare : quia, *antequam nati essent aut aliquid boni egissent aut mali, dictum est : Jacob dilexi, Esau autem odio habui*, ut dicitur Rom. IX, 2. Et ideo praedestinatio praesupponit electionem et dilectionem, electio vero dilectionem. Ad praedestinationem vero duo consequuntur, scilicet consecutio finis, qui dicitur glorificatio, et collatio auxilii ad consequendum finem, quod est

appositio gratiae, quod ad vocationem pertinet; unde et praedestinationi duo effectus assignantur, scilicet gratia et gloria. » Eamdem doctrinam tradit s. Doctor in Sent. I, d. 41, q. 1, a. 3; in Quodlib. XI, a. 3; in Ep. ad Ephes., cap. I, lect. 1; et in Ep. ad Rom., cap. IX, lect. 2.

Suppositio qua nititur argumentum quod ex citatis testimoniis adversarii pro sua sententia conficiunt.

255. Contendunt adversarii in hisce testimoniis nomine praedestinationis venire *praedestinationem mediorum salutis*, nomine vero electionis venire *electionem ad gloriam seorsum sumptam*. Probantque hoc suum assertum tali ferme ratione : Praedestinationem, quatenus distinguitur ab electione, s. Doctor locis citatis vocat « directionem in finem », « ordinationem in finem », quae sane directio sive ordinatio unice fit per media salutis, h. e. per gratias supernatules et per merita ex talibus gratiis acquisita; haec proinde juxta ipsum sunt unicum objectum praedestinationis, quatenus accipitur in sui distinctione ab electione. Ipsam vero electionem ibidem vocat s. Doctor voluntatem illius finis in quem ordo praedestinationis dirigitur, de qua sane voluntate manifestum est eam esse voluntatem gloriae seorsum sumptae; sola quippe gloria est finis in quem totus ordo mediorum per praedestinationem dirigitur. Sane a) omni beneficio salutari quod praeter gloriam praedestinato conceditur, praedestinatus in finem gloriae dirigitur; omne proinde tale beneficium pertinet ad ordinem praedestinationis, non vero ad finem in quem ordo praedestinationis dirigitur. Quare non potest contendi, electionem de qua locis citatis loquitur s. Doctor, respicere tamquam objectum circa quod versatur, non solum gloriam, sed etiam gratiam, sine hoc quod inter se permisceantur duo haec quae ad distinguendum praedestinationem ab electione, accuratisime a s. Doctore iisdem locis discriminantur, nempe id *in quod fit* directio illa in qua stat praedestinatio, et id *per quod fit* ista directio. Insuper b) priore loco citato, bonum illud quod Deus vult alicui, eum diligendo vel eligendo, a s. Doctore diserte vocatur *bonum salutis aeternae*. Ex quo rursum consequitur ipsum ibi loqui de electione, prouti terminatur ad gloriam seorsum sumptam. Quippe bonum salutis aeternae non pertinet nisi ad vitam futuram proindeque illud non complectitur statum praesentis justificationis, sed solummodo statum futurae glorificationis. Denique c) finem illum in quem

aliquis dirigitur per praedestinationem, quem finem s. Doctor ponit esse objectum electionis, ipse posteriore loco supra citato diserte asserit esse solum finem gloriae. Nam, quum ibi dixisset praedestinationem contineri sub providentia, eo quod, sicut providentia, est *directio in finem*, addit eo tamen eam differre a providentia communiter sumpta, quod, quum providentia dicat universaliter ordinationen in finem, « praedestinatio respiciat TANTUM illum finem qui est principalis rationali creaturae, *utpote gloriam.* » Notansque ibi aliud etiam discrimen praedestinationis a providentia : Providentia, inquit, ordinem in finem respicit tantum, unde per Dei providentiam omnes homines ad beatitudinem ordinantur. Sed praedestinatio respicit etiam exitum vel eventum ordinis, [h. e. dirigit in finem tamquam certo secuturum] ; *unde non est nisi eorum qui gloriam consequuntur.* Sicut igitur se habet providentia ad impositionem ordinis, ita se habet praedestinatio ad ordinis exitum vel eventum ; *quod enim aliqui finem gloriae consequuntur*, non est principaliter ex propriis viribus, sed ex auxilio gratiae divinitus datae. » Tandem in fine ejusdem articuli, jam assignans effectus praedestinationis, rursum gloriam, tamquam finem in quem praedestinatio dirigitur, distinguit a gratia tamquam a medio ordinato ad finem. « Ad praedestinationem, inquit, duo sequuntur, scilicet *consecutio finis*, *qui est glorificatio* ; et collatio auxilii ad consequendum finem, quod est appositio gratiae. »

256. Supposito itaque a s. Doctore locis supra citatis tale discrimen quale modo assignatum est, poni praedestinationem inter et electionem, ita jam ARGUUNT ADVERSARII pro principali suo intento : Merita sunt effectus praedestinationis mediorum salutis ; proindeque electio praecedens praedestinationem mediorum salutis est electio praecedens omnem praevisionem meritorum. Sed secundum disertam doctrinam locis supra citatis traditam a S. Thoma electio ad gloriam seorsum sumptam praecedit praedestinationem mediorum salutis. Ergo secundum s. Doctorem electio ad gloriam seorsum sumptam praecedit omnem praevisionem meritorum ; proindeque juxta ipsum talis electio est gratuita sive pure liberalis. Immo illam electionem esse pure gratuitam expressis verbis asserit s. Doctor utroque loco citato.

Argumentum partis adversae.

Nam in I^a, q. 23, a. 4, ait Deum nullo bono in nobis praeexistente incitari ad nobis volendum hoc bonum salutis aeternae, quod est gloria seorsum sumpta. Quod idem sane est atque dicere non propter aliqua bona nostra merita praevisa Deum nos eligere ad gloriam. Et in q. 6 de Verit., a. 1 : « Haec autem separatio [per electionem facta], inquit, *non est propter diversitatem aliquam inventam in his qui separantur, quae posset ad amorem incitare;* quia, antequam nati essent, aut aliquid boni egissent aut mali, dictum est : Jacob dilexi, Esau autem odio habui, ut dicitur Rom. IX, 2. » Manifestissimum est ergo locis supra citatis doceri ab Angelico electionem ad gloriam seorsum sumptam esse omnino gratuitam.

Consensus nostrorum auctorum in negando suppositionem unde procedit argumentum adversariorum.

257. Ad haec unanimiter RESPONDENT NOSTRI AUCTORES, negando suppositum ex quo procedit argumentum adversariorum, negando scilicet electionem, quam locis citatis s. Doctor docet esse ratione priorem quam praedestinationem, esse ex ejus mente de sola gloria, non vero de tota serie beneficiorum supernaturalium, inde a prima gratia usque ad gloriam inclusive electis in tempore conferendorum.

Rationem tamen cur sit falsa haec adversarium suppositio, non eodem modo omnes assignant.

Primus modus exponendi quo modo cum hoc quod electio sit simul ad gratiam et ad gloriam, stare possit electionem praesupponi praedestinationi.

258. Sunt qui dicant, propterea a s. Doctore poni electionem esse ratione priorem quam praedestinationem, quia secundum ipsum praedestinatio, quantum ad id quod in ejus conceptu importatur formaliter et in recto, h. e. quantum ad rationem directionis sive ordinationis in finem, consistat in actu intellectus practici, electio vero consistat in voluntate quae ad actum illum intellectus practici praesupponitur. De qua quidem voluntate aiunt manifestum esse eam esse *totam voluntatem praedestinantem*, h. e. eam esse totam illam voluntatem quae in conceptu praedestinationis in obliquo sive connotative importatur. Ex quo inferunt electionem ex mente s. Doctoris ad eumdem referri terminum ad quem refertur et praedestinatio, et sic eam non solam respicere gloriam, sed gratiam simul et gloriam. Quod ergo locis citatis s. Doctor docet electionem esse pure gratuitam, id ex eo aiunt provenire quod ibi electionem, sicut et praedestinationem, consideret relate ad totalem ejus terminum. Adduntque ex doctrina quam alibi tradit s. Doctor, perspicue

elucescere, electionem secundum ipsum ita referri ad haec duo quae sunt gratia et gloria, ut prius ratione respicat gratiam et merita quam gloriam. Concluduntque inde, si electio consideretur inadaequate, respectu hujus solius objecti quod est gloria seorsum sumpta, sic secundum s. Doctorem dicendum esse eam non esse gratuitam, sed ex praevisione meritorum.

259. Quod si auctoritatibus ita dicentibus *objicias*, exposi-Ratio qua impugnari solet primus ille modus ex ponendi verba s. Thomae.
tionem quam tradunt, contrariari verbis s. Doctoris clare asserentis, bonum illud quod Deus vult quibusdam, gratis eos diligendo et eligendo, esse bonum salutis aeternae; *respondent* cum Vasquez (in I^{am}, disp. 89, cap. 12) et Cardinali Franzelin (De Deo uno, sect. 5, cap. 3, thesi 64) bonum illud salutis aeternae quod locis supra citatis s. Doctor assignat ut objectum gratuitae electionis divinae, non esse ex ejus mente salutem perfectam vitae futurae per se et seorsum spectatam, sed esse salutem, prouti in hac vita variis donis gratiae inchoatur paulatimque perficitur, ac tandem in vita futura communicatione gloriae ultimato consummatur.

260. Sed haec responsio stare non potest. Evidenter Ejus solutio.
enim excluditur rationibus quae factae sunt ab adversariis pro supposito cui eorum argumentum innititur. Uti enim a parte adversa verissime arguebatur, locis supra citatis disertissime significat s. Doctor, bonum illud salutis aeternae quod Deus vult quibusdam, eos diligendo et eligendo, esse finem in quem totus ordo praedestinationis dirigitur; talis autem finis, uti ibidem s. Doctor expressis verbis declarat et uti per se est manifestum, non est nisi finis aeternae glorificationis.

Nec tamen propter falsitatem praedictae responsionis evertitur modus dicendi praedictorum auctorum; alia enim ratione, ex ipso s. Thoma suppeditata, objectio contra illum modum dicendi inducta dilui potest. Uti enim dicit s. Doctor in q. 6 de Verit., a. 1, arg. 9, « quando multi motus ordinantur ad unum tantum, tota motuum coordinatio recipit nomen ultimi motus.» Sicut ad educendam formam substantialem de materia ordinantur primo multi motus alterationis alii aliis succedentes, et secundo generatio, tota autem illa motuum coordinatio nominatur generatio. Similiter igitur, quamvis electio non solum respiciat gloriam, sed etiam

gratiam, et quidem prius respiciat gratiam quam gloriam, potest tamen tota illa electio appellari *electio ad gloriam* et *voluntas salutis aeternae* et *voluntas finis in quem ordo praedestinationis dirigitur*, eo quod multi illi actus qui in electione divina cum fundamento in re distingui possunt, ordinantur ad voluntatem finis, qui est ultimus actus; unde tota illa series actuum, h. e. tota electio, ex uno illo actu denominationem accipere potest.

Argumenta quae fieri solent pro praedicto modo dícendi.

261. Porro argumenta quibus pugnatur pro praedicto modo dicendi, sunt ejusmodi :

1° Licet secundum doctrinam s. Thomae praedestinatio, sicut et providentia, cujus est pars, consistat formaliter in actu praeceptivo intellectus practici ordinantis vel dirigentis in finem, ea tamen, uti diserte asserit idem s. Doctor in I^a^, q. 23, a. 5, praesuppositive et virtualiter includit voluntatem, eo quod intellectus non ordinat aliquid de iis quae sunt ad finem, ea praecipiendo sive imperando, nisi secundum quod movetur a voluntate. Ut ergo plene explicetur natura praedestinationis, non satis est assignare quisnam sit actus intellectus in quo formaliter consistit praedestinatio, sed oportet etiam assignare quisnam sit actus voluntatis qui tamquam movens intellectum ad praedictum suum actum, praedestinationi praesupponitur. Sed in q. 6 de Verit., a. 1, ubi data opera tractat de natura praedestinationis, s. Thomas non alium assignat actum voluntatis qui praesupponatur praedestinationi formaliter sumptae, nisi eum quem ibi vocat *voluntatem finis* quemque ibidem demceps vocat *electionem* sive *dilectionem*. Secundum s. Doctorem proinde electio vel dilectio est ille actus voluntatis qui tamquam movens intellectum ad ordinandum de mediis salutis, praesupponitur praedestinationi. Et hoc disertissime s. Doctor declarat in q. 6 de Verit., a. 2 ; ibi enim asserit articulo proxime praecedente, qui est articulus supra citatus, sibi sermonem fuisse de eo actu voluntatis quo movetur intellectus ad actum illum ordinationis, in quo stat formaliter praedestinatio. « Ad inveniendum, inquit, praedestinationis causam oportet accipere, *quod prius articulo praecedente dictum est*, scilicet quod praedestinatio est quaedam directio in finem quam facit ratio *a voluntate mota*. » Sed ex hoc oportet concludere, ex mente s. Doctoris electionem respicere tamquam obje-

ctum circa quod versatur, non solum finem salutis aeternae, sed etiam media salutis. Uti enim diserte docet Angelicus in I^a II^ae, q. 17, a. 3, ad 1^m, ad hoc ut voluntas moveat intellectum ad ordinandum per actum imperii de iis quae sunt ad finem, non satis est voluntatem actu ferri ad volendum ipsum finem, sed oportet eam se extendere ad volendum ea quae sunt ad finem. Secundum s. Doctorem proinde actus ille electionis sive dilectionis de cujus ordine ad praedestinationem ipse agit locis supra adductis, est tota illa voluntas divina quae in conceptu praedestinationis virtualiter includitur quamque manifestum est habere pro objecto totam seriem donorum supernaturalium, inde a prima gratia usque ad gloriam praedestinatis in tempore conferendorum.

2°. In eadem q. 6 de Verit., a. 1, inducit s. Doctor sub numeris 1° et 2° haec argumenta pro sententia ponente praedestinationem consistere formaliter in actu voluntatis : 1. « Videtur quod [praedestinatio] ad voluntatem [pertinet] sicut ad genus. Quia, ut dicit Augustinus in lib. De praedestinatione sanctorum, praedestinatio est propositum miserendi. Sed propositum est voluntatis ; ergo et praedestinatio. » 2. « Praeterea praedestinatio videtur idem esse cum electione aeterna, de qua dicitur Eph. I, 4 : « *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ut essemus sancti* : quia iidem sunt electi et praedestinati. Sed electio secundum Philosophum magis est appetitus quam intellectus. Ergo et praedestinatio magis ad voluntatem quam ad scientiam pertinet. » Respondet autem ad 1^m : « Dicendum quod in actibus animae ita est quod praecedens actus includitur quodammodo virtute in sequenti : *et quia praedestinatio praesupponit electionem*, quae est actus voluntatis, *ideo in ratione praedestinationis aliquid includitur ad voluntatem pertinens ;* et propter hoc propositum et alia ad voluntatem pertinentia in definitione praedestinationis quandoque ponuntur. » Ad secundum vero respondet : « Dicendum quod praedestinatio non est idem electioni, sed praesupponit eam, *ut dictum est in corpore articuli ;* et inde est quod praedestinati etiam electi dicuntur. » Utraque sane sua responsione diserte asserit s. Doctor electionem illam de qua in corpore articuli docuerat eam praedestinationi praesupponi, esse ipsissimum illum actum voluntatis de quo a quibusdam

contendebatur in eo consistere praedestinationem formaliter sumptam. Ex ejus ergo mente electio se exporrigit ad omnia dona salutaria quae praedestinatis in tempore conceduntur ; non enim nisi de actu voluntatis divinae se exporrigente ad totale objectum praedestinationis defendi poterat in ipso consistere praedestinationis essentiam.

3°. Postquam in I^{a}, q. 23, a. 4, s. Doctor dixerat de ordine existente inter praedestinationem, electionem et dilectionem, continuo transit in articulo proxime sequente ad dicendum de causa praedestinationis. Auspicatur autem ibi suam responsionem ab his verbis : « Respondeo dicendum quod quum praedestinatio includat voluntatem, *ut supra dictum est* [art. praec], sic inquirenda est ratio praedestinationis, sicut inquiritur ratio divinae voluntatis. » Sed articulo praecedente, ad quem hisce suis verbis se refert, non dixerat de alia voluntate in praedestinatione inclusa quam de electione et dilectione. Electio ergo vel dilectio sunt secundum ipsum tota illa voluntas praedestinans cujus causam inquirit in art. 5 citato, et per consequens utraque secundum ipsam se extendit ad totale objectum praedestinationis.

Et confirmatur argumentum ex eo quod, quum exordio quaestionis 23^{ae} proxime citatae s. Doctor traderet ordinem rerum de praedestinatione tractandarum, ipse dixerat articulo 4° praedictae quaestionis agendum esse « de comparatione praedestinationis *ad electionem* », articulo vero 5° ejusdem quaestionis quaerendum esse « utram merita sint causa vel ratio praedestinationis vel reprobationis AUT ELECTIONIS. » Exinde videlicet rursum evidentissime affulget voluntatem illam praedestinantem totaliter sumptam, cujus causam s. Doctor inquirit articulo 5, esse ex ejus mente electionem, de cujus ordine ad praedestinationem ipse disseruerat articulo 4 praecedente.

4°. In ipsomet illo articulo 4 quaestionis 23 primae partis Summae unde pro sua causa adversarii arguunt, s. Doctor expressis verbis asserit, electionem non solum esse de gloria, sed etiam de gratia. Nam in responsione ad I^{m} : « Si consideretur, inquit. communicatio istius vel illius boni, [Deus] non absque electione [bonitatem suam] tribuit, quia quaedam bona dat aliquibus quae non dat aliis. *Et sic in collatione gratiae et gloriae attenditur electio.* » Similiter in

Sent. I, d. 41, a. 2, ubi, sicut in I^a, q. 23, a. 4, agitur de ordine electionis ad praedestinationem, s. Doctor, respondens ad 3^m argumentum quod contra doctrinam ibi stabilitam induxerat : « Est quaedam vocatio temporalis ad gratiam, inquit, cui respondet et electio temporalis *et aeterna*, » utique ad gratiam, uti ostendunt et series verborum et haec verba quae mox addit s. Doctor : « Interior autem vocatio et temporalis electio *ad gratiam* semper sunt simul. »

5°. Quotiescumque praedestinationem considerat quoad voluntatem in ea inclusam extendentemque se ad totum praedestinationis objectum, s. Doctor voces praedestinationis et electionis accipit tamquam aequipollentes, quare et promiscue eas usurpat, vel si quam inter eas interponit distinctionem, significat eam in hoc unice consistere quod voluntati praedestinanti absolute consideratae electio superaddit respectum comparationis ad alios qui reprobantur. Sic v. g. in Comm. in Ep. ad Eph., cap. 1, lect. 1 : « Idem est dictu, inquit, elegit nos, et praedestinavit nos.... Est enim duplex electio, scilicet praesentis justititiae et praedestinationis aeternae. Et de hac [prima] Apostolus non intendit hic, quia non fuit ante mundi constitutionem. Et ideo statim manifestat de qua intelligit, *quia de secunda* [h. e. de aeterna electione], *scilicet de aeterna praedestinatione*, propter quod dicit : Praedestinavit nos. » Et in Summa c. Gent., lib. III, cap. 163 : « Quia vero ostensum est, inquit, quod divina operatione aliqui diriguntur in ultimum finem per gratiam adjuti, alii vero eodem auxilio gratiae deserti ab ultimo fine decidunt, omnia autem quae a Deo aguntur, ab aeterno per ejus sapientiam provisa et ordinata sunt,... necesse est *praedictam distinctionem* ab aeterno esse a Deo ordinatam. Secundum ergo quod quosdam ab aeterno praeordinavit ut dirigantur in ultimum finem, dicitur eos praedestinasse... Illos autem quibus ab aeterno disposuit se gratiam non daturum, dicitur reprobasse... Ratione vero ipsius distinctionis [completae scilicet praedictae] *secundum quod quosdam praedestinavit et alios reprobavit, attenditur divina electio.* »

262. Omnibus et singulis hisce argumentis proculdubio evincitur, electionem totaliter sumptam esse ex mente s. Doctoris totam voluntatem divinam, in praedestinatione virtualiter inclusam, proindeque eam juxta ipsum non solum esse

Judicium de vi probativa argumentorum modo factorum.

de gloria, sed etiam de gratia. Cum quo tamen stare potest ipsum opinatum esse, electionem divinam, h. e. totam illam voluntatem divinam in praedestinatione inclusam, si haec voluntas accipiatur, ut est praecise praedestinans, esse de gloria *primario*, et de gratia solummodo *ex consequenti*. Quare praedictis argumentis concludi non valet id quod auctores interpretationis supra allatae eis concludere intendunt, scilicet voluntatem qua Deus suis praedestinatis providet media salutis, etiamsi haec ejus voluntas consideretur ut est praecise praedestinans, esse ex mente s. Doctoris priorem quam electionem ad gloriam. Refragaturque talis conclusio doctrinae quam tradit Angelicus testimoniis quae supra in argumento facto pro parte adversa adducta sunt.

Allus modus exponendi quo modo cum hoc quod electio est simul ad gratiam et ad gloriam, stare possit electionem praesupponi praedestinationi.

263. Nos itaque aliter RESPONDEMUS, concedendo scilicet non omni ex parte falsam esse assumptionem argumenti facti pro parte adversa, et nihilominus negando hujus argumenti conclusionem.

DICIMUS scilicet 1°: *Non solum praedestinationi formaliter sumptae, sed ipsi etiam voluntati divinae providendi praedestinatis media salutis, secundum quod talis voluntas est praecise praedestinans, h. e. secundum quod movet intellectum divinum ad actum illum directionis in quo stat formaliter praedestinatio, praesupponitur secundum s. Doctorem electio ad gloriam.*

Probatio est hujusmodi. a) In q. 6 de Verit., a. 1, qui est alter locus ab adversariis pro sua sententia adductus, s. Doctor asserit hanc esse differentiam inter providentiam communiter dictam et praedestinationem, quod « providentia ordinem in finem respicit tantum, praedestinatio vero respicit etiam exitum vel eventum ordinis », h. e. certam consecutionem finis. Insistensque huic differentiae, subinde asserit, finem illum, cujus voluntas praesupponitur praedestinationi, « non esse finem universaliter consideratum, *sed per comparationem ejus ad illum qui finem illum consequitur.* » Infertque inde per praedestinationem aliquem *infallibiliter dirigi* in finem illum qui a Deo per actum electionis est praevolitus. Secundum s. Doctorem proinde intellectus divinus per actum illum directionis sive ordinationis in finem, in quo consistit formaliter praedestinatio, non ordinat media salutis in finem, nisi secundum quod haec media sunt certo et

efficaciter procurativa salutis. Impossibile est autem per intellectum divinum media salutis, secundum quod sunt certo et efficaciter procurativa salutis, ordinari in finem salutis, nisi voluntas divina, secundum quod movet intellectum divinum ad ordinandum de mediis salutis, feratur ad volendum haec media tamquam quaedam quae certo et efficaciter sint procurativa salutis. Quia ergo voluntas divina, secundum quod movet intellectum divinum ad faciendum illam ordinationem in finem in qua consistit formaliter praedestinatio, est voluntas praedestinans, manifestum est secundum s. Doctorem non solum praedestinationi formaliter sumptae, sed ipsi etiam voluntati in praedestinatione inclusae, secundum quod, ut est praecise praedestinans, refertur ad media salutis, praesupponi absolutam intentionem finis salutis, h. e. efficacem electionem ad gloriam. Et hoc propterea, quia nonnisi dependenter ab absoluta intentione finis, voluntas potest velle ea quae sunt ad finem, tamquam quaedam quae certo et efficaciter sint procurativa finis. Insuper b) utroque loco ab adversariis citato asserit s. Doctor, quia praedestinatio est pars providentiae, ipsa vero providentia est pars completiva prudentiae, idcirco, sicut ad perfectam electionem prudentiae praerequiritur affectum per virtutem moralem esse stabilitum in fine ad quem prudentia ordinat; ita etiam ad praedestinationem praeexigi voluntatem finis sive electionem ad gloriam. Sed si, uti ex his habetur, praedestinatio habet rationem prudentiae, ad ipsam autem electionem prudentiae, quae est voluntas mediorum, praeexigitur voluntas finis in quem prudentia ordinat; ergo secundum s. Doctorem praedestinatio, non solum quantum ad actum intellectus, quem importat formaliter, sed etiam quantum ad voluntatem mediorum salutis, quam includit virtualiter, praesupponit voluntatem finis gloriae in quem praedestinatio ordinat. Denique c) in Sent. I, d. 41, a. 2, quo loco, sicut duobus locis in argumento partis adversae adductis, quaeritur de ordine praedestinationis ad electionem, s. Doctor claris apertisque verbis affirmat, ipsimet voluntati praedestinanti, prouti est de mediis salutis, praesupponi secundum rationem electionem ad gloriam. Quum enim ibi sub numero 1 sibi objecisset, praedestinationem, sicut electionem, non addere super praescientiam, nisi actum voluntatis, et sic

videri praedestinationem esse idem electioni, ita respondet : « Ad primum dicendum quod electio non est actus voluntatis absolute, sed in ordine ad intellectum ordinantem, sicut Philosophus ibidem innuit. *Praedestinatio autem dicit actum voluntatis absolute qui consequitur ordinem istum.* Electio enim est qua aliqui ex ordine suae sapientiae ordinantur ad finem beatitudinis ; sed praedestinatio est secundum quod praeparantur eis ea quae perducunt in finem ; *et ideo, sicut voluntas ordinans in finem praecedit actum voluntatis praeparantis ea quae ducunt in finem ; ita electio praedestinationem praecedit.* »

Dicimus 2° : *Si tamen de voluntate providendi praedestinatis media salutis loquamur non secundum quod est praecise praedestinans, sed secundum alium quemdam considerationis modum, dicendum est ei secundum s. Doctorem non praesupponi electionem ad gloriam, sed, contra, eam secundum ipsum electioni ad gloriam praeire.*

Probatio est hujusmodi. Iis ipsis locis ubi s. Doctor asserit praedestinationi mediorum salutis praesupponi secundum rationis intelligentiam electionem ad gloriam, ipse aequivalenter atque adeo tantum non diserte docet, eos qui salvantur, non eligi ad gloriam a Deo, nisi dependenter a condicionata praescientia boni usus eorum auxiliorum gratiae quae revera eis in tempore a Deo praestantur. Quae certe ejus doctrina eo redit ut dicatur, Deum sua voluntate alligasse salutem electorum iis determinatis auxiliis gratiae quibus revera ipse in tempore electis opitulatur ad salutem. Uti enim saepe superius ostensum est, dicere Deum eos qui salvantur, non elegisse ad gloriam, nisi dependenter a condicionata praevisione boni usus finalis earum gratiarum quae revera salvandis in tempore conferuntur, id perinde est atque dicere Deum gratias quas modo dat praedestinatis, eo animo iisdem contulisse, ut, si praevidisset hasce gratias finali effectu salutis frustratum iri, nihilominus easdem hasce gratias, et non alias, eisdem collaturus fuisset. Sed si Deus sua voluntate alligavit salutem electorum iis determinatis gratiis quibus revera electis in tempore auxiliatur ad salutem, manifestum est voluntatem quam Deus habet circa electos, aliquo modo prius respicere media salutis quam gloriam. Ipsissimis igitur iis locis ubi s. Doctor asserit prae-

destinationi mediorum salutis praesupponi secundum rationis intelligentiam electionem ad gloriam, ipse virtualiter docet voluntatem providendi praedestinatis media salutis esse aliquo modo priorem in mente divina quam voluntatem eosdem praedestinatos eligendi ad gloriam.

Argumenta quibus adstruitur secundus modus dicendi.

264. Porro quod in tali probatione assumitur, a s. Doctore videlicet locis ubi tractat de ordine existente inter electionem et praedestinationem, aequivalenter atque adeo tantum non diserte doceri, electionem ad gloriam fieri dependenter a condicionata praescientia boni usus finalis earum gratiarum quae revera praedestinatis in tempore conferuntur, hisce ejusdem assertis fit manifestissimum.

1°. In Sent. I, d. 41, a. 1, et in q. 6 de Verit., a. 1, resp. ad ultim. argum. : *Sed contra*, asserit s. Doctor in formali conceptu electionis importari « discretionem sive segregationem quamdam. » Nam, uti ipse notat posteriore loco proxime citato, « qui eligit, alterum accipit, et alterum rejicit, quod est reprobare. » Quare et in I^a, q. 23, a. 4, pronuntiat, in tantum voluntatem qua Deus quibusdam vult bonum vitae aeternae, habere rationem electionis, « in quantum Deus hoc bonum vitae aeternae vult aliquibus prae aliis quos reprobat. » In doctrina igitur s. Doctoris idem est dicere electionem ad gloriam esse factam independenter a praeviso finali exitu gratiarum praesentis ordinis, atque dicere discretionem inter eos qui ad salutem accipiuntur et eos qui a salute reprobantur, factam esse independenter a praeviso finali exitu gratiarum praesentis ordinis. Sive, quod idem est, attento eo conceptu electionis quem s. Doctor inculcat, vera est haec condicionalis : Si electio ad salutem fit independenter a praevisis meritis electorum, etiam reprobatio a salute fit independenter a praevisis demeritis reproborum. Sed consequens hujus propositionis condicionalis repugnat doctrinae quam conceptis verbis tradit s. Doctor de causa reprobationis aliquorum hominum a salute. Nam quod Deus non vult aliquem hominem salvari, hoc ait unice provenire ex eo quod homo « se deordinat a salute » (in Sent. I, d. 46, a. 1, ad 5^m), quod homo « suae saluti adversatur » (in q. 23 de Verit., a. 2) quod homo « propter suum defectum impeditur a salute » (ibid.). Ergo etiam antecedens praedictae propositionis condicionalis re-

fragatur doctrinae s. Doctoris. Sive, quod idem est, quia secundum Magistrum angelicum in eodem signo rationis in quo facta est electio aliquorum ad salutem, facta est reprobatio ceterorum a salute, reprobatio autem a salute juxta ipsius disertam doctrinam non est facta nisi dependenter a praeviso malo usu gratiarum reprobis in praesenti ordine concedendarum, necesse est dicere, juxta ipsum etiam electionem ad salutem non esse factam nisi dependenter a praeviso bono usu gratiarum electis in praesenti ordine concedendarum.

2°. In Sent. I, d. 41, a. 1, data opera declarans quid sit aeterna electio ad gloriam, asserit s. Doctor per eam Deum « ab aeterno voluisse bonos a malis segregare in gloriam. » Ubi jam tantum non diserte docet discretionem illam sive segregationem quae importatur in conceptu electionis ad gloriam, non esse factam nisi dependenter a condicionata praescientia finalis exitus gratiarum ad praesentem ordinem pertinentium. Quippe qui sunt boni, non sunt boni nisi propter bonum usum mediorum salutis eis in tempore collatorum, et qui sunt mali, non sunt mali nisi propter abusum mediorum salutis eis in tempore collatorum; proindeque dicere cum s. Doctore, Deum aeterna sua electione bonos segregasse a malis in gloriam, hoc perinde est atque dicere, discretionem salvandorum a reprobis, h. e. ipsammet electionem ad gloriam, non esse factam nisi dependenter a praeviso finali usu vel abusu mediorum salutis ad praesentem ordinem pertinentium.

3°. In I^{a}, q. 23, a. 4, ad 3^{m}, asserit s. Doctor electionem illam quam ibidem, in corpore articuli, docuerat praedestinationi praesupponi, « pertinere ad voluntatem consequentem. » De voluntate autem consequente in I^{a}, q. 19, a. 6, ad 1^{m}, et in Sent. I, d. 46, a. 1, generaliter docuerat, Deum per eam non velle aliquid, nisi « consideratis omnibus circumstantiis personae. » Quas quidem circumstantias personae, quando res consequenter volita est salus hominis, ipse posteriore loco modo citato in hoc consistere dixerat « quod aliquis est volens et praeparans se ad salutem. » Absolvensque ibidem suam responsionem, generaliter edixerat, « voluntati consequenti praesupponi praescientiam operum, non tamquam causam voluntatis, sed quasi rationem voliti », uti

jam antea dictum fuerat in quaestione de causa praedestinationis. Ex quibus omnibus fit apertissimum, quando s. Doctor loco prius citato asserit electionem ad gloriam pertinere ad voluntatem consequentem, de mente ejus esse asserere, hominem adultum non eligi a Deo ad gloriam nisi dependenter a praeviso bono usu gratiarum huic homini in tempore conferendarum.

4°. Uti patet ex titulis sub quibus in prooemio quaestionis 23ae primae partis Summae s. Thomas articulos sub illa quaestione tractandos ordinat, et uti in ejusdem quaestionis articulo 5 s. Doctor apertissime significat, voluntas praedestinans, cujus causa in eo articulo 5 inquiritur, est ipsamet electio quam praedestinationi praesupponi s. Doctor articulo 4 proxime praecedente docuerat. Secundum s. Doctorem proinde de electione verificantur haec duo quae ibi perhibet de voluntate praedestinante, scilicet a) si ea accipiatur, prouti est simul ad gratiam et ad gloriam, eam esse prorsus gratuitam, et b) si ea accipiatur inadaequate, prouti est praecise ad gloriam, eam esse ex praescientia meritorum.

5°. Electionem esse gratuitam numquam aliunde probat s. Doctor quam ex eo quod gratia non praevenitur meritis humanis. Quo sane probationis modo ostendit non electionem ad gloriam seorsum sumptam, sed solummodo electionem, prouti est simul ad gratiam et ad gloriam, esse independentem a praevisione meritorum. Sic in Summa contra Gent., Lib. III, cap. 163 : « Quod autem praedestinatio et *electio* causam non habent, inquit, potest fieri manifestum... ex hoc quod gratia Dei, quae est praedestinationis effectus, meritis non praevenitur, sed omnia merita praevenit humana. » Similiter in I^a, q. 23, a. 5, ad 3^m, postquam dixerat : « Sed quare hos elegit in gloriam, et illos reprobavit, non habet causam nisi divinam voluntatem, » statim hujus sui dicti rationem assignat ex eo quod non est afferre rationem quare Deus hunc potius hominem quam illum praeveniat gratia efficaci. « Unde Augustinus dicit super Joannem, inquit : *Quare hunc trahat, et illum non trahat, noli velle dijudicare, si non vis errare.* »

Ex quibus ejus verbis apparet quantum ab ejus mente aberret Gonetus, quando in suo Clypeo theologiae thomisticae, tom. II, disp. 2, art. 1, § 6, asserit loco proxime

citato ab eo clarissime inculcari electionem ad gloriam seorsum sumptam esse prorsus gratuitam. Et quidem a Goneto tali sua interpretatione falso supponi loco citato agi de electione ad gloriam seorsum sumptam, non vero de electione, prout est simul ad gratiam et ad gloriam, patet etiam ex scopo ibi intento a s. Doctore, qui, uti colligitur tum ex argumento ad quod ibi respondet, tum ex contextu antecedente, est ostendere quousque possit assignari causa differentiae inter homines existentis quantum ad hoc quod quidam praedestinantur praedestinatione completa, alii reprobantur reprobatione completa. Hujus scilicet differentiae asserit s. Doctor posse quidem assignari rationem, non sane ex parte hominum, sed ex fine bonitatis divinae, si solummodo intendatur quaeri cur in genere aliqui sint praedestinati, aliqui vero reprobati; nullam tamen ejusdem differentiae posse assignari rationem, si intendatur quaeri cur in particulari hi sint praedestinati, illi vero reprobati. Adde quod tam in priore quam in posteriore parte praedictae responsionis ad 3^m^, s. Doctor promiscue usurpat voces « electionis in gloriam » et « praedestinationis » ; hinc videlicet rursum palam fit electionem in gloriam, prouti est gratuita, converti ex ejus mente cum praedestinatione totaliter considerata, proindeque eam tali modo acceptam, se exporrigere secundum ipsum ad totum praedestinationis objectum, h. e. non solum ad gloriam, sed etiam ad gratiam.

6°. In Sent. I, d. 41, a. 1, ad 2^m^, volens ostendere quomodo cum hoc quod Deus antecedente sua voluntate se habet aequaliter ad omnes, stare possit Deo competere electionem qua ad consequendam beatitudinem quidam aliis praeferantur, ita decernit s. Doctor : « Ad 2^m^ dicendum quod quamvis ipse aequaliter se habeat ad omnia, non omnia tamen eamdem idoneitatem habent ad recipiendam largitionem bonitatis ejus : *et hujus diversitatis cognitionem et ordinationem habet*, ET IDEO COMPETIT SIBI ELECTIO... Sicut enim sol nulli radios suos subtrahit, ita nec Deus munera bonitatis suae, *quae tamen non eodem modo in omnibus recipiuntur, et hujus diversitatis Deus est cognitor et ordinator.* » Quibus suis verbis apertissimum est a s. Doctore edisseri, Deum non elegisse quosdam prae aliis ad beatitudinem, nisi dependenter a praescientia sua condi-

cionata ei praemonstrante qualis, quantum ad usum vel abusum gratiarum ad praesentem ordinem pertinentium, finalis diversitas inter homines extitura esset. Nempe praescientiam illam ad quam verbis proxime citatis dicit Deum habuisse respectum, non esse praescientiam condicionatam qua late patet, sed praescientiam condicionatam eorum quae in praesenti ordine eventura erant, patet — tum a) ex eo quod s. Doctor loquitur de praecognito usu vel abusu eorum munerum bonitatis divinae quae revera in hominibus recipiuntur, — tum b) ex eo quod, si universim fiat respectus ad omnes et singulos illos infinitos ordines in quibus possibile fuit hominem a Deo collocari, falsum est dicere id quod loco citato asserit s. Doctor, non omnes videlicet homines eamdem habere idoneitatem ad recipiendum largitionem bonitatis divinae. Secundum talem quippe considerationis modum non magis de uno homine quam de alio sciret Deus eum donis suis consensurum esse, siquidem de unoquoque homine Deus novit, eum, si in tali rerum ordine collocaretur, finaliter bene operaturum esse, si vero in alio ordine rerum collocaretur, eum finaliter male operaturum esse.

Atque hinc patet etiam quo sensu in Quodlib. XI, a. 3, et in Sent. I, d. 41, a. 2, s. Doctor asserat non solum praedestinationi, sed et electioni praesupponi praescientiam; patet itidem quid ipse sibi velit, quum posteriore loco modo citato, in resp. ad 1^m^, asserit «electionem divinam esse qua aliqui *ex ordine suae sapientiae* ordinantur ad finem beatitudinis.» Ordo videlicet ille a sapientia praeostensus qui electionem divinam dirigit, est praesens ordo rerum, circumstantiarum atque gratiarum, prouti quoad ea quae ex parte liberi arbitrii creati in eo eventura sunt, subest ab aeterno praescientiae Dei condicionatae.

265. Ex duobus assertis hactenus stabilitis fit perspicuum, argumentum partis adversae quod supra propositum est, falso supposito laborare, ideoque illud et in concludendo deficere. Ex eo enim quod in mente divina electio ad gloriam est prior quam voluntas praedestinativa mediorum salutis, non est consequens electionem ad gloriam esse pure gratuitam, nisi suppositio fiat, voluntatem qua Deus providet salvandis media salutis, quomodocumque consideretur, esse praedestinativam. Jamvero haec suppositio in doctrina s. Thomae

Defectus quibus laborat argumentum partis adversae.

est falsissima. Quamvis enim s. Doctor ponat electionem ad gloriam esse in mente divina priorem quam voluntatem providendi praedestinatis media salutis, secundum quod haec Dei voluntas accipitur ut est praecise praedestinans, simul tamen ipse aequivalenter ponit esse aliquem modum considerandi voluntatem illam divinam providendi praedestinatis media salutis secundum quem haec Dei voluntas non sequitur sed praecedit electionem ad gloriam. Et, per consequens, secundum ipsum non electio ad gloriam seorsum sumptam, sed solummodo electio, prouti est simul ad gratiam et ad gloriam, est pure gratuita.

Replica adversariorum.

266. *Replicabunt sane adversarii*, nos interpretatione doctrinae magistri angelici quam duobus assertis supra stabilitis inivimus, imponere sancto doctori positiones sese mutuo excludentes ; contradictorium enim esse ponere, Deum voluntate sua praedestinante non velle praedestinatis media salutis nisi ex praesupposita absoluta intentione eligendi eosdem praedestinatos ad gloriam, et nihilomimus ponere voluntatem conferendi praedestinatis media salutis aliquo modo in divina mente praeire voluntati eligendi praedestinatos ad gloriam. — At vero haec eorum replica vanitatis convincitur iis quae de voluntate qua Deus providet praedestinatis media salutis, supra disseruimus inde a numero 215 usque ad numerum 218. Uti enim ibi multis ostensum est, in voluntate qua Deus suis electis vult providere media salutis, distingui potest cum fundamento in re duplex tendentia, una actualis, altera vero virtualis. Et quidem quantum est praecise per actualem suam tendentiam, praedicta Dei voluntas est formaliter praedestinans praesupponitque in Deo voluntatem eligendi ad gloriam eos quibus praeparat media salutis. Et hoc propterea, quia actuali suae voluntatis tendentia Deus fertur super media salutis secundum quod per scientiam mediam haec media ei apparent habere infallibilem connexionem cum fine salutis ; impossibile est autem media salutis esse volita a Deo tamquam habentia infallibilem connexionem cum fine salutis, nisi prius ratione ipse finis salutis absoluta intentione sit volitus a Deo. At quantum est praecise per virtualem suam tendentiam, voluntas illa qua Deus providet suis electis media salutis, non habet formalem rationem voluntatis praedestinantis, sed rationem

Ejus destructio.

communis providentiae supernaturalis, provenientis ex antecedente et condicionata voluntate salvandi electos; quare, quantum est praecise per virtualem suam tendentiam, voluntas conferendi salvandis media salutis praecedit in Deo voluntatem qua eosdem salvandos Deus ad gloriam eligit. Consistit quippe virtualis tendentia praedictae voluntatis divinae in eo quod propter hoc ipsum quod antecedente sua voluntate Deus non vult salutem eorum qui revera salvantur, nisi mere condicionate, ipse eos qui salvantur, non eligit ad gloriam, nisi dependenter a condicionata praevisione boni usus finalis earum gratiarum quae revera electis in tempore conferuntur. Esset enim falsum dicere, Deum nonnisi dependenter a tali condicionata praevisione eos qui revera salvabuntur, ad gloriam elegisse, si Deus non ita voluntate comparatus fuisset ut, quantum est praecise ex parte ipsius, eadem media salutis quae modo confert electis, iisdem collaturus fuisset, etiamsi praevidisset ea cum finali eventu salutis conjunctum non iri, et si, per consequens, voluntas conferendi praedestinatis media salutis non aliquo modo praecederet in mente divina voluntatem eosdem praedestinatos eligendi ad gloriam.

Et quidem, si quis rite consideret, comperiet distinctionem illam inter tendentiam virtualem et tendentiam actualem voluntatis divinae, qualis haec modo declarata est, vix non aperte tradi a s. Thoma in Sent. I, d. 41, a. 1, ad 2^m. Ex una enim parte ibi asserit « electionem divinam esse qua aliqui *ex ordine suae sapientiae* ordinantur ad finem beatitudinis. » Ubi, uti apparet ex iis quae praemiserat ibid., a. 1, in corp., et in resp. ad 2^m, intendit dicere electionem factam esse dependenter a condicionata praecognitione diversitatis quae, quantum attinet ad usum vel abusum gratiarum ad praesentem ordinem pertinentium, inter homines futura esset. Ex alia tamen parte ibidem asserit, « sicut voluntas ordinans in finem praecedit actum voluntatis praeparantis ea quae [infallibiliter] ducunt in finem, ita electionem praedestinationem praecedere. » Eodem etiam tendunt ea quae de ordine existente inter praescientiam, electionem et praedestinationem perhibet in q. 6 de Verit., a. 1, ad 3^m. Asserit ibi directionem ex parte intellectus divini praeire actui electionis. Ubi nomine directionis intendit significare

praescientiam dirigentem, uti patet ex art. 2, resp. ad 13^{m}, ibid. Simul tamen ibidem asserit electionem esse priorem quam praedestinationem, quae directionis [imperativae] rationem importat; eo quod « prius sit accipere illum qui dirigitur in finem, quam ipsum dirigere in finem, » directione videlicet illa infallibili de qua agitur in corpore articuli (1).

Praecipuus locus ubi perhibet s. Thomas praedestinationi competere certitudinem ordinis.

267. Alterum caput doctrinae s. Thomae ad quod pro sua sententia adversarii provocant, pertinet ad certitudinem

(1) In omnibus exemplaribus impressis operum s. Thomae, quae quidem inspicere licuit, locus quem proxime appellavimus ex q. 6 deVerit., a. 1, ita legitur : « Ad 3^{m} dicendum quod, quum electio sit rationis et voluntatis, *dilectio* semper electionem praecedit, si referantur ad idem; sed si ad diversa, sic non est inconveniens quod electio praecedat praedestinationem, quae *dilectionis* rationem importat; electio enim, prout hic accipitur, pertinet ad ipsum qui in finem dirigitur, prius autem est accipere illum qui dirigitur in finem, quam ipsum dirigere in finem, et ideo electio in proposito praedestinationem praecedit. »

Evidens est textum esse corruptum. Accidit autem corruptio ex mutatione unius litterae *r* in litteram *l;* inde videlicet factum est ut vox *directionis* quam scripserat s. Thomas, transiverit in vocem *dilectionis*. Nempe pro voce dilectionis, quae bis in lectione supra proposita comparet, legendam esse vocem *directionis*, patet — tum a) ex eo quod argumento ad quod respondet s. Thomas, contendebatur praedestinationem, quippe quae sequatur electionem, non posse pertinere ad scientiam, siquidem voluntas sequatur scientiam, et non praecedat; ad tale autem argumentum solvendum pertinebat dicere non de ordine existente inter dilectionem et electionem, quorum uterque est actus voluntatis, sed de ordine existente inter actum scientiae dirigentis et electionem — tum b) ex eo quod ad probandum primam partem suae responsionis, s. Thomas nititur in hoc quod « electio est *rationis et voluntatis* », talis autem ratio valet ad ostendendum non actum dilectionis, sed actum aliquem scientiae dirigentis electioni praecurrere — tum c) ex eo quod in corpore articuli et in responsionibus ad varia argumenta s. Doctor instantissime inculcat praedestinationem non consistere in actu voluntatis, sed in actu intellectus, eo quod de ejus ratione sit dirigere, quodque proinde actus ille quem ipse in secunda parte loci supra citati ait importari in ratione praedestinationis, non est dilectio, qui est actus voluntatis, sed directio — tum demum d) ex eo quod ipse in corpore articuli diserte docet, dilectionem esse priorem quam electionem, quodque proinde ejus doctrinae directe refragatur id quod habet vulgata lectio loci supra citati, scilicet praedestinationem, in quantum importat actum *dilectionis*, esse posteriorem quam electionem — tum denique e) ex eo quod ratio qua 2^{am} partem suae responsionis s. Doctor probat, procedit de prioritate electionis respectu illius actus qui est directio in finem, quodque proinde de praedestinatione, secundum quod importat actum directionis, ipse in secunda illa parte suae responsionis affirmat. ei praeire electionem.

praedestinationis. Tractat hoc argumentum s. Doctor in q. 6 de Verit., a. 3, ubi primum docet certitudinem praedestinationis addere super certitudinem praescientiae, eo quod praescientia habeat certitudinem cognitionis tantum, praedestinatio vero, quia et praescientiam includat, et habitudinem causae ad ea quorum est, addat, habeat super certitudinem cognitionis etiam certitudinem ordinis. Tum pergit dicere praedestinationem, quantum ad certitudinem ordinis ei competentem, addere etiam super certitudinem providentiae, quia, quamvis ordo providentiae sit certus respectu finis universalis in quem totus ordo providentiae dirigitur, non tamen sit certus respectu finis particularis, nisi quando causa proxima quae in illum finem ordinatur, necessario producit effectum suum, ordo vero praedestinationis sit certus respectu illius finis particularis qui est salus praedestinatorum, quantumvis effectus salutis ex sua causa proxima, quae est liberum arbitrium, contingenter proveniat. « Unde praeter certitudinem praescientiae, inquit, *ipse ordo praedestinationis habet infallibilem certitudinem;* nec tamen causa proxima salutis ordinatur ad eam necessario, sed contingenter, scilicet liberum arbitrium. » Denique inde progrediens ad concordandum infallibilem ordinem praedestinationis cum libertate arbitrii creati, ait modum istius concordiae ita posse considerari : « Invenimus ordinem infallibilem esse respectu alicujus dupliciter (1). *Uno modo*, in quantum una causa singularis producit effectum suum ex ordine divinae providentiae. *Alio modo, quando ex concursu causarum multarum contingentium et deficere possibilium pervenitur ad unum effectum*, quarum unamquamque Deus ordinat ad consecutionem effectus loco ejus quae deficit vel ne altera deficiat,... et hoc modo est in praedestinatione. Liberum enim arbitrium deficere potest a salute; tamen in eo quem Deus praedestinat, tot alia adminicula praeparat quod vel non cadat vel, si cadat, quod resurgat; sicut exhortationes et suffragia orationum, donum gratiae et alia hujus

(1) In editionibus impressis operum s. Thomae sententia haec introductoria ita legitur : « Invenimus ordinem *compossibilem* esse respectu alicujus dupliciter. » Lectio est evidenter corrupta. Veram lectionem restituimus ex Capreolo, in Sent. I, d. 40, q. I, a. 3, concl. 7.

modi, quibus Deus adminiculatur homini ad salutem. Si ergo consideremus salutem respectu causae proximae, scilicet liberi arbitrii, non habet certitudinem, sed contingentiam; respectu autem causae primae, quae est praedestinatio, habet certitudinem. »

Argumentum quod inde conficitur a parte adversa.

268. Ex his ITA ARGUUNT adversarii : Quum modus appetendi ea quae sunt ad finem, sequatur modum appetendi ipsum finem, nequeunt ea quae sunt ad finem, esse volita tamquam quaedam quae efficaciter sint causativa finis, nisi prius ratione ipse finis absoluta intentione sit volitus. Sed secundum s. Thomam auxilia salutis quibus Deus praedestinatis opitulatur ad salutem, sunt volita a Deo tamquam quaedam quae efficaciter sint causativa salutis praedestinatorum; certitudinem enim ordinis quam praeter certitudinem cognitionis ait loco proxime citato praedestinationi convenire, in hoc ibi asserit consistere quod auxilia quibus Deus praedestinatis adminiculatur ad salutem, subjacent praedestinationi divinae tamquam causae habentes infallibilem ordinem ad effectum salutis. Ergo secundum s, Doctorem voluntas praeparandi praedestinatis media salutis praesupponit in mente divina absolutam voluntatem conferendi eisdem praedestinatis finem salutis, h. e. gloriam, et, per consequens, ex ipsius sententia absoluta electio ad gloriam, sicut praecedit voluntatem praedestinandi media salutis, ita praecedit etiam et futuritionem meritorum et praescientiam eorumdem ; nec proinde ea secundum ipsum habere potest ex parte sui objecti rationem in meritis, quum, contra, merita juxta ipsum sint effectus qui ex ipsa tamquam ex primaria causa omnium effectuum praedestinationis deriventur.

Destructio praedicti argumenti.

269. In hoc argumento solvendo non oportet nos multum immorari; patet enim ejus solutio ex responsione quae facta est ad argumentum praecedens. CONCEDITUR itaque, ex hoc quod relate ad effectum salutis praedestinatio habet certitudinem ex parte ipsius ordinis mediorum per eam dispositorum quodque idcirco numerus salvandorum est Deo certus « per modum principalis cujusdam praefinitionis » (in I^a, q, 23, a. 7), necessario esse consequens absolutam electionem ad gloriam praeire in mente divina voluntati praedestinativae mediorum salutis. Quare conceditur etiam electionem ad gloriam praesupponi absolutae praescientiae meri-

torum. Stat tamen cum utroque istorum eos qui salvantur, non eligi ad gloriam a Deo, nisi dependenter a praescientia condicionata boni usus finalis earum gratiarum quae revera in praesenti ordine iisdem a Deo conceduntur. Et sic nihilominus verum manet electionem ad gloriam habere ex parte effectus rationem in meritis. Et hoc aperte significat s. Thomas illo ipso articulo 3 quaestionis 6 de Veritate, ubi data opera tractat de certitudine ordinis praedestinationi convenienti : asserit enim ibi hanc certitudinem esse « cum suppositione voluntatis humanae » (in resp. ad 4^{m}), non alia de causa hanc certitudinem praedestinationi competere, nisi « quia veritas praedestinationis et praescientiae respicit futurum ut est praesens, » (in resp. ad 6^{m}), ideo hanc certitudinem non officere libertati arbitrii creati, quia sub ordinem praedestinationis, sicut sub ordinem praescientiae, non cadit aliquis effectus a cooperatione voluntatis humanae dependens, nisi secundum quod ille effectus est actu in semetipso (in resp. ad 8^{m}, coll. cum q. 2 de Verit., a. 12, ad 4^{m}). Ex hisce videlicet omnibus apparet, sententiam esse s. Doctoris, sub infallibilem ordinem praedestinationis divinae non cadere aliquem effectum contingentem, nisi dependenter a condicionata praevisione concursus vel antecedentis vel concomitantis liberi arbitrii creati cum iis gratiis determinatis quae revera ei in tempore a Deo conferentur.

Instantia adversariorum.

270. Sed contra talem responsionem INSTANT ADVERSARII, ita in oppositum arguentes : Si, uti ex responsione modo data et ex tota ratione nostrae sententiae est consequens, talis sit virtualis tendentia voluntatis qua Deus providet gratias hominibus, ut, quantum est praecise ex parte ipsius, Deus easdem gratias quas modo dat hominibus, eisdem daturus fuisset, etiamsi condicionate praescivisset finalem harum gratiarum eventum fore omnino alium ab eo quem modo sortiuntur ; ergo a) Deus, quantum est ex se, eodem modo se habet erga praedestinatos atque erga reprobos; non vero ex majori affectu erga salutem praedestinatorum ipse de industria pro eis selegit gratias quas praevidit fore finaliter efficaces, et b) quod Deus unum praedestinat, volendo ejus salutem, alium non praedestinat, non volendo ejus salutem, id ultimato provenit ex eo quod de praedestinatis Deus praescit eos operaturos esse suam salutem, de non praedesti-

natis vero praescit eos non operaturos esse suam salutem. Sed secundum s. Doctorem utrumque horum repugnat certitudini quam habet praedestinatio ex parte ordinis mediorum per eam dispositorum, h. e. ex parte causalitatis suae; ita enim disertissime pronuntiat loco supra citato : « Non enim potest dici quod praedestinatio super certitudinem providentiae nihil aliud addit nisi certitudinem praescientiae [eventus salutis]; *ut si dicatur quod Deus ordinat praedestinatum ad salutem, sicut et quemlibet alium, sed cum hoc de praestinato scit quod non deficiet a salute*; sic enim dicendo, non diceretur praedestinatus differre a non praedestinato ex parte ordinis, sed tantum ex parte praescientiae eventus; et sic praescientia esset causa praedestinationis, nec praedestinatio esset per electionem praedestinantis; quod est contra auctoritatem scripturae et dicta sanctorum. » Secundum s. Doctorem ergo ad hoc ut stet certitudo quam habet praedestinatio ex parte ordinis sive ex parte causalitatis suae, oportet dicere Deum sine ullo prorsus respectu ad praescientiam meritorum primum gratis elegisse praedestinatos ad gloriam, deinde ex gratuita hac intentione eis conferendi gloriam praedefinivisse in particulari singula bona opera quibus pervenirent ad gloriam, ac postremo de industria pro eis selegisse gratias quas praevidebat re et effectu cum bonis operibus a se praedefinitis conjunctum iri.

Ejus repulsio. **271**. RESPONDETUR, *negando Majorem* et, *concessa Minore, negando consequens*. Ratio responsionis est hujusmodi. Quod, uti fert nostra sententia, Deus praesentem gratiarum ordinem eo animo elegit ut, quantum est praecise ex parte ipsius, easdem gratias quas modo alicui homini confert, eidem contulisset, etiamsi condicionate praescivisset finalem harum gratiarum exitum fore longe diversum ab eo quem modo sortiuntur; id profecto non obstat quominus Deus liberrimo suae voluntatis decreto praesentem gratiarum ordinem elegerit. Nempe omnino stat cum praedicta positione, ex infinitis illis rerum, circumstantiarum ac gratiarum ordinibus qui antecedenter ad omne decretum divinae voluntatis, divinae menti obversabantur et de quorum unoquoque Deus sua scientia media praenoscebat quid in eo, si eum eligeret, ex parte liberi

arbitrii humani eventurum esset, Deum quemcumque vellet, eligere potuisse, ideoque et talem rationem distribuendi suas gratias eum eligere potuisse, in qua, si revera eam adhibuisset, contigisset ut ii qui modo salvantur, salute excidissent, ii vero qui modo damnantur, ad salutem pervenissent. Haec porro est ratio cur a) in nostra sententia omnino verum sit dicere, Deum non eodem modo se habere erga praedestinatos atque erga non praedestinatos, sed speciali quadam dilectione eum praedestinatos prae iis qui non sunt praedestinati, prosequi. Quod quidem tali ratione perspici potest. Beneficium quod libere confertur sub certa praevisione effectus ex eo consecuturi, majus est in ratione beneficii quam beneficium quod confertur sub certa praevisione illud effectu cariturum esse. Quando ergo Deus aeterno suo decreto praedestinatis praeparat gratias quas praevidet cum effectu salutis conjunctum iri, quum tamen dare ipsis posset alias gratias finaliter inefficaces, non praedestinatis vero eodem suo decreto praeparat gratias quas praevidet effectu salutis carituras esse, quum tamen et ipsis posset praeparare gratias finaliter efficaces; quando suo decreto, inquam, Deus ita se habet erga praedestinatos et erga non praedestinatos, majus profecto beneficium praestat praedestinatis quam non praedestinatis. Et, per consequens, praedestinatis specialem prae non praedestinatis dilectionem impendit; uti enim docet s. Thomas in I^a, q. 20, a. 3, specialis dilectio qua Deus dicitur quosdam prae aliis diligere, non attenditur ex parte ipsius actus voluntatis divinae, ac si videlicet hic actus magis esset intensus respectu unius quam respectu alius : hoc quippe impossibile est, quandoquidem Deus uno et eodem actu voluntatis semper eodem modo se habente omnia diligit; sed specialis illa Dei dilectio unice attenditur ex parte objecti in quod tendit voluntas divina, in quantum scilicet Deus uni vult majus bonum quam alii. Itidem b) in nostra sententia omnino verificatur, praescientiam sive absolutam sive condicionatam, ne per modum quidem condicionis sine qua non, esse causam praedestinationis, sed praedestinationem esse unice per electionem praedestinantis. Non enim hujus oppositum evincitur ex eo quod nostra sententia ponit Deum, vi voluntatis qua antecedenter, sed condicionate, vult salutem omnium

hominum, eo animo elegisse gratias ad praesentem ordinem pertinentes, ut si condicionate praevidisset hasce gratias non eum habituras esse finalem exitum quem revera modo sortiuntur, nihilominus, quantum est praecise ex parte ipsius, easdem hasce gratias, et non alias, hominibus daturus fuisset. Nam ex tali positione est quidem consequens, esse in potestate cujusque hominis gratia divina praeventi efficere ut *ea voluntas dandi gratias quam revera Deus habet*, sit respectu ipsius voluntas praedestinans potius quam voluntas habens sibi adjunctum decretum reprobativum; at nullatenus ex eadem illa positione est consequens hominem usu suae libertatis a Deo condicionate praeviso esse in causa cur Deus praesentem ordinem gratiarum potius quam alium gratiarum ordinem revera elegerit. Uti enim supra dictum est, stat cum nostra sententia Deum liberrime praesentem ordinem elegisse, ideoque eum, si ita ei placuisset, potuisse eligere talem ordinem gratiarum in quo, si revera homines collocati fuissent, contigisset ut ii qui modo salvantur, a salute deficissent, ii vero qui modo damnantur, salutem consecuti essent. Quamobrem si de diversitate existente inter homines quantum ad praedestinationem aliquorum et reprobationem reliquorum, non loquamur ex suppositione electionis praesentis ordinis gratiarum, sed simpliciter et absolute, etiam in nostra sententia dicendum est id quod dicit s. Thomas loco citato et in I^{a}, q. 23, a. 5, ad 3^{m}, causam videlicet praedictae diversitatis nullo pacto se tenere ex parte diversi modi quo homines in praesenti ordine utuntur suo libero arbitrio, sed talem causam unice se tenere ex parte voluntatis divinae libere sua dona dispensantis. Et tali tandem ratione in nostra sententia verificatur, praedestinationem respectu hujus effectus, qui est salus aeterna, habere non solum certitudinem praescientiae, sed etiam certitudinem ordinis sive causalitatis : quod enim praedestinati ad salutem revera perveniunt, hoc in nostra sententia tamquam in ultimam causam unice refundendum est in liberrimam voluntatem Dei gratis disponentis pro praedestinatis talia gratiae auxilia de quibus in suo complexu spectatis ipse praevidit ea habitura esse infallibilem ordinem ad effectum salutis.

CAPUT XIII.

Convelluntur argumenta quae ex ratione fieri solent pro doctrina gratuitae praedestinationis ad gloriam.

—

272. Argumenta quibus ex ratione assertores antecedentis praedestinationis ad gloriam pro sua sententia pugnant, eo proxime tendunt ut statuatur, Deum absoluta et efficaci voluntate prius ratione velle praedestinatis conferre bonum gloriae quam eisdem velit conferre media perveniendi in gloriam, h. e. gratiam et merita. Quae certe conclusio, si non simpliciter, sed sub certa aliqua limitatione defendi intenderetur, non modo absque ullo praejudicio nostrae sententiae concedi posset, sed omnino concedenda esset. De gratiis enim quas Deus confert praedestinatis, necessario asserendum est eas, prouti respiciuntur a praedestinatione divina, habere infallibilem ordinem ad effectum salutis. Hoc autem stare non potest, nisi ponatur divinam voluntatem, prouti est praecise praedestinans, prius esse de gloria quam de gratiis et meritis. Aliunde tamen non minus necessario asserendum est, voluntatem qua Deus antecedenter vult salutem omnium hominum, h. e. tam electorum quam reproborum, esse mere condicionatam; ideoque Deum eos quos praedestinat, non eligere ad gloriam nisi dependenter a condicionata praevisione boni usus finalis earum gratiarum quae revera in tempore praedestinatis conferuntur. Hoc autem alterum assertum stare non potest, nisi ponatur eam esse virtualem comparationem voluntatis divinae ut, quantum est praecise ex parte ipsius, Deus eas gratias quas modo dat praedestinatis, eis daturus fuisset, etiamsi praevidisset eas non fore finaliter efficaces; et nisi, per conse-

Probatio ostendens, de ordine existente in mente divina inter voluntatem dandi gloriam electis et voluntatem eisdem electis conferendi media salutis diversimode esse loquendum pro diverso modo quo intelligi potest Deum sua voluntate ferri ad volendum electis media salutis.

quens, ponatur voluntatem qua Deus vult dare gratias et merita praedestinatis, esse aliquo modo priorem quam voluntatem qua eosdem praedestinatos Deus eligit ad gloriam. Concordaturque talis conclusio cum conclusione prius deducta, distinguendo in voluntate quam Deus habet circa electos, duplicem tendentiam, unam actualem, alteram virtualem. Dicendum est videlicet Deum actuali suae voluntatis tendentia prius ratione velle praedestinatis gloriam quam gratiam et merita; in priore tamen in illo instanti in quo eos eligit ad gloriam, ipsum virtuali suae voluntatis tendentia eis etiam velle gratiam et merita, idque non consecutive, sed praesuppositive, h. e. ita ut actus ille eligendi prius habeat virtualem terminationem ad gratiam et merita quam actualiter terminetur ad gloriam.

Doctrina antecedentis electionis ad gloriam eo rediens ut sine ulla limitatione asseratur Deum prius eligere praedestinatos ad gloriam quam eis velit gratiam et merita.

273. At adversarii, quando probare satagunt, Deum absoluta et efficaci voluntate prius eligere praedestinatos ad gloriam quam eis velit gratiam et merita, accipiunt hanc propositionem sensu omnino illimitato, intendunt videlicet per eam asserere electionem ad gloriam esse secundum omnem modum considerationis priorem in Deo quam voluntatem dandi gratiam et merita praedestinatis. Et quidem ad tuendam suam sententiam necesse habent in tali sensu illam propositionem accipere; alias enim ex ea non sequeretur id quod ultimato concludere intendunt, electionem videlicet ad gloriam esse prorsus gratuitam. Quando ergo in sequentibus praedictam propositionem impugnabimus veluti evidenter falsam, intelligendum est a nobis non excludi nisi falsum eum sensum in quo ab adversariis defenditur. Hoc itaque praemonito, jam ad examen rationum partis adversae veniendum est.

Primum et praecipuum argumentum quod ex ratione fit pro doctrina antecedentis electionis ad gloriam.

274. PRIMA RATIO, quae quidem est praecipuum adversariorum fundamentum, est hujusmodi : Omnis ordinate volens prius vult finem quam ea quae sunt ad finem, modo et finis et ea quae conducunt ad finem sint in ejus potestate. Sed Deus est ordinatissime volens in ejusdemque plenissima sunt potestate tam finis gloriae quam merita, quae sunt media ad consecutionem hujus finis conducentia. Ergo in processu praedestinationis Deus prius vult gloriam quam merita, et, per consequens, gloria, ut est absolute volita a Deo, est ratio cur Deus praedestinatis velit dare

merita, non vero, e converso, merita sunt ratio cur Deus praedestinatis velit dare gloriam; proindeque praedestinatio ad gloriam est prorsus gratuita.

275. Respondetur, Majorem in sensu adversariorum intellectam esse falsam. Quamvis enim is qui ordinate vult finem et media, semper ante omnem volitionem mediorum velit finem intentione vel absoluta vel condicionata; non tamen, qui est sensus ab adversariis intentus, omnis qui ordinate procedit in volendo finem et media, semper ante omnem volitionem mediorum intendit finem intentione absoluta. Probatio indirecte ostendens falsam esse Majorem argumenti propositi.

Sane in tali sensu Majorem esse simpliciter falsam, patet 1° indirecte, ex providentia quam Deus servat circa reprobos. Haec quippe ejus providentia procedit ex voluntate mere condicionata salutis, et nihilominus per eam ipse vult conferre reprobis gratias vere sufficientes, h. e. tales quibus, si eis vellent uti, reprobati re et effectu ad salutem pervenirent.

276 *Nec juvat dicere*, Deum non habere circa reprobos voluntatem absolutam eos salvandi, et propterea rationem quae ad impugnandam Majorem argumenti supra facti ex providentia divina circa reprobos accipitur, non esse ad propositum; in Majore enim illa solummodi agi de casu in quo volens absolute intendit finem aliquem; pro tali videlicet solummodo casu per Majorem illam affirmari ad hoc ut sub condicionibus supra recensitis rectus servetur ordo in volendo finem et ea quae sunt ad finem, oportere absolutam volitionem finis praeire omni volitioni eorum quae sunt ad finem. Hoc non juvat dicere, inquam; nam verum quidem est Majorem argumenti facti proferri ab adversariis in eo sensu qui modo in replica assignatus est; non tamen inde infirmatur vis rationis contra hanc Majorem adductae, quippe quae contra talem etiam sensum efficaciter procedat. Ita videlicet argumentamur : Dici non potest, Deum pro iis qui non salvantur, selegisse de industria gratias quas praeviderit fore finaliter inefficaces; sequeretur enim Deum non antecedenter intendisse aeternam reproborum salutem, sed aeternam eorumdem damnationem, ideoque et eum antecedenter intendisse reproborum peccata, sine quibus aeterna reproborum damnatio contingere non potest. Oportet ergo dicere, Replica adversariorum. Ejus destructio.

Deum eo animo dare gratias reprobis ut, si praevidisset gratias quas modo eis dat, fore finaliter efficaces, nihilominus hasce easdem gratias, et non alias, h. e. tales quas praeviderit effectu destitutum iri, eis daturus fuisset. Sed ex hoc est consequens eum electionis modum quem nos defendimus, esse saltem possibilem, quod sufficit ad falsificandam Majorem argumenti facti. Supponatur enim Deum de gratiis quas modo dat alicui homini qui finaliter salute excidit, praevidisse eas fore finaliter efficaces. In tali profecto casu Deus ex voluntate mere condicionata salutis illius hominis concepisset voluntatem eidem homini dandi gratias, nec nisi consequenter ad praevisa merita ejusdem hominis ipse concepisset absolutam voluntatem eidem conferendi gloriam. Immo ex eo quod Deus non de industria selegit gratias inefficaces pro reprobis, non solum sequitur eum electionis modum quem nos asserimus, esse possibilem, sed omnino sequitur eum electionis modum esse revera adhibitum a Deo circa eos qui salvantur. Nam si, uti ad defendendum hujus oppositum necesse est dicere, Deus pro omnibus antecedenter electis de industria selegit gratias finaliter efficaces, pro ceteris tamen non de industria selegit gratias finaliter inefficaces, prorsus impossibile est ex multis illis hominibus qui antecedenter electi non sunt, ne unum quidem pervenire ad salutem. Sicuti, uti scite hic advertit Lessius (De praedestinatione et reprobatione, Sect. II, n. 10), si quis haberet saccum pomorum partim bonorum, partim malorum, et distribueret ex illis magnae multitudini hominum, fieri non posset quin aliquibus obtingerent poma bona, nisi de industria omnia mala illis seligeret.

Probatio directe ostendens Majorem argumenti facti esse falsam.

277. Insuper Majorem argumenti facti esse falsam, patet 2° directe ex eo quod id quod non est verum dicere nisi de intendente finem suum proprium, per eam indiscrete et universaliter asseritur de omni intendente finem aliquem, h. e. tam de intendente finem suum proprium quam de intendente finem alterius. Sane, quando is qui habet in plena sua potestate et finem et ea quae sunt ad finem, intendit finem suum proprium et sibimetipsi soli consequendum, tunc ut processus volitivus sit ordinatus, oportet a volente prius absoluta voluntate intendi finem et nonnisi ex absoluta illa intentione finis ab eo procedi ad volitionem mediorum. Et

hoc propterea, quia, quando omnia media sunt in potestate volentis omniaque haec media, si debeat esse finis, a solo volente sunt praestanda, tunc non aliunde quam ex fine absolute intento potest accipi a volente ratio efficaciter volendi media. Stulte enim se haberet in volendo qui haberet hanc voluntatis tendentiam : Volo finem, si voluero media; tali quippe voluntatis suae tendentia testatum faceret se non velle media propter finem, sed se propter media, in quantum sunt media, velle finem; jam vero talem haberet voluntatis tendentiam is qui in casu proposito prima sua voluntate non intenderet finem absolute, sed condicionate tantummodo. At vero, quando volens non intendit finem suum proprium, sed finem alterius, qui ab altero libere sit consequendus, quique eidem proponatur ad modum praemii et bravii, tunc oportet quidem ordinate volentem efficaciter velle omnia ea media quae ex parte ipsius adesse debent ad hoc ut finis qui ab eo alteri proponitur ab hoc altero procurari possit; nec tamen tunc oportet volitionem mediorum in eo procedere ex intentione absoluta finis, sed ex intentione condicionata finis tantummodo; absolutam quippe volitionem finis oportet in tali casu ab eo tantummodo concipi, postquam viderit liberam cooperationem alterius, h. e. merita ab altero libere acquisita. Et hoc maxime verum est, quando is qui praedicto modo intendit finem alterius, est Deus, cujus absoluta voluntas est infrustrabilis. Etenim a) uti capite superiore, nn. 242 et 243, multis a nobis ostensum est, si Deus voluntate absoluta et simpliciter antecedente, h. e. independenter ab omni praevisione meritorum, vellet dare gloriam praedestinatis, et si, quod inde consequens est, ipse antecedenter praedefiniret bona opera praedestinatorum, non esset in libera potestate praedestinatorum omittere bona opera et sic excidere salute; proindeque, si in tali casu Deus praedestinatis proponeret gloriam tamquam finem ipsis libere consequendum, ipse voluntate sua ferretur in contradictoria. Itidem b) praemium ex formali suo conceptu nominat bonum quod sit *debitum alicui propter merita ipsius*, quodque idcirco ei retribuendum sit non gratis, sed titulo justitiae; sicut ergo repugnat debitum, ut est formaliter debitum, absoluta voluntate intendi absque habito respectu ad jus alterius unde ei advenit ratio debiti, ita

pariter repugnat gloriam, ut est formaliter merces sive praemium, absoluta voluntate intendi a Deo absque habita ratione meritorum, unde gloriae advenit formalis ratio mercedis Sane, quod est de essentia alicujus, id ei convenit, sive spectetur prouti est in se, sive spectetur prouti terminat voluntatem divinam; sed gloria, non quidem secundum se et absolute, sed secundum quod ei competit ratio praemii, habet essentialem dependentiam a meritis; quia ergo ea non solum in tempore confertur a Deo ut merces et corona, sed et ab aeterno ea est intenta a Deo ut merces et corona, ea, tam prouti subest voluntati divinae, quam prouti est in exsecutione, habet dependentiam a meritis. Quod profecto non contingeret, si decreto suo praedestinante Deus non intuitu meritorum, sed gratis, suis electis vellet finem gloriae. Et quidem non sufficit dicere, Deum suis electis velle gloriam dependenter a meritis indeterminate sumptis, sed oportet dicere eum in eligendo habuisse respectum ad determinata illa merita quae revera ab electis in tempore acquiruntur. Nam sicut Deus in tempore confert gloriam, prouti habet rationem talis praemii in specie et in individuo determinati, ita et ab aeterno intendit gloriam, prouti habet rationem talis determinati praemii; non autem ab aeterno intenderet gloriam, prouti habet rationem talis determinati praemii, si non intenderet gloriam dependenter ab illis determinatis meritis gratiae propter quae ea in tempore confertur, siquidem nonnisi dependenter a talibus determinatis meritis competit gloriae ratio talis determinati praemii.

Probatio ostendens Minorem argumenti facti esse falsam.

278. Nec solum falsa est Major argumenti facti, sed falsa est etiam suppositio quae latet in ejusdem argumenti Minore. Non enim, uti supponitur in Minore, merita respectu finis gloriae se habent ut pura media quibus perveniatur ad gloriam; sed merita ingrediuntur aliquo modo ipsum finem gloriae, tamquam pars constitutiva istius finis. Quippe ex hoc quod gloria extrinsece informatur meritis, ipsa nanciscitur rationem praemii et mercedis, inde porro crescit ejus amabilitas et appretiabilitas in ratione boni et finis. Itidem quia bona nostra merita continent liberum obsequium Deo praestitum, idcirco haec nosta merita, non solum secundum quod dicunt ordinem ad gloriam, sed per se et immediate, conferunt ad gloriam divinam, qui est finis principaliter a

Deo intentus. Ex quo rursum patet non solam gloriam, sed merita una cum gloria constituere illud quod per modum finis proximi principaliter a Deo intenditur. Immo, sicuti merita ordinantur ad consecutionem gloriae, ita et ipsa gloria ex intentione divina aliquo modo ordinatur ad merita. Propterea enim Deus gloriam nobis proponit ut mercedem et coronam, ut nos incitet ad studium bonorum operum, quae bona opera, uti diximus, immediate in ejus gloriam redundant. Uti, quando rex aliquis, volens promovere in suis subditis peritiam armorum, proponit praemium aliquod certantibus ea lege ut non potiatur praemio, nisi qui victor extiterit, id quod in tali casu principalius intenditur a rege, non est ipsum praemium, sed certamen; siquidem praemium tunc solummodo proponit rex ut acuat in suis subditis studium illud certandi, quod immediate et per se confert ad acquirendam peritiam armorum, qui est unicus finis quem rex spectat in toto eo negotio. Quod quidem exemplum, licet non omni ex parte sit simile, quum gloria, prouti comparatur meritis, principaliter et non mere secundario a Deo intendatur, juvat tamen ad ostendendum propositionem gloriae ad modum praemii ordinari etiam a Deo ad excitandum in nobis studium bonorum operum. Omni ergo ex parte deficit argumentum partis adversae.

Nec vero ad hanc nostram responsionem aliquid solidi adversarii reponunt, sed diverticula quaerunt.

279. Aiunt 1° : Deus intendit gloriam electis non *ob merita* sed *per merita*, et hoc sufficit ut verum sit dicere eum intendere electis gloriam ad modum praemii. Prima replica adversariorum.

280. Respondetur, talem replicam esse puram putamque petitionem principii. Per eam enim asseritur ipsa conclusio argumenti facti; non vero refelluntur rationes quibus in responsione modo data haec conclusio impugnata est. Quippe, quando dicitur Deum velle electis gloriam per merita, nihil aliud dicitur quam Deum ipsamet illa voluntate qua absolute intendit gloriam, virtualiter et ex consequenti velle merita tamquam media conducentia ad gloriam. Et sic tali asserto supponuntur haec duo, scilicet a) in ordine intentionis divinae non gloriam, ut est praemium, pendere a meritis, sed, contra, merita pendere a gloria, ut est praemium, et b) merita respectu gloriae esse pura putaque media, haud secus atque medicina respectu sanitatis est purum putum- Denudatio petitionis principii in prima replica contentae.

que medium. Jam vero ad infringendam responsionem supra datam oporteret utramque hanc suppositionem non gratis asserere, sed probare; nostra quippe responsio tota quanta eo spectat ut ostendatur utramque suppositionem esse falsam. Nempe, uti a nobis ea responsione ostensum est, a) gloria, ut est formaliter praemium, habet essentialem dependentiam a meritis, proptereaque gloria, ut est praemium, nequit subesse absolutae intentioni voluntatis divinae nisi dependenter a meritis, quae idcirco in praescientia divina praeexistant oportet ad hoc ut Deus absoluta voluntate feratur in gloriam, ut est praemium. Itidem, b) uti similiter eadem responsione a nobis ostensum est, merita respectu finis gloriae non sunt pura putaque media, sed, utpote afferentia huic fini gloriae rationem praemii, ea sunt aliquo modo pars istius finis, suntque idcirco ratio et volendi et conferendi gloriam, ut est praemium. Adde c) quod vi voluntatis qua intenditur finis, media non sunt volita determinate, sed indeterminate et in confuso; inde videlicet rursum patescit impossibile esse merita non esse volita a Deo nisi vi voluntatis qua ipse absolute intendit finem gloriae. Uti enim supra a nobis ostensum est, ad hoc ut gloria intendatur in modum praemii, non est satis eam intendi dependenter ab indeterminatis meritis, sed oportet eam intendi dependenter a determinatis illis meritis propter quae ea revera in ordine exsecutionis confertur; eo quod oportet eam intendi, ut est tale determinatum praemium, ratio autem talis determinati praemii ei non adhaerescit nisi ratione determinatorum illorum meritorum quae revera in tempore ab electis acquiruntur.

Secunda replica adversariorum.

281. AIUNT 2° cum Suarezio (De praedestinatione, Lib, I, cap. 8, n. 26) : Cum hoc quod Deus vult gloriam, ut est formaliter merces, quodque sic ejus voluntas est objective onerosa, stat eum gratis velle dare gloriam, et sic ejus voluntatem esse subjective liberalem sive gratuitam. Quando enim dicitur : Deus gratis vult dare gloriam electis, iste terminus *gratis* non cadit in objectum voluntatis divinae, i. e. in hoc quod est *dare gloriam;* gloriam enim vi istius suae voluntatis non vult Deus dare titulo gratuito, sed propter merita; sed cadit ille terminus *gratis* in ipsummet actum voluntatis divinae ut libere terminatum ad hoc objectum quod est gloria vel datio gloriae. Uti si quis vult vendere suum equum alteri qui eo indiget, ista voluntas

concipitur ab eo omnino gratis, ideoque est subjective liberalis; nihilominus tamen eadem ejus voluntas est objective onerosa, quia per eam non intendit dare gratis suum equum alteri qui eo indiget, sed solummodo post solutionem pretii aequivalentis ab altero factam.

282. Respondetur, distinctione in qua talem suam replicam Suarezius fundat, magis in apertum erui repugnantiam conceptuum quae in ejus sententia implicatur. Non solum enim in re praesenti illi distinctioni nullus est locus, sed ea est prorsus falsa et impossibilis. Etenim a) Dei voluntas, de quocumque demum sit objecto, non potest habere rationem in nostris operibus ex parte ipsius actus volendi; quapropter, quando quaeritur utrum nostra merita sint ratio cur Deus nobis decernat gloriam, unice intenditur quaeri utrum ex parte sui objecti voluntas qua Deus nos eligit ad gloriam, habeat rationem in meritis. Et, per consequens, quando praedicta quaestio cum Suarezio negative resolvitur, intenditur asseri electionem ad gloriam ex parte sui objecti esse gratuitam. Jam vero dicere electionem ad gloriam ex parte sui objecti esse gratuitam, idem sane est atque dicere Deum, nos eligendo ad gloriam, nobis velle gloriam tamquam donum gratuitum, et non tamquam mercedem meritorum nostrorum. Contradictionem ergo incurrit Suarezius, quando ponit electionem ad gloriam esse gratuitam, et nihilominus contendit eam esse objective onerosam, h. e. talem qua gloria intendatur dari in modum praemii. Quippe b) praemium, in quantum hujusmodi, est aliquid quod est debitum propter merita; quando ergo dicitur, voluntatem qua Deus nobis vult dare gloriam, respicere gloriam, ut est praemium, et hoc tamen non obstante, simul dicitur, talem Dei voluntatem esse gratuitam, asseritur gloriam, ut est volita tamquam aliquid quod sit debitum alicui propter ejus merita, esse volitam independenter a meritis, de quo asserto manifestum est ipsum implicare in terminis. Sive aliter c) in eo instanti rationis in quo merita neque habent esse in se, neque etiam habent esse in praescientia divina, impossibile est Deum alicui velle gloriam tamquam debitam ejus meritis, quippe quae nulla adhuc sint; si ergo, uti ponit Suarezius, Deus in eo instanti alicui actu vult gloriam, vult illi gloriam tamquam donum prorsus gratuitum. Et si, uti ponit idem Suarezius,

Denudatio contradictionis in secunda replica implicatae.

Deus in instanti aliquo sequenti, jam praevidens merita, vult voluntate pertinente ad ordinem exsecutionis conferre gloriam propter merita, signum est priorem Dei voluntatem fuisse inefficacem, immo hanc priorem suam voluntatem Deum retractasse, et sic divinam voluntatem esse mutabilem.

Exemplum vero quo utitur Suarezius ad illustrandum suum assertum, non est ad rem, immo continet fallaciam elenchi. Nam voluntas qua aliquis vult vendere suum equum alteri qui eo indiget, respicit ut objectum *venditionem equi*; cujusmodi certe objectum, tam prouti est in se, quam prouti substat voluntati, nullo modo est alteri debitum, sed omni ex parte est gratuitum. Nullo quippe jure alterius adstringitur aliquis ad vendendum ei suum equum. At gloria, ut est praemium, vel datio gloriae, tamquam praemii, non est objectum hujusmodi; sed gloria, ut est praemium, est debita propter merita, et datio gloriae, tamquam praemii. est actus justitiae remuneratricis. Exemplum foret ad rem, at simul palam faceret contradictionem quae latet in replica Suarezii, si hunc in modum proponeretur : Gratis volo dare meum equum alteri cui hic meus equus titulo emptionis est debitus.

Tertia replica adversariorum.

283. AIUNT 3° : Nequit quidem Deus conferre in tempore gloriam propter merita, nisi vi voluntatis qua ab aeterno gloriam propter merita praevisa exsequi statuit; haec tamen Dei voluntas pertinet ad solum ordinem exsecutionis : per eam videlicet Deus vult tantum exsequi gloriam, quam prius in ordine intentionis voluntate omnino gratuita electis dare decrevit

Inanitas et falsitas tertiae replicae.

284. RESPONDETUR, etiam talem replicam non esse ad propositum. Nam etiamsi efficaciter ostendi posset Deum habere circa gloriam duo illa decreta virtualiter distincta quae adversarii comminiscuntur, nihil tamen id attineret ad infringendum vim rationum quibus in responsione supra data impugnavimus conclusionem argumenti partis adversae. Nihilominus enim oporteret dicere, uti fatentur adversarii, gloriam in ipso ordine intentionis esse volitam a Deo, uti praemium et bravium. Jam vero hoc est illud quod rationibus quibus impugnata est conclusio argumenti partis adversae, arguebatur esse impossibile, si gloria in ordine intentionis ponatur esse volita a Deo independenter a praevisione

meritorum. Insuper, b) ut verissimum esset in Deo virtualiter distingui duplicem processum volitionum, unum intentivum, alterum exsecutivum, non tamen possibile esset voluntatem qua Deus vult dare gloriam electis propter merita a se praevisa, pertinere ad alium ordinem quam ad solum ordinem intentionis Quippe, quando post seriem actuum voluntatis spectantium ad ordinem intentionis, inchoatur in voluntate nova series actuum spectantium ad ordinem exsecutionis, actus istius alterius seriei non eo pertinent ut voluntas de novo velit ea quae prius voluit in ordine intentionis, multoque minus iidem actus eo pertinent ut voluntas ea quae prius voluit, velit propter motiva diversa ab iis quibus prius movebatur ad volendum ; sed voluntas iis actibus solummodo vult *applicare potentiam exsecutivam ad exsequenda ea quae prius voluit.* Et quidem non ob aliam causam hoc voluntas vult, non quia perseverat in voluntate intentiva quam prius habuit. Estque haec ratio cur actus quilibet voluntatis spectans ad ordinem exsecutionis vocetur *usus.* Tali videlicet suo actu, uti ait s. Thomas in I^a, q. 16, a. 4, « voluntas utitur potentia exsecutiva, movendo ipsam. » Quamobrem, si in priore aliquo rationis instanti Deus independenter a praevisione meritorum intenderet dare gloriam electis, in posteriore vero quodam rationis instanti ipse eamdem gloriam vellet dare electis propter praevisa eorum merita, haec posterior ejus voluntas non pertineret ad ordinem exsecutionis, uti dicunt adversarii, sed ad ordinem intentionis. Posterioreque hac sua voluntate Deus retractaret priorem suam voluntatem, uti jam supra notatum est. Ceterum c) imperfectio attribuitur Deo, quando ei attribuitur actus ille voluntatis qui dicitur usus, proptereaque omnino negandum est in eo inveniri praeter decreta voluntatis pertinentia ad ordinem intentionis, alia voluntatis decreta pertinentia ad solum ordinem exsecutionis. Ideo enim invenitur in nostra voluntate actus iste qui dicitur *usus*, quia in nobis potentia exsecutiva realiter distinguitur a voluntate. Cujusmodi ratio, uti manifestum est, non procedit de Deo, in quo potentia activa sola ratione a voluntate distinguitur.

285. Aiunt 4° cum Billuart (de Deo, dissert. 9, art. 5, § 4) et Mastrio (in Sent. I, disp. 5, q. 2, a. 6) : Deus voluntate antecedente vult omnibus hominibus gloriam, ut mer- Quarta replica adversariorum.

cedem et coronam; ea enim sua voluntateo m nes homines ordinat ad gloriam per merita obtinendam; et tamen, omnibus fatentibus, est haec ejus voluntas omnino liberalis et gratuita. Ergo, pari ratione, etsi Deus absoluta et efficaci voluntate decernat dare electis gloriam ut coronam et mercedem, potest haec ejus voluntas non pendere a meritis, sed esse prorsus gratuita.

Ejus destructio.

286. RESPONDETUR, ex antecedente sequi plane oppositum illius quod ex eo inferunt adversarii. Recta enim ratio concludendi a pari exigit ut ita formetur argumentum : Quia de formali ratione mercedis est ut dependeat a meritis eam praecedentibus, idcirco Deus voluntate sua antecedente non vult hominibus gloriam ut mercedem, nisi dependenter a condicione meritorum prius ab eis acquirendorum. Ergo eadem de causa Deus voluntate sua consequente et absoluta non vult aliquibus hominibus gloriam ut mercedem, nisi dependenter ab hoc quod praeviam condicionem meritorum ex parte hominum revera adimpletam viderit.

Quod autem antecedens voluntas qua Deus omnibus hominibus vult gloriam ut mercedem, sit pure gratuita, hoc provenit ex eo quod objectum hujus voluntatis non est gloria, in modum mercedis danda, absolute, sed sub condicione meritorum, quae nulla esse possunt nisi beneficio gratuitae gratiae divinae. Tale scilicet objectum, *ut est ita condicionatum*, non involvit in suo conceptu ullam dependentiam a meritis, ideoque illud independenter a quibusvis meritis sive naturae sive gratiae cadit sub voluntatem divinam. At hujus oppositum verificatur de gloria, prouti absolute danda est alicui in modum mercedis. Gloria enim sic spectata habet essentialem dependentiam a meritis, unde, secundum quod tali modo spectatur, ea non potest cadere sub voluntatem divinam nisi dependenter a praevisione meritorum.

Secundum argumentum factum ex ratione pro sententia partis adversae.

287. SECUNDA RATIO qua pugnant adversarii, talis est : Electionem mediorum oportet esse proportionatam intentioni finis ex qua procedit; ideoque voluntas qua media eliguntur tamquam efficaciter procurativa finis, nequit procedere nisi ex absoluta et efficaci intentione finis. Sed gratiae quas Deus dat electis, sunt volitae ab eo tamquam efficaciter procurativae finis salutis, uti patet ex eo quod praedestinatio, prouti est de gratiis, habet infallibilem ordinem ad consecutionem

salutis. Ergo absoluta intentio gloriae praecedit in Deo voluntatem qua ipse vult dare gratias electis; quod esse non posset, si electio ad gloriam non esset gratuita, sed inniteretur praevisioni meritorum.

288. Respondetur, ex eo quod praedestinatio Dei, prouti est de gratiis, habet infallibilem ordinem ad finem salutis, esse quidem consequens voluntatem Dei, prouti est praecise praedestinans, esse prius de gloria quam de gratia, at nullatenus ex eodem esse consequens absolutam intentionem dandi gloriam esse secundum omnem modum considerationis priorem in Deo quam voluntatem dandi gratias electis. Non enim ad hoc ut stet infallibilis ordo praedestinationis ad finem salutis, necesse est supponere id quod in suo argumento adversarii implicite supponunt, Deum de industria selegisse pro praedestinatis gratias quas praeviderit fore finaliter efficaces. Sed quod actuali voluntatis suae tendentia Deus vult dare electis gratias finaliter efficaces quodque, per consequens, voluntas ejus praedestinans, prouti est de gratiis, habet infallibilem ordinem ad finem salutis, hoc ideo est, quia, quantum est per actualem suam tendentiam, voluntas Dei fertur super gratias, quales hae ei praemonstrantur per scientiam mediam, scientia autem media ei praemonstrat gratias quas parat dare electis, futuras esse finaliter efficaces. Quod si scientia media Deo praeostendisset hasce gratias cum eventu salutis conjunctum non iri, nihilominus tamen hasce easdem gratias, et non alias, Deus elegisset dare iis qui modo salvantur. Et propterea, quantum est per virtualem suam tendentiam, voluntas qua Deus vult dare gratias electis, praecedit absolutam voluntatem dandi gloriam electis. Anterioritas videlicet quam praedicta voluntas considerata quoad virtualem suam tendentiam habet respectu voluntatis dandi gloriam, eo ipso se prodit quod Deus neque salutem, neque alium quemcumque effectum contingentem praedestinationis praedestinat nisi dependenter a condicionata praevisione concursus antecedentis vel concomitantis liberi arbitrii praedestinatorum cum iis gratiis quae revera praedestinatis in tempore conferuntur. Atque inde est quod, uti saepe memoravimus, est in potestate cujuslibet hominis adulti efficere ut ea voluntas quam revera respectu ipsius Deus habet, habeat rationem praedestinationis potius quam

Ejus solutio.

rationem reprobationis, vel e converso rationem reprobationis potius quam rationem praedestinationis (1).

(1) Sententiam quam hactenus defendimus, sequuntur, ad rem quod attinet, quamplurimi ex iis societatis nostrae theologis qui adduci solent veluti assertores sententiae ponentis praedestinationem ad gloriam esse gratuitam. Nam asserunt quidem hi theologi, electionem ad gloriam esse factam ante absolutam praescientiam meritorum, at simul haud obscure docent, eam esse factam dependenter a condicionata praevisione finalis boni usus earum gratiarum quae in praesenti ordine electis conferuntur. Talem videlicet doctrinam continet assertum quo perhibent, praedestinationem esse factam cum alligatione ad certa et determinata media salutis. Nam hoc suum assertum declarant dicendo, Deum, si praevidisset gratias quas modo dat electis, cum eventu salutis conjunctum non iri, nihilominus easdem gratias, et non alias, eis daturum fuisse. Inferuntque inde esse in potestate cujusvis hominis adulti efficere ut voluntas dandi gratias quam respectu ipsius Deus habet, habeat sibi adnexam rationem praedestinationis potius quam rationem reprobationis, vel, e converso, rationem reprobationis potius quam rationem praedestinationis. Audiatur, qui est unus ex praedictis auctoribus, Haunoldus, de sua et aliorum sententia ita referens in suo tractatu De Deo uno, cap. 5, controversia 2, § 1, n. 394 : « Tertia sententia, inquit, absolute docet omnes esse praedestinatos ante praevisa merita. Sub his terminis est haec sententia admodum communis. *Ceterum auctores hujus sententiae sunt inter se divisi*. Suarez, et cum eo plures, ponunt praedestinationis decretum prorsus absolutum, hoc est sine ulla alligatione ad certa media, sed vagum et adhuc praescindens a mediis, quasi Deus in primo signo dicat : Volo Petrum salvare. Adeo ut vi hujus decreti Deus fuerit necessitatus pro signo posteriore ad procuranda Petro media efficacia, ac proinde si ea quae de facto accepit, Petrus fuisset praevisus respuere, debuisset Deus eligere alia et alia. *Et hic est ille scopulus, ob quem haec sententia plurimis, et mihi quidem semper, visa est incredibilis ob rationes infra deducendas.* »

« Ideo Recentiores jam communiter ita defendunt praedestinationem ante praevisa merita ut (loquendo de praedestinatione ordinaria) *dicant eam factam esse cum alligatione ad certa media, quae si non fuissent praevisa fore congrua, ea nihilominus dedisset;* et, *per consequens, ille qui de facto praedestinatus est, si non fuisset per scientiam mediam praevisus bene usurus his mediis, fuisset reprobus, et e contra, qui de facto reprobus est, si fuisset praevisus bene usurus his mediis, ea nihilominus accepisset, et per illa praedestinatus fuisset.* »

« Unde, re attentius inspecta, *hi auctores vix differunt in re ipsa a secunda sententia* [ponentium gloriam praedestinari post merita absolute praevisa], ut etiam agnoscit Derkennius. »

Tum, postquam loco supra citato, § 5, n. 519, hanc posuerat thesin : « Dico praedestinationem ordinariam factam esse cum alligatione ad certa et determinata media, » inter alia argumenta quibus eam probat, arguit etiam pro ea ex eo quod, ut salva sit libertas, oportet in potestate esse hominis

289. Tertia ratio adversariorum, quae simul est instantia contra responsionem modo datam, ita procedit : Praedestinatio eo differt a communi providentia supernaturali quam Deus habet circa homines, quod per eam praeparantur electis gratiae finaliter efficaces. Si ergo Deus non de industria selegit pro electis gratias efficaces, sed gratias, quatenus sunt efficaces, eis non praedestinavit nisi dependenter a praeviso concursu antecedente vel concomitante liberi arbitrii ipsorum, oportet dicere a) praedestinationem, etiam totam, ut est formaliter praedestinatio, pendere a bono usu liberi arbitrii creati, saltem tamquam a condicione sine qua non, et b) radicalem discretionem praedestinatorum et reproborum non provenire ab electione divina, sed ab ipsis hominibus. Sed utrumque horum repugnat doctrinae sacrae scripturae et Augustini atque aliorum patrum et doctorum qui Augustinum subsecuti sunt. Ergo Deus de industria selegit pro praedestinatis gratias finaliter efficaces, et, per consequens, electio ad gloriam antecedit omnem praevisionem meritorum.

Tertium argumentum factum ex ratione prosententia partis adversae.

290. Respondetur, *concedendo antecedens*, *sed negando primum consequens*, *et*, *concessa propositione sub hoc consequente subsumpta*, *negando etiam ultimum consequens*.

Ejus solutio.

Ex nostra sane sententia neutiquam sequuntur incommoda ad quae eam in suo argumento adversarii deducere nituntur. Quamvis enim, uti ponit haec nostra sententia, Deus eo animo elegerit gratias praesentis ordinis, ut si praevidisset alium fore harum gratiarum finalem exitum, nihilominus, quantum est praecise ex parte ipsius, easdem hasce gratias, et non alias, hominibus daturus fuisset ; fuit tamen liberrima haec Dei electio ; potuisset enim Deus, si ita ei placuisset,

gratia divina suffulti praedestinari vel non praedestinari. Concluditque hoc argumentum hunc in modum : « In nostra sententia res est expedita : nam, sicut in potestate mea est facere ut Deus me non praeviderit bonum futurum, ita etiam in potestate mea est facere ut Deus per haec determinata media me non potuerit praedestinare, et de facto me non praedestinaverit, quum nolit dare alia media »

His prorsus gemina habet Mayr (de Deo uno, disput. 4. q. 3, a. 3), qui et innuit, ex sententia a se asserta esse consequens voluntatem dandi gratias electis, quantum est praecise per virtualem ejus tendentiam, esse priorem in mente divina quam electionem ad gloriam.

alium ordinem eligere, in quo, si collocati fuissent homines, ii qui modo salvantur, finaliter salute excidissent, ii vero qui modo reprobantur, ad salutem pervenissent. Quamobrem, etsi sit in potestate hominis adulti efficere ut ea voluntas dandi gratias quam revera Deus habet, habeat respectu ipsius rationem praedestinationis potius quam rationem reprobationis, haec tamen potestas ei non competit, nisi facta suppositione Deum praesentem rerum ordinem elegisse. Simpliciter vero loquendo, neque praedestinatio spectata in formali ratione praedestinationis, neque discretio praedestinatorum a reprobis pendent tamquam a causa, vel saltem tamquam a condicione sine qua non, ab operibus hominum; sed quod aliquis est praedestinatus potius quam reprobatus, itidemque quod hic est praedestinatus potius quam iste alius, qui est reprobatus, ultimo repetendum est a voluntate Dei praesentem ordinem rerum et gratiarum potius quam alium liberrime eligentis.

Quartum argumentum factum ex ratione pro sententia partis adversae.

291. Et sic solvitur etiam QUARTA RATIO adversariorum, desumpta ex eo quod, quum nostra sententia ponat Deum eodem animo gratias dedisse omnibus hominibus, in ea verificari nequeat id quod communiter asserunt s Augustinus et veteres doctores, Deum scilicet in distributione suarum gratiarum habuisse erga praedestinatos peculiarem amoris affectum, quem non habuerit erga ceteros homines, h. e. erga reprobos.

Ejus solutio.

292. Hoc argumentum, inquam, SOLVITUR eadem ratione atque argumentum praecedens. Eo enim ipso quod, uti ponit nostra sententia, Deus praesentem ordinem liberrime elegit, ipse majorem amorem exhibuit praedestinatis quam reprobis : major enim amor Dei attenditur non ex parte actus amandi, sed ex parte objecti, h. e. ex parte beneficii praestiti; jam vero Deus, praesentem ordinem libere eligendo, majus beneficium voluit praedestinatis quibus contulit gratias finaliter efficaces, quam reprobis, quibus tales gratias non contulit.

INDEX CAPITUM

TRACTATUS DE DEO UNO.

PARS QUARTA.

DE SUPERNATURALI DEI PROVIDENTIA.

CAPUT I. De divisione voluntatis divinae in voluntatem antecedentem et voluntatem consequentem . . . 1
CAPUT II. De voluntate Dei salvifica 15
CAPUT III. De extensione voluntatis Dei salvificae ad parvulos sine baptismo decedentes 28
CAPUT IV. De sententia s. Augustini circa voluntatem Dei salvificam 35
CAPUT V. Quid et quotuplex sit praedestinatio 55
CAPUT VI. De gratuitate praedestinationis 70
CAPUT VII. Utrum praedestinatio ad gloriam sit ex praevisis meritis 87
CAPUT VIII. Discutiuntur argumenta partis adversae petita ex scripturis 106
CAPUT IX. Num suam de gratuita praedestinatione doctrinam s. Augustinus defenderit in agnito a se suisque discipulis dissensu a Patribus se antiquioribus . 136
CAPUT X. Num gratuita praedestinatio quae veluti fide certa a s. Augustino defenditur, sit praedestinatio ad gloriam seorsum sumptam 153
CAPUT XI. Num privata saltem sententia s. Augustinus docuerit praedestinationem gloriae seorsum sumptae esse pure gratuitam 166
CAPUT XII. De mente s. Thomae circa ordinem inter praescientiam meritorum et praedestinationem ad gloriam. 215
CAPUT XIII. Convelluntur argumenta quae ex ratione fieri solent pro doctrina gratuitae praedestinationis ad gloriam 385

INDEX QUAESTIONUM

IN NOTIS TEXTUI SUBJECTIS TRACTATARUM.

QUAESTIO I[a]. Quinam scholastici medii aevi senserint praedestinationis consideratae quoad totalem suum effectum posse assignari rationem vel saltem condicionem sine qua non ex parte ipsius hominis praedestinati. De triplici varietate quae inter eos obtinuit quoad modum hanc sententiam asserendi ac defendendi. 221

QUAESTIO II[a]. Num, uti opinatus est recens quidam theologus, sententia quam de praedestinatione Molina in suo opere Concordiae defendit, eo revera tendat ut non modo praedestinatio totalis, sed etiam praedestinatio ad gloriam praecise sumptam statuatur esse gratuita 295

EMENDANDA.

Pag. 8, lin. 24, pro *tandem tantum, abest,* lege : *tandem, tantum abest.*
" 42, lin. 24. pro *cur illi ita suadeatur ut persuadetur,* lege : *cur illi ita suadeatur ut persuadeatur.*
" 137, lin. 22-23, pro « *De arbitrio libero, inquit, et gratia Dei,* lege : » *De arbitrio libero et de gratia Dei, inquit.*
" 147, lin. 37, pro *Etenim a) in tota parte,* lege : *Etenim in tota parte a).*
" 233, lin. 27, pro *dist.* 45, lege : *dist.* 41.
" 242, lin. 8, pro *et q.* 47, *q.* 1, *a.* 1, lege : *et d.* 47, *q.* 1, *a.* 1.
" 243, lin. 24, pro *in* I^a, *q.* 23, *a.* 5, *ad* 2^m, lege : *in* I^a, *q.* 23, *a.* 5, *ad* 3^m.
" 282, lin. 20. pro *insignem inscientiam,* lege : *insignem inscitiam.*
" 299, lin. 7 notae, pro *absque ulla consideratione libert arbitrii,* lege : *absque ulla consideratione liberi arbitrii.*
" 307, lin. 39, pro *traditum esse,* lege : *traditam esse.*
" 318, lin. 22, pro *necessariae praesupponitionis,* lege : *necessariae praesuppositionis.*
" 332, lin. 26, pro *in qua inibi fnndat,* lege : *in qua inibi fundat.*
" 352, lin. 22, pro *impedire suam praedestinationem,* lege : *impedire suam reprobationem.*
" 355, lin. 29, pro *affirmaveret,* lege : *affirmaverat.*
" 357, lin. 35, pro *inputandam,* lege : *imputandam.*
" 362, lin. 8, pro *incitarc,* lege : *incitare.*
" 363, lin. 2, pro *ut prius ratione respicat,* lege : *ut prius ratione respiciat.*
" 395, lin. 19, pro *in* I^a, *q.* 16, *a.* 4, lege : *in* 1^a II^{ae}, *q.* 16, *a.* 4.

231.1
Sa53

43681

SAN, S. J., LUDOVICUS DE
AUTHOR

Tractatus De Deo Uno.
TITLE

Tomus II.

DATE DUE	BORROWER'S NAME
	STORAGE = CBPL

43681